Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
9
40 MB
13
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

JOANNIS BISSELII,

è Societate JESU,

ÆTATIS NOSTRÆ GESTORUM EMINENTIUM MEDULLA HISTORICA.

SEPTENNIUM III.

Ab Anno M. DC. XV. uſque ad Annum M. DC. XXI. incluſivè.

Bibliot. Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu

Permiſſu Superiorum.

AMBERGÆ,

Apud JOANNEM BURGER.

Anno M. DC. LXXVI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

REGI REGUM
Cœleſti,
JESU CHRISTO,
Sapientiæ ſempiternæ;
CÆSARUM,
&
Utriuſque fori
legitimorum
MAGISTRATUUM,
Scuto, Tutelæ, Defenſori,

Per ſuum,
Tabulis Evangeliorum inciſum,
perenne
DECRETUM,
(*Matth.c.22.v.21. Marc.c.12.v.17. Luc.c.20.v.25.*)
HONOR, & GLORIA!

Digitized by Google

REX UNIVERSORUM!

I*Am antea quidem Majeſtatem Tuam adoraveram; Operis Ruinarum Illuſtrium* Primi *nuncupatione, Tibi, cum æterno Patre, Spiritúq; vivificô, communiter & indiviſè tributâ. Quin, nec in* Secundo, *quod Auguſtæ Matri tuæ, principi Virginum, inſcripſeram, prorſus tacitum & incelebratum Te præterieram: ut, qui nôſſem; Quidquid Genitrici præconiorum aggereretur, id & in Filium revolvi.*

Sed nunc in Opere, Ruinis ſubnexô cognatôq;, rerum Caſus, & eventa prodiêre talia; cujuſmodi Te, generis humani Servatorem, & Cuſtodem, iteratò, tertiòve, compellari Septennii mei Tertii Dedicatione, jurè poſtularent: non è meis *tantùm, hominis privati, ſed totius* Chriſtianiſmi *publicis votîs. Tu namq; ſævientis noſtri maris, & fluctuantis in eo* Navis-*Eccleſiæ*, Sacra *ſola nobis, & extrema, reſtas, CHRISTE (maris domitor,)* anchora.

Qui meum ergò Ruinarum *elementum* Primum *aſpernatus non es; nec iſtud (ſpero) noviſſimorum temporum Annale, Tutela tua*

ſubtra-

ſubtractione, repudiabis: Tu, meum Alpha *princeps, &* Oméga *: curarum mearum initium, ac finis. præbe te celebrandum mihi, præſentibus hîs ſtudiorum meorum conatibus; ut antehac meis aliis: cùm præſertim turbarum hujus Ævi tempeſtas, cæterîs facilè tumultuoſior, Die,* dominicorum *dierum illô, ſedari componiq; viſa ſit incepiſſe, quo die Verbîs tuîs Evangelicîs ingenia,* Pacis *ac* Juris *inimica, compeſcebantur: ut Annus ſuus aperiet.*

Sed quid, hæc dicens, ago? qui, priuſquam Majeſtati Tuæ loquar; in anteceſſum audeam tamdiu præloqui? cùm Regiis auribus, & alloquiis, major, in immenſum, reverentia debeatur. Terrent enim: niſi timeantur.

Ac certè (quò priora Regum ſæcula reſpiciam) exempla concutere me debent eorum, qui tremuerunt. Si regnorum Orientis domina quondam, Ediſsæ, *formidini tanta fuit, adire compellaréq; maritum ſuum, centum viginti ſeptem provinciarum regnatorem, Artaxerxen Longimanum: ut, priuſquam pedem inferret, ac trepidum os aperiret, Majeſtatis tuæ glorioſiſſimo Patri ſupplicârit gemens & lacrymans :* Daret ſibi *fiduciam* Dominus, rex Deorum, *ingrediendi Suſorum regiam intimam;* tribueretq; SERMONEM COMPOSITUM

ori ſuo, *labiiſq; trepidantibus*, in conſpectu Leonis, *Perſarum imperatoris: ego, mortalium abjectiſſimus, quônam poplitum robore, quônam frontis ferrô, Majeſtatis hodie Tuæ tribunal, &* gratiæ thronum, *accedam*; Leonis de tribu Judæ; *Regis*, cuj *rex* Pater omnia dedit in manus; cuj curvatur, *& ſemper curvabitur*, omne genu: *cœleſte, terreſtre, ſubterraneum, etiam invitum? Quòd ſi, quo more, ſceptrum aureum Artaxerxes protendendo, gratiam faciebat admiſſionis, ſic Tua Majeſtas, illa pluſquam aurô Gratiiſq; fluentia labia prior aperiens, me, cum omnibus aliis* laborantibus & oneratîs, Venire *jubeat, & clementer invitatum, fari, quæ fanda ſunt, urgeas: quis tamen continuò* ſermonem *mihi* Compoſitum *largietur, & verba, tuis accommodata ſenſibus, affiniáq;* verbis-Gratiæ, quæ procedebant ex ore tuo; *verba, quibus attoniti populi, ſtare ſolebant, attendentes, ac ſuſpenſi? verba deniq;, quorum imitari nos vim & circumſpectionem vult Petrus, Apoſtolorum tuorum princeps, portarúmq; Regiæ tuæ cuſtos: quando præcipit, ut, SIQVIS loquitur, proferat*, Quaſi Sermones DEI; *tanquam oracula Deus ipſe, ſententiáſq;, ſenſibus humanis altiores, effunderet:* quò per omnia Divinus *propagetur* honor. *Quod mirandum*

randum tamen minùs eſt, A DEI Majeſtate, legis inſtar inviolabilis, ſtatui, Sui reverentem à mortalibus allocutionem: cùm is ipſe, quem initiò ſtatim nominavi, Perſidis rex, Ediſſæ conjux, ne maximos quidem belli Duces, & pacis arbitros Purpuratos, homines, (homo *licèt & ipſe,) ſuos permiſerit ad poplites, & adorationem, accidere: niſi priùs verborum, rege per omnia dignorum, gnaros. Quo factum eſt, ut,* Artaxerxis *hujus ritè conveniendi cauſſâ, pratorum Athenienſium facilè cæteroqui diſertiſſimus,* Themiſtocles, *annô ſe ſolidô, quô verba reperiret apta ſelectáq; regium ad congreſſum comparârit. TANTI fuit, Monarchâ coràm, nihil plebejùm fabulari.*

REX, tremendæ majeſtatis, *CHRISTE!* *quantò (ni fallor) exquiſitiora Tu* Deus-Homo, *regis Artaxerxis Judex, ab homuncione me, ſupra verba Themiſtoclis exiges: quibus commentandis, non dicam,* Annus unus, *ſed nec* Sæculum, *ſuffecturum ſit? Quid agam igitur?*

Id, opinor. Quæ me res à compellatione Tuæ Majeſtatis abſterret; ea, vel inprimis ad audendum invitat; & fandi ſcribendíq; fiduciam *accendit, ut loquar tibi.*

Loquar autem, non, ut multi quondam battólogi, Verba ſeſquipedalia; ſed, ut Petrus

 horta-

hortatur, SERMONES DEI. *loquar, quæ locutus prior ipſe, Dominus meus, & Deus meus, in utriuſque fœderis tabulis es: partim ore Tuômet; partim ore Prophetarum, Apoſtolorum, Patrum, & Eccleſiæ. Loquar ſtillicidia favi biblici, non unius annui Zodiaci, ſed Sæculorum ſex, aut decem, aut ſexdecim, immò viginti quoque, penéq; viginti quatuor, ætatem ferentia: quippe, Davidis ac Salomonis à temporibus repetita, noſtram ad uſque chiliadem annorum. Agè nunc! loquamur. Audi,* REX, *ac Domine!*

Tu Rex Gloriæ, *CHRISTE*. Tu Patris ſempiternus es filius. Deus de Deo: lumen de lumine. *Tu veriſſimus Oriens; ſplendor æternæ lucis, & Juſtitiæ Sol. gloriæ paternæ fulgor: qui ſedes ſuper Cherubinos, ſcientiâ plenos; & intueris abyſſos; lumen veridicum, lumen illuſtrans mundum Angelicum, & humanum.* SAPIENTIA, *prodiens Æternîs à ſæculis, ex ore legiſlatoris Altiſſimi; quæ nos viam Prudentiæ doces. Emmanuel, rex & legifer noſter; qui ſtas in Signum populorum; ſuper quem, oracula reddentem, ac jura, Reges ipſi continebunt os ſuum. Rex gentium; & ſceptrum domûs Iſraëlis. Rex pacifice, cujus vultum deſiderat univerſa terra: Salomon*

lomon in typo; Salomonis eruditor re, ſenſu, veritate: cujus intueri vultum deſiderant ii, qui ſemper vident faciem Patris *tui, Spiritus hierarchici. Candor æternæ lucis; Speculum ſinè macula DEI-majeſtatis, & Imago bonitatis illius. Sole ſpecioſior; ac ſuper omnem ſtellarum diſpoſitionem luci comparatus, excellentior inventus. Cujus Sapientiæ puriſſimum fontem nullum inquinat malitiæ lutum. Sapientia Patris; doctrix diſciplinæ DEI ſimul, & Electrix operum illius. Sapientia; ſciens præterita, dirigens præſentia, futurorum æſtimatrix: deprehendens ſermonum verſutias; argumentorum diſſolutrix; parabolarum inventrix, & explicatrix: ſignorum cœli, monſtrorum terræ, profundorum maris; incertorum eventuum, ancipitium temporum, immobilium ſæculorum, certiſſima Sibylla: quæ (Suſannâ judice, cùm judicaretur,) abſconditorum es cognitrix; & univerſa nôſti, priuſquam fiant.*

Ac talis quidem, aliáq; multa, quæ proferri glorioſa poſſent de Majeſtate Sapientiæ Tuæ, REX Sæculorum, *ſacrîs è ſcriniis; cùm adhuc VERBUM PATRIS, Carnis expers, adeóq; nondum,* in Compoſito, *CHRISTUS eſſes: talis, ajo, Tu jam à* diebus Æternitatis *eras. Tu, (Barúchi ſcribæ ſtylô,)* DEUS noſter; adver-

adverſus quem, Deorum alius nemo quiſquam æſtimari poſset, & auderet. qui Diſciplinæ viam omnem adinveneras; quam Iſraëli, dilecto *tunc tibi populo*, tradideras: *Verbum, ac Sapientia Patris, in excelſo Cœli throno.*

POST HÆC autem, IN TERRIS VISUS, CUM HOMINIBUS CONVERSATUS ES. Et, quod erat in principio Verbum, apud DEUM, Deus ipſe de Deo, Deus verus è Deo vero; *ſub Auguſto Principe, princeps ſæculorum, conditórq; Spirituum univerſæ Carnis; Caro factus, & hominem indutus Deus es: & inter nos habitâſti.* Cujus nos Gloriam, homines, vidimus: *Apoſtoli quidem, & coævorum oculi*, coràm: *nos autem eminus etiam hodie, poſt Sæculorum prope ſeptendecim evolutionem, lumine FIDEI clariſſimô: GLORIAM*, tanquam Unigeniti, *procedentis è Divinitate Patris; ortu, ſemper durante, ſemper duraturô, ſempérq; tamen* hodiernô. *Vidimus*, plenum Gratiæ, Veritatis, *ac Sapientiæ*: doctorem, *datum* gentibus; præceptorem populis; *Regulam legémq; moribus*: *quæ* Sobrietatem doceret, & *in agendis* prudentiam, *ac* Juſtitiam, *&* Fortitudinem: quibus in vita nihil utilius eſt humano generi.

Vidi-

Vidimus denique ſummatim, Regem in decóre ſuo, *vultu veſtuúq; radiantem & candentem, ſupra meridiani Solis, & intactæ nivis jubar, ac ſplendorem : Regem pariter, ac Pontificem ; ſub cujus cidari* Sacerdos *eſt*, Melchiſedécô *venerabilior : in cujus* Rationali, *pectoréq;, latent ac patent, (pro diverſitate contuentium,)* Omnes theſauri Sapientiæ Scientiæq; DEI.

Pròh, quantum itineris, & impenſarum, inſumpſit Makéda *quondam, illa Sabæorum Auſtralium regina ; quò* Salomonem *aſpiceret, exploraréıq;, Davidis filium ?* Et, ecce, Pluſquam Salomon hîc! *Sapientia quippe Divina, Sapientiâ mortalî quâvis ſupereminentior.*

Fidem victoriæ comparationis hujus adſtruxerunt innumera, quorum narrationibus repleri libri, libríſq; mundus, poſſet, Specimina, *quibus cognoſcendis ex Evangelica ſchola*, Makédâ *feliciores, ejus tamen imitatrices, pluſquam una Regina, Princeps, Imperatrix, à finibus terrarum feſtinantes, inhiárunt. Alexandri Severi mater*, Mammæa ; *Conſtantini Magni genitrix*, Helena : *Diocletiani conjux*, Serena ; *Saracenorum regina*, Mauvîa : *Cæſaris Othonis Magni conjux*, Alhaydis : *memoriâ patrum noſtrorum, Regina Tangi*, Gratia ; *reginéq;*

ginâq; Bungi, Julia: *meâ vero memoriâ, regina Georgianorum*, Catharina, *vicina Colchis. Omnes hæ, Sapientiæ* novi-Salomonis *noſtri, pars catechumenæ, pars auditrices Evangeliorum, ac diſcipulæ.*

Nempe, documenta diſcebant, & dicta factáq; mirabantur, Sapientiæ *cœleſtis increatæ; creatas in aures ſeſe, per labia corporea, diffundentis; ídq; jam tum præſtare ſolitæ, teneris ab annis tuis, REX Judææ palmiferæ; quæ regio, ſicuti* ſola terrarum *ab exortu mundi* balſamum, *ità ſola miſſum à Deo* Meſſiam, *id eſt*, unctum, *&* Chriſtum, *ediderat; Victorem mortis ac Tartari futurum. Audiebant, legebant, credebant, Animæ ſexûs utriuſq; dociles, & piæ (propter ſenſum, æſtimationémq; Tuæ* Divinitatis, *omnes, & omnia, penitiſſimè cognoſcentis,) Tuæ Majeſtatis* Infantiam, *adoratam à Sapientibus ac Magis Orientis eſſe.* Pueritiam item duodecennem, *ſtupori fuiſſe templi doctoribus*, ſuper reſponſis ejus, & prudentiâ. *Sub hac, ætatem Tuam teneriorem univerſam, proficere quotidie viſam eſſe, maturitate ſenſuum, ſapientiâ, gratiâq; divinis, & humanis in oculis. Annis virilibus, ſuſpendentem potentiâ facundiæ multitudinum agmina; miniſtróſq; lividorum Pontificum, adeo poten-*

tentiâ captos verborum Tuorum ; ut dicerent, Nunquam locutum ſic hominem eſſe, ſicut Hunc Hominem *(quippeni ? nam Hominem-Deum). Ut item, abſtruſiſſima* De regno fortis-armati, *déq; pulſi Sathanæ reditu, Te diſſerente, palàm attonita mulier in hæc verba vocem extolleret, quibus* Beatum *prædicaret* Uterum, qui te portâſſet ; & Ubera, quæ ſuxiſſes. *Quando præterea, de CHRISTI patre motâ quæſtione, turbam æmulorum, ſub unum eundémq; temporis articulum, & in deſperationem adduxiſti reſponſionum ; & in diffidentiam ulteriorum de dubitabilibus interrogationum. Quando* Sadducæis, *de Septem-maritorum uxore cavillantibus, ſuper certitudine corporum, in vitam rediturorum, ſic* obturâſti *petulans* os ; *ut, muti diſcedentes, qui* Spiritum non credebant, *Spiritum præ ſtupore nec haberent. Quando, ſub idem ferè tempus, divinorum interpretes, & Moſaici ſynedrii ſenatores, de matrona, recèns in adulterio deprehenſâ, pœnæ ferre ſententiam jubentes, & urgentes te, ſpe ſuâ dejecti ſunt ; ac ſententiam reportârunt,* Utì, qui peccatum non haberet, lapidandi jus haberet : ac mœcham primus omnium plecteret. *quibus fulminati verbîs, ac ſiderati, diſcedebant ; alius ſub alium ; in egreſſu*

egreſsu cæterîs priores, qui cæteros antecedebant annîs: muliere verò per illos (quippe, factos elingues,) indemnatâ.

Multa verò talia, REX admirabilis, ſunt alia, Sapientiæ, pluſquam cœleſtis, reſponſorum Tuorum Oracula. quorum, cæterîs interim præteritîs, in præſens, (quoniam in rem, & meam, & publicam eſt,) diſſimulari non debet Unum *quoddam, & eminens. Circumſtabant, in templi Salomonæi (reor) propatulo, cingebántq; Majeſtatem Tuam*, tentantes, ut in ſermone te caperent, *hinc quidem lippîs oculîs, tremulîsq; labiis, & in acumen erectîs auribus*, inveterati malorum *Phariſæi, malèquieta gens: illinc verò, magnifica togîs & fimbriîs, capitibúsq; turbinatîs, Herodis Aſcalonitæ poſthuma ſecta, palatiorum inquilina turba: rogitantes (ut, extortô reſponsô, Te* Rex, *in neceſſitatem adigerent offendendi, vel Imperatoris Tiberii Romæ, vel Judaicæ plebis, Jeroſolymæ)* Cæſaríne dare cenſum liceret, nécne? *ſic videlicet habituri, quod vel hîc calumniarentur, vel illic.* Cognitâ *Tu, qui nôſti cunctos*, hypocritarum *illorum* nequitiâ; *petiſti numum, tributorum penſioni cuſum.* Obtulêre denarium. *Interrogati, ſuper imagine numi vectigalis, ac ſuper imaginis Inſcriptione, Juréq;*

Jureq; dominicô, cùm reſpondiſſent, Cæſaris eſſe: *reddidiſti Tu ſuam illis vocem; & addidiſti, de Te Patreq; Tuo, tuam:* REDDERENT ergò CÆSARI, quæ Cæſaris eſſent; &, quæ Dei, DEO: *nec ultrà diſputarent.*

O, non tam ceris chartiſq; diffluxuris, quàm Scutis adamantinis, *inſcribendum apophthegma!* Juſtitiæ *pariter, &* Sapientiæ, *plenum!* Juſtitiæ; *Quia DEO Magiſtratibúſq; tribuendum, quod cujuſq; proprium eſt, Prophetarum etiam & Apoſtolorum conſonæ voces inclamant:* Facere judicium, & Juſtitiam; & ſollicitum ambulare cum DEO noſtro. *Præſtandum omnibus*, quod cujque debeatur: cuj tributum, tributum; cuj vectigal, vectigal; cuj timor, timorem: cuj cultus ac reverentia, cultum, reverentiam, latríam. Sapientiæ *verò* plenum, *& acuminis, ideò fuit, illud axioma tuum.* Poſuerant *enim Inimici tui*, laqueum pedibus tuis, & rete *venatorum* verbis tuis; ut in ſermone te caperent: *& captum, vel Pontio traderent, vel Pontificibus; utcunque reſpondiſſes.* Dirupiſti vincula; contriviſti laqueum: *diſcidiſti rete. Soſpes, & indeprehenſus, ſycophantis illis implicitis, explicuiſti Te, perfidiæ triumphator.* Non

potuerunt (*inquit Antiochenus Evangeliſtes*) verbum ejus coram plebe reprehendere: miratique reſponſum, *abierunt*, & tacuerunt. *Ut proinde meritò, fidiſſimus Tuæ Majeſtatis cultor quidam, Pictavorum in Galliis Epiſcopus, in hæc exclamet:* O, plenam miraculi reſponſionem; & perfectam dicti cœleſtis abſolutionem! Sic, inter contemptum ſæculi, contumeliámque lædendi Cæſaris, omnia temperavit; ut devotas DEO mentes curîs abſolveret: cùm Cæſari, quæ *Cæſaris* eſsent, reddenda decernit. Si namque rebus Cæſaris incubamus; ſi jure poteſtatis ejus utimur: extra querelam eſt injuriæ, Cæſari redhiberi, quod Cæſaris eſt: DEO verò, quæ ſunt ejus propria, reddi; Corpus, Animam, Voluntatem.

Hoc Sapientiæ cœleſtis, id eſt, Tuæ, rex CHRISTE, *Majeſtatis*, Decretum, *æquitatis & ingenii pleniſſimum; ab Hilario tantopere laudatum; à Michæa prophetiſq; priſcis adumbratum; à Principibus Apoſtolorum ſubſcriptum; ab utriuſque Juris conſultiſſimis ſubſignatum*, Reddere Cæſaribus, *& utriuſque fori Summatibus, quæ Cæſarum ac Summatum ſunt; & DEO, quæ Dei ſunt: Hoc, inquam, Edictum, ſi religioſiùs ſemper obſervâſset, tum*

Omnis

Omnis Anima *cætera*, poteſtatibus ſuperioribus ſubdita; *tum quidam*, Septennium *hoc meum* Tertium *ingreſſuri, terrarum præſides, erga Sublimiora sê capita: ſi gentes, & populi, ſuos erga Principes; ſi Civitates ac respublicæ, ſuos erga ritè-creatos magiſtratus; ſi Comitia conventúsq́; ſuos erga rectores ac directores legitimos; ſi Curiarum & aularum adminiſtri, ſuos erga Leones, lilia, roſas, Aquilas: ſi profanus denique grex, erga Sacrorum cuſtodes, & imbellior ſexus, erga bellicoſiorem ac præſtantiorem, ante mentis oculos ſibi ſtatuiſſet: non utique vidiſset* Annorum hebdomas *iſta, non Tui, Rex, oculi, levatum, de vaſtatis ſacris, impium in Aquilone tropæon, & gaudium: non Marcum Antonium de Dominis, Eccleſiæ deſertorem: non Lucilium atheum, etiam in ſupremis adhuc blaſphemum; non Polonum regem, virtutis ergô, pæne ſicariorum victimam. non Francoforti Vormatiæq́; plebem, Judæorum cauſſâ tumultuantem; Delphiam, mulierculaerum furiîs agitatam; Pragam, à turbatoribus ad extrema prope deductam; Regiam Gallicanam, Ancræanâ cæde diſtrictam: non regna Septentrionis, Imperii terris alliſa: non Turnium denique, Mansfeldium, Gáborem, turbamenta regnorum volitantia, ſpectâſset Mundus. Quin*

& urbes quædam, & oppida, nunc ruinis ſuîs, vel obruta penitùs, vel certè ſemiſepulta; ſtarent fortaſſis, *ac florerent*, in hunc uſque diem: *ſi valuiſset apud eos, & viguiſset, Pontificum, regum, legum, Obedientia. Non nutáſsent juga Cedríq; Libani. non durarent, annoſiora Trojanîs obſidiîs, Germaniæ bella. Manſiſset in tranquillitate locus Aquilæ:* ſediſsétque populus tuus in multitudine Pacis, *ſuper Rheni, Danubii, Multaviæq; flumina. Nunc autem*, Conturbatæ ſunt, *ecce*, gentes; *&* inclinata ſunt regna: mota terra. *Moábus quoque Moabum infeſtans: & omnis Moabus ululans. nec eſt, qui* ferream *ætatem noſtram* aureo *Pacis ſæculô commutet; niſi Tu, medias etiam inter acies REX* pacifice, *Salomonéq; millies* Amabilior. *Tu, Salomonis ejuſdem teſtimoniô, Sapientiæ dux, & lux es:* Sapientium emendator. In manu Tua, nos, & Sermones noſtrûm omnium; & omnis Sapientia rerum gerendarum, & operum Scientia, morúmque diſciplina, *ſedet.*

Ecce, verbîs, plerumque non meîs, *ſed Sapientiæ biblicæ, ſed cæterorum codicum ſacrorum, hoc eſt*, Sermonibus Dei, *Tuæq; Majeſtatis, dum hunc Tibi laborem meum nuncupo, TE*, Rex gloriæ, *ſum allocutus*. Sermonémne

némne *mihi* Compoſitum, *ſicut apud Artaxerxem Ediſſa, dederis in os calami mei*; Tuum *eſt, pronuntiare. ſcire*, meum *non eſt*. *Id ſcio: cùm, Ediſſa more* trepidans, *accederet Solium Tuum anima mea rea*; fiduciam *concepiſſe me, talem ferè, qualem* Ediſſa, *compellandi TE: ſpémq;, quod peterem, impetrandi*. Vidi namq; te, Domine, *non* tanquam Angelum, *ſed Angelorum, & Univerſi, monarcham*. Valde tu, Domine, mirabilis es: & facies tua, plena gratiarum. *Unam, è Gratiis his, nobis, & Europæ Tuæ, largire. DA PACEM*, Domine, (*ſed TUAM*) *in diebus tandem noſtris, jam* Regnans; *qui* Pacis otia *largitus es Auguſti temporibus, adhucdum* Naſcens.

Majeſtatis Tuæ Divinæ

Cultor, & adorator humi-ſtratus:

Septenniorum ſcriptor.

APPROBATIO R. P. PROVINCIALIS.

JOANNIS BISSELII, è Societate JESV, Ætatis noſtræ Geſtorum Eminentium MEDVLLÆ HISTORICÆ, per aliquot Septennia digeſtæ, SEPTENNIUM TERTIUM, à deputatis Patribus cenſum, probatúmq;, Ego JOANNES EVANGELISTA THANNER, Societatis JESV per Superiorem Germaniam Præpoſitus Provincialis, pro poteſtate, à Patre Noſtro JOANNE PAVLO OLIVA, Univerſæ Societatis JESV Præpoſito Generali, acceptâ, in lucem & typum dari permitto. Fidem facio chirographo, & officii mei conſueto ſigillo. Monachii, Calendîs Auguſti. ann. 1675.

JOANNES EVANGELISTA THANNER.

SEPTEN-

Digitized by Google

SEPTENNIO III.

MEMORABILIORA continentur,

Colchi, ſacrîs exculei.
Berlini ſeditio.
Tormentorum bellic. director.
Martyrium Americanum.
Delphtenſium mulierum ſeditio.
Vormatienſes turbæ.
Judæus furaciſſimus.
Francofurtenſes ſeditioſi, plexi.
Bellum Iſtricum.
Vinum Malvaticum.
Schach-Abas Perſa, perſecutor.
Achmetes Turca, extinctus.
Rex Bohemiæ electus, legitimus.
Arminiani & Gomariſtæ, præliantes.
Jubilæum Proteſtantium.
Ancræi Marchion: & uxoris, interitus.
Novus Turcarum Sultanus.
Pragenſium Procerum præcipitium.
Comes Sláwata.
Plurſium, obrutum.
Cometa dirus.
Comes Turnius.
Frideric. V. Palat. tractus ad Coronam.

Iconoclaſmus Pragenſis.
Gabor, & Mansfeldius, faces Martiæ.
Arminiani, Bataviâ pulſi.
Barnefeldius plexus.
Regina-mater, Gallic. profuga.
Lucilius atheus, exuſtus, ob ſcelera.
Leonard. Chimura, pro Chriſti cauſa exuſtus.
Sigiſm. III. Poloniæ rex, pæne occiſus.
Pragenſis pugna, & victoria.
Marci Anton. de Dominis, animi caſuúmque varietas.
Hugo Grotius periclitans: & mirè liberatus.
Apoſtaſia anonymi.

Æquo Lectori.

IN Septenniis *prioribus, non me feſellit, futuros, quibus, ſicuti Delectus argumentorum, labórque noſter, aliis probaretur, ſic illis nauſeam moveret, ac ſtomachum. Id adeò, more ſuo, Cenſorina faciunt ingenia: nec ullo magno rei molimine. Quotus enim quiſq; non, vel ipſius Homeri tubam Ariſtarchus, vel Herodoti chorum Muſarum hiſtoricum Lucianus, (nedum minutias has) difflare celeriùs unius horæ triente poteſt, querulô rhonchô; quàm annorum multorum florilegus in Hymetto labor congregare? Nos tamen, his nihilô ſegniores, ad* Septennium, *ecce,* Tertium *progredimur; de favore populari parùm ſolliciti. Nam, hujus auctor Operis id ſibi propoſitum nunquam habuit, OMNIBUS ut placeret; ſed id ſolum, NE NULLI.*

Annus

Digitized by Google

Annus M. DC. XV.

Anni M. DC. XV.
Geſtorum
SYNOPSIS.

I. QUÆ flumina taciturniùs incedunt; ea plerumque plus voraginum celant, quàm ſtrepitu minentur. Talis & hujus Anni, qui noſtratis Sæculi *Septennium tertium* orditur, frons & hypocriſis eſt. Europæis gentibus, plus armorum in fundo vehit; quàm in aperto ſtatim oſtentet. Ità nempe *Mundus* tunc *amabat*, *decipere*; dum *decipiebatur*: ac videlicet, ad nos parùm admodum pertinere putabantur bella, geſta quidem; ſed in remotis valde terrarum orîs. ínitis autem in propinquo conſiliis, coactíſq; conciliabulis, (verùm, in incertum fortaſſis, & ſeriùs, exituris,) minus ineſse periculi, credebatur, quàm ſuſpicionum, ac frementis rumoris. Tanquam verò non, & prœliorum tempeſtates,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

eminus mugientes, tandem aliquando fieri viciniores, ac ſævire cominus, queant: & multa concilia latebroſa, publicam demum unam in cladem poſſint, eámque celerem, erumpere. Ne multa præloquamur, ante factorum narrationem: perſpicacibus in republica, nihil aſpernandum temerè; nihil nimis minutum apparere debet. Magiſterio nobis, ad prudentiam, futurorum temporum viciſſitudines erunt; ſicut exponam.

II. In *Sarmatia* cùm factioſorum ferè quinquaginta, *Sigiſmundi* regis in caput conſpirantes, ſcelere per indicem patefactô, deprehenſi demum eſsent; Varſaviæ palàm pœnas, hôc ipſo dederunt annô, circa floridiſſimum anni tempus. Horum metu ſolutus rex, & periculi domeſtici jam ſecurior; ductore copiarum *Radzivilô*, decem millium exercitum, filio *Ladislao*, propediem ſubſecuturo, præmiſit in *Moſcoviam*: terras illas urbésque, niſi Ladislaum è vetere pacto reciperent, ad deditionem, obſidiîs ac populatione, compulſurum. Et hi quidem Moſcos, & Ruſſiam, à partibus, ad meridiem occaſúmq; ſitîs, incurſabant. A tractu verò, ſuprà Balticum mare, Boreali, deſcendens Sueci-

Digitized by Google

Suecicarum ductor copiarum , *Pontus Tellagardus* : auſpiciîs ac voluntate ſui regis *Guſtavi*, multa Moſcis, ſub hoc ipſum tempus, oppida ditionésq; decerpendo ſurripiendóq; ; paullatim eam , quam poſterîs deinceps annîs in Germaniam Imperiúmque ſibi rex ille ſumpſit , viam & animoſitatem ingredi tentavit ; ut alienam nempe felicitatem omnem , ac victoriam , ſuam arbitraretur imminutionem , & injuriam. Cognitis enim Polonorum ſecundîs rebus , ac ſucceſſibus ; *Pontus* per fecialem, ſpecie monentis, deterrere Sarmatam conatus eſt, ab ulteriore Moſcoviæ ſubigendæ progreſſu : *quippe , quam ipſe jam , nonnihilô prior, & majore parte terrarum , occupare fuiſset orſus. Si Suecus Poloniæ poſſeſſionem nuſpiam involaret, neq; commodis & dignitati Sigiſmundi regis obſtaret: ſanè, neq; Sigiſmundum , aut ejus copias, oportere regis Adolphi Guſtavi fortunis officere ; vel in jure ſuo victores, dominóſq; vetuſtiores, impedire : ſed potiùs, ſi conſultum utriſq; partibus vellet , in commilitium Suecis accedere ; junctîsq; contra communem hoſtem armîs , Tellagardi proſperam militiam pro viribus, & omni conatu, promovere.* (1) Quibus monitîs, & auda-

Anni Acta.

audaciâ, Gothus ille, jam tum abunde præludere, non magìs ſui Regis, in futurum tempus, *conſuetudini* viſus erat; quàm gentilium ſuorum, expeditionis transmarinæ miniſtrorum, *ardori*: qui provincias & respublicas externas aliquando, non ad majorum ſuorum leges, ac morem antiquiſſimorum ſacrorum, ſed ad ſuum cujuſque præſcriptum, & arbitrium, eſsent adſtringere conaturi. quô proinde futurum erat; ut, quot ex Aquilonis regno Gothici Martis *adminiſtri*, Sarmatis, Danis, ac Germanis, immitterentur; totidem Auſtrínis terris, & imperiis, transmarini forent *imperatores* novi ſuperventuri. Tales nos, aliquantò pòſt, Ochſenſternios ſenſimus, & Hornios: tales, Vrangelios, Bannierium, Torſtenſonium & Wittenbergium, Suecici ferè nominis, ac ſanguinis; quaſi *Ponti Tellagardi* poſthumas *umbras*, & regis Guſtavi *Manes*. Omnes enim hi, vel eorum certè plerique, vetuêre, ſuîs in terris Reges, ac Cæſares, uti jure ſuô: cùm inter hæc ipſi jus ſibi ſuum cudere niterentur in provinciis, tunc partim nondum ſuîs; partim verò ſemper alienæ metæ futuris.

III. Sed

Digitized by Google

III. Sed nimirum, *Facile fuit exteris, continentis interioris, fluctuantem jam antè, ſtatum pacémq; convellere*: cùm eſsent in ipſis Imperii Germanici viſceribus, & Proceres, & Civitates; quibus, ab occultis, contra rem & concordiam Catholicam, coitionibus, inauditum antehac Latio *participium*, id eſt, *Correſpondentium* (utì Septenniô ſecundô dicere cœperamus) nomen, à ſeipſis impoſitum erat. Id autem turbamenti genus (ſi præſertim *rem* potiùs, quàm *vocabulum*, ſpectares) ſui ſeminis primam herbam, capútque, protrudere, nec obſcurè conſpiciendum præbere, cœperat jam tum, ab Imperatoris inclyti, *Caroli Quinti*, temporibus: cùm eorum, qui ſe dici *Proteſtantes* geſtiebant, magna pars, niſi *Libertas* ſibi, quam vocabant, urgebántque, *Religionis* novitiæ, privilegiîs quàm ampliſſimîs indulgeretur; nihil, nec ad ſacram, nec ad civilem conferre tranquillitatem, in animum inducebant. non Turcam, junctîs armîs, Hungariæ reſiduæ ditionibus arcere: non equos, non caſtrenſem annonam, non antiquîs Imperii decretîs fixa belli ſtipendia, præbere: nullâ denique propemodum in re Cæſaribus morem gerere velle;

velle; niſi cunctis priùs, aut certè potiſſimis eorum (hoc eſt, ſeditioſiſſimis quibusque) poſtulatis, morem ſe geſturos Cæſares, annuiſsent. Ea ſi negarentur; continuò, vel *Triumvirorum* veterum apud Quirites more, ſibi quiſque, per paria ternionésque, ſeparatim conſilia capiebant; ut Fridericus Saxo, Philippus Haſsus, & Philippus Brunſwicenſis, fecerunt, in belli Schmalkaldici meditationem: vel, (rebellionis minîs, aut nondum maturîs, aut fruſtra conſumptîs,) conjurationes multitudinum in urbium, ſibi placitarum, conventibus extraordinariîs faciebant; Cæſaribus invitîs, & ut plurimùm reclamantibus. Exercuerunt autem id genus ſeceſſiones, ætate noſtrâ, *Rudolphi* potiſſimùm ac *Matthiæ* curias, & tempora gubernationis; toties, ac tam diu: donec audaciæ talis, in mores jam receptæ, nocens exemplum, paullò pòſt *Marcomanniam* quoque, ſociáſque provincias, traheret; ac denique *Ferdinandorum* etiam curas & gubernacula fatigaret; ut in loco dicetur.

IV. His omnibus rerum Germanicarum turbis, non *primum* quidem, ſed *ingens* tamen, & *latè* poſtea diductum, ſæculi no-

Digitized by Google

li noſtratis annîs apertum oſtium erat, in *Comitiis* Imperii *Ratisponenſibus*; quibus, in annum ſæculi præſentis octavum indictis à Rudolpho, morbîs debilî, vicario jure nominéque *Ferdinandus* præſederat, Archidux Auſtriæ, Carinthiæ Styriæq; princeps: is ipſe, qui *Secundi* nomine poſtmodum imperavit. Hunc *Acatholicorum* major pars, propter ejus erga *Catholicos* ritus, quà retinendos propagandósque, quà ſuas in ditiones reducendos, *ſtudium* (ut ipſi cenſebant) *præfervidum*, averſabantur: quidam autem, nec diſſimulanter, etiam *oderant*; tantùm ſaltem, quantùm ſectæ quiſq; ſuæ placita *diligebant*. His igitur cùm Ratisponæ, quo dictum eſt annô comitiôq;, Ferdinandus Rudolphi juſſu, quantâ fieri potuit, lenitate ſeſe daret; ac, propter urgentem irruptionis Turcicæ metum, *Ecqua vires & opes, illi bello pares eſsent, & undénam, ex Imperii facultatibus eruenda, ſperari poſsent*, eis ad deliberandum ſtatuendúmq; proponeret, unà cum *tribus* præterea, difficultatis longè minoris, articulîs: illi viciſſim, *quatuor* Quæſitis iis Cæſareis, *undecim* ex adverſo *poſtulata* factionis *Proteſtantium* opponebant, urgebántque; talia tamen,

Anni Acta.

men, cujuſmodi, ſalvô Juris ac ſanæ religionis jugulô, locum habere nec deberent, nec poſsent: utì de plerisque petitionum earum inferiùs liquebit. Sed apud *Ferdinandum* hi, conſeſsúmque *Catholicorum* cæterum, aures ſurdas invenerunt. Igitur, rejecti tunc in iis, quæ repulſam mereri videbantur, *heterodoxi*; Cæſaris, è contrario, deſiderium auctoritatémque neglectui duxerunt in illis, quæ debitam ac promptam operam requirebant: nullôque, bellicum ad apparatum adversùs Achméten, decretô teruntiô, vel delectûs ſaltem mentione factâ; pariter omnes conventum ſolverunt: &, ex compacto, pérque præceps & fremitum, abeuntes, *Ferdinandum*, *Rudolphum*, *Salutem Imperii* publicam, in ancipiti reliquerunt. (2)

V. Ipſi verò, parvô temporis intermiſsô translapſu, ſuam ſibi Ratisponam, & comitia, ſeorſum *Aſchhuſii* ſtatuentes; pro Rudolpho, gerentéve Rudolphi vices Ferdinandô, Proceres ſui corporis, & ſententiæ, deſignant; fœdus inter ſeſe ſepoſitum compingunt; fœderísq; caput, (*Anhaltinô* Principe, *Chriſtianô ſeniore*, dictante,) *Joannem Fridericum IV.* Comitem Palatinum Electorem,

Digitized by Google

rem, conſtituunt. Quo ductore, quæ publicis in comitiis à *volente* Cæſare nuper impetrare nequiverant; in poſterum, vel ab *invito*, per vim, etiam armatam, extorturos ſe confidebant. In eam verò rem, confeſtim à conventu ſolutô, legationem quoque Pragam ad Rudolphum expediunt; éadem ei, minîs admixtîs, pæne mandantem veriùs, quàm denuntiantem. Cùm autem ea minùs Cæſarem, ac certè lentiùs eorum exſpectatione, permoverent: aliquantò pòſt denuò, (*Suevicam* tamen *Halam* translatô cœtu,) firmius in fœdus conveniunt. quo tempore, jam non per oratores, utì nuper, ſed per imperioſam epiſtolam, *Imperatorem* urgentes, nonneminis (3) temporum horum expoſitoris judiciô, *modeſtiæ leges exceſſerunt*: iíque præcipuè, qui, communî *Proteſtantium* cognomentô jam minùs contenti, quò factionem ſuam ab aliquantillô ſedatioribus diſcriminarent, diſtingui peregrinitate vocis inſtituerunt: & appellari (ſicut expoſitum in ſuperioribus eſt) CORRESPONDENTES, voluerunt.

Id tunc primum audiri cœptum & vocis, & molitionis genus, quo, neſcio quam, *Rei-*

publicæ formam novam expoſcebant in Imperio Romano, Principibus *orthodoxis* neceſſitatem imponere viſum eſt; ſub idem tempus, è diverſo, ſui quoque corporis ac religionis *fœdus*, *Defenſionis* cauſsâ titulôque, feriendi. Cujus fœderis, ſicut *initium* annô ſæculi præſentis nonô Monachii datum, ſic & *caput* ibidem, ſummâ Principum cæterorum voluntate delectum, Dux Bavariæ Maximilianus erat, qui poſtea fuit Imperii Septemvir. Adegerunt autem Orthodoxos ad id, quod dixi, fœdus, non ſola bonorum ac jurium Eccleſiaſticorum, extremè, niſi quàm primùm obviàm iretur, periclitantium, naufragia: ſed etiam (& multò potiùs,) illa compluria *Novatorum*, in *Comitiis* illis, quæ dixi, *Ratisponenſibus* effuſa, poſteáq; ſingulis eorum in coitionibus iterata cumulatáque, *poſtulata*; quæ quidem ipſis, sê digna, *Catholicis* autem, *abſurdorum extrema pleniſſimáq;*, videbantur. Ea cùm crebriùs per hos, quos exſequimur, annos agitentur: haud abs re fortaſſis erit, in cumulum ſemel eorum potiſſima recognoſci; quæ talia nominatim fuerunt.

VI. *Ut Donavverda, nuper, Boici Du-*

cis

Digitized by Google

cis impendiis ac laboribus, ad Cæſaris obſequium reducta, Maximilianóq; donec ſumptus ei refunderentur, tradita; citra moram ullam, etiam ſatisfactione juſtâ nullâ præmiſſâ, reſtitueretur antiquæ libertati, civilis, & ſacrorum, adminiſtrationis.

Ut nec Pragæ *poſthac, nec* Viennæ, *(tanquam, in Regiis Imperatorum,) forenſes ullæ controverſiæ cognoſcerentur; cognitæve deciderentur.* Spirenſe *verò prætorium, quod litium & cauſſarum Imperii totius proprium eſſet, ad cenſuram, & accuratiorem judicandi normam, compelleretur.*

Ut ejuſdem prætorii ſummi Judices, & qui judicibus aſſiderent, numerum, è Catholicis & Acatholicis exactè parem, utrimq; conficerent.

Ut interim tamen, nec ad illud, nec ad ipſum Comitiorum Imperialium ullum tribunal, in poſterum majoris numeri, *ſed potiùs* æquitatis *ſententiarum, haberi rationem, lex eſſet.*

Ut ad eadem tribunalia, vel quævis alia, ſacrorum ordinum præſulibus, ac cœnobiorum Præfectis, eorúmq; cauſſis, acceſſus & actio non eſſet. quódq; turpius & inſolentius; Orthodoxis poſthac Epiſcopis, *nec ſedem ullam, nec auctoritatis excellentiam, atque præjudicium,*

C 2 *reli-*

Anni Acta.

reliquos inter imperii Principes, vel in Comitiis, vel ubilibet, ullîs aliis in conventibus publicîs, Imperii Nova Decreta concederent.

Audaciſſimum autem poſtulatorum omnium, (quorum plura ſupererant) ac magiſtrorum apoſtatarum diſcipulîs planè dignum, plebiſcitum erat; Ut, ex Imperio prorſus univerſo, *Romani Pontificis* omne jus, jurisdictio, reſpectus, ac nomen, eradicaretur: ut in hunc utique modum, capite ſibi decuſsô, Romano-Catholica religio, ne pedibus quidem poſset conſiſtere: paullatímque ſacri Juris ac poſseſſionum gradibus, aliô ſub alium, ſuccisîs, *Clerus* etiam *univerſim* peſsum iret; *larvîs* duntaxat adhuc, *&* *umbrâ Cleri*, ſuperſtitibus. Id, quod annô mox ſubſequente (qui Sæculi noſtri *decimus* fuit), talium poſtulatorum inflati pravîs exemplîs, in *Halberſtadienſi* Proteſtantium conventu, tentârunt ejus urbis *acatholici Canonici*, per abſentiam Epiſcopi: cùm, hôc per interdicta reclamante, conati ſunt, *Jurisjurandi formam*, in cooptationibus collegarum, *prorſus novam*, ac nempe talem, invehere; quâ, qualíve, *Cathedrales orthodoxæ religionis*, ceu conſortionis ejus incapaces, in perpetuum tem-

Digitized by Google

tempus arcerentur. *Canonici*, contrà, legerentur illi ſoli, qui, propter profana ſacra, per Canonum rigorem ſoli juſtiùs excluderentur; aut, ſi multum, ad *canonis militaris* dimenſum (4) ſtipendia facere deberent.

VII. Non tamen tam *novum*, aut exemplô carens, hoc in Pontificem, hominésque Deo ſacros, *Proteſtantium* odium, & contemptus fuit; quin pluſquam ſemiſæculô, jam ante tempus iſtud, in majoribus eorum, audaciâ vix diſſimili præluſerit. Jam tum enim, Auguſtanis in Comitiis, Carolo Quinto præſente collectîs, Imperii Septemvir ille, quem Joanni Friderico Saxoni victo, captóque, Carolus ſuffecerat, exiguam Cæſari Catholicíſque gratiam rependens; piorum omnium ingratiîs tumultuari cœperat: quando, per Oratorem ſuum, *Concilii Tridentini*, ferventem tum vel maximè (ſicut principia debent) curſum, aliâ conditione legéve progredi, vel probari, noluit; quàm, ut, quæ, *Proteſtantibus* necdum præſentibus, acta jam eſſent, ac decreta, tanquam non acta, non decreta, forent, reſcinderentur. Evangelii verò Lutherani præcones, Catholicis in poſterum immixti, quæ ſentirent, inter eos au-

Anni Acta.

ctoritatis *æquali* pondere pronuntiarent: hoc eſt, *Suiſmet de Judicibus judicarent*. Judicum autem ſupremus, PONTIFEX ROMANUS, in ordinem redactus; cenſuræ ſe Concilii, *Verbiq;-Miniſtrorum*, ſubderet: ac ſententiam ferentibus os præberet. (5) Ad quam equidem inverecundiam, ego crediderim, & ipſum tunc nocentium conſcientiarum pallorem erubuiſſe.

VIII. Verùm, ut ad noſtri temporis, eâque præſentis Anni geſtis viciniora, *Correſpondentium* concilia, narratio revertatur: poſt turbulentum illud comitium *Aſchhuſienſe*; poſt *Halo-Suevicum* item & *Halberſtadienſe*, de quibus dictum ſuperiùs eſt: annô rurſus *undecimô* confluxerunt; ſecreta, contra Rudolphi Cæſaris deſtinationem, conſilia volventes, ad *Rottenburgum Tuberanum*.

Paullò pòſt verò, nondum inventâ cogitationum ſuarum quiete, *Norimbergam* ſe receperunt. ubi divaricare Rudolphi Matthiæque fratrum conſenſum, circa ſupremæ gubernationis vel abdicationem, vel acceptationem, occultè conati; benevolentiam alterutrìus erga ſectas ſuas, diviſìs utrimque verſutè ſuffragiorum ſtudiìs, adlaborabant.

Poſt

Digitized by Google

Poſt hæc, rebus humanis *Rudolphô*, (velut annô Septennii ſecundi duodecimô narratum eſt) exemptô; poſtquam in Ratisponenſibus anni decimi tertii Comitiis ægrè ſeipſos, inter minaces adversùm Pontificios quiritationes, continuêre, quò minùs omnia pacis & obſequii conſilia disjicerent: *Hajlbrunnam* poſtea decurrerunt. At, nec ibi tranquillitate repertâ, poſtremò *Norimbergam* iteratò, dum *Annus* hic *quintus decimus* eſt in curſu, ſe contulerunt: ſed *Hajlbrunnam* nihilô ſegniùs, tertiô pòſt annô (ſicut in loco declarabitur), denuò ſecretorum cauſsâ convolaturi. Summa porrò conſiliorum, & querelarum, inter *Correſpondentes*, adversùs *orthodoxos*, omnis ferè conſumebatur in iis aſſiduò cavillis, oneribúsque; quæ, *Ratisponenſibus* primùm in *Comitiis*, anni (ſicut diximus) octavi, paullóq; pòſt Aſchhuſii, ventilârant. quo cœtu, *Joannem Fridericum IV.* Rheni Comitem Palatinum, ſuæ ſocietatis, ceu memoravi, ducem renuntiârant. Cum quo, poſt biennium extinctô, non tamen eſt ſepulta fœderis, & molitionum illarum, conjunctio: potiúsque, vel hôc ipſo præſentis anni, *Norimbergam* factô, concurſu, validiùs

revixit. Id, quod è multitudine, tum optimatum, tum legationum fœderis illius, colligi queat, & affirmari.

IX. Quo locô, quemadmodum operam fortaſſis haud quaquam inutilem præſtitero, ſi *Principum* præſigniorum, & urbium, legatorúmque nomina, (pleriſque cæteroquin eorum, qui ſcripſerunt ante me, prætermiſſa,) poſteris tradidero; fide, quâ cujuſdam è commentariis ea protraxi, qui factionis illorum & ipſe fuit (6): ità meritò confido, neminem eorum, ad quos ea, vel ad quorum majores, pertinent, *Album* hoc *fœderatorum* in partem eſſe contumeliæ tracturum. cùm præſertim nonnullorum ex illis, in annis quoque ſubſecuturis, neceſſaria recurſura mentio ſit. ubi proinde, poſteaquam ſemel jam in acervo nominati cognitíque fuerint, tantò promptiùs ii recognoſcentur. Et alioquin, etſi rationes alias omnes demas, eorum, ſi non omnes, *plerique* certè, conſpirationes illas, quas iis *Pontificii* vitio verterunt, ipſi ſibi, ſuíſque poſteris, décori gloriæ̨que duxerunt: & in eo ſæpenumero, gratìs etiam ultróque, ſeſe jactaverunt. NEMO verò *fœdiorem ſe putat ex eo, quô ſe pulcrum exiſtimat*:

ſtimat: &, vel publicô detrimentô clareſcere volentem, non lædit is; qui talium conſiliorum auctorem in obſcuro verſari non ſinit.

X. In illud igitur, quod diximus, *Norimbergenſe* præſentis anni *concilium*, nomina dederunt, ac *legatos*, è *Correſpondentibus* hi *Principes*.

Fridericus V. Comes Rheni Palatinus, Elector: Joannes Sigiſmundus, Marchio Brandenburgicus, Elector: Chriſtianus, Marchio Culmbacenſis: Caſimirus, Comes Palatinus, Bipontinus: Onoldspacenſis Marchio, Joachimus Erneſtus: Joannes Fridericus, Dux Wirtenbergicus: Fridericus, Marchio Badenſis, *acatholicus*: Mauritius, Haſſiæ Landgravius: Chriſtianus, princeps Anhaltinus: Comes Oldenburgicus, Antonius: Comes Oetingenſis, Godefridus: Comes Lippienſis, Simon II. & Comites Wetteravienſes. *Principatus* inſuper, & diœceſes, ab heterodoxis inſeſſæ: *Ducatus* putà Luneburgenſis; Pomeraniæ regiones; Brunſvicenſium Wolfenbutelanus tractus; & ditio Mindenſis.

Ex *Urbibus* autem *Imperialibus*, Argentoratum, & Norimberga: Lubecca quoque, Spira, Wormatia, Schweinfurtum, Hajlbrun-

Digitized by Google

na, Nördlinga, Rotenburgum ad Tuberam, Winshemium, ac Weiſsenburgum Nortgoicum; & è Suevia, partim urbes, partim urbium quædam breviaria: Magna ſatìs, Ulma; minor, Aala; (7) Gienga, Bopfingáque, minimæ: mirúmque, ni tunc quoque (velut aliàs interdum éadem ſenſerunt) & Lejppa, vel Iſnæ *bes?* (†) Sed quid intereſt, *exigua* quæpiam, an *ampla* ſint, oppida; quando ſemel in poteſtatem ſuperiorem, ut tunc in Matthiam Cæſarem, inſurgi cœptum eſt? *Ad turbam faciendam, ac numerum, etiam Parva conferunt. nulláq; tam modica communitas eſt; cuj ſua, ſeu vera, ſeu ficta, non immodica videantur, injuria.*

XI. Cæterùm, omnes hi, non *coràm*, ſed per *legationes* tunc *ſolas*, (nec tamen ſedátiùs vel ſegniùs, ac ſi præſentes fuiſſent ipſi,) ſuum egêre, contrà partes Pontificias, Matthiámque, negotium.

Palatinum igitur Electorem, *oratores* ſupplêrunt; Joannes Engelbertus, è nobili Lauterenſium familia: duóq; præterea Jureconſulti, Michaël Lœfenius, & Ludovicus Camerarius. Electorem Brandeburgicum, Valentinus Selbizius, tribunus militaris; & Simon

Digitized by Google

mon Ejſenius, tabulario præfectus. Marchionem Culmbacenſem, Wolfgangus Philippus Groſsius, è nobilitate Trockaviorum; & Joannes Baptiſta Braunius, jureconſultus. Palatinum Bipontinum, iidem, qui legatione Palatini-Comitis Electoris fungebantur: & Marchionem Onoldspacenſem, iidem, quibus & Electoris Brandeburgici commiſsæ partes erant. Wirtenbergicum Ducem, Jureconſulti, Sebaſtianus Faber, à ſcriniis principis; Vitus Brejttſchwertus; & Joannes Chriſtophorus Luzius, à ſecretioribus conſiliis. Badenſem Marchionem, Joannes Reinhardus Mosbachius, è ſtirpe nobili Lindenfelſiorum; Pforzhemio, Superioris titulô, præfectus: ſociô legationis, Joanne Rupertô Buſchlinô. Landgravium Haſsum, Volpertus Riedeſelius, ſtirpis Ejſenbachianæ, *mareſchallus* hæreditarius; Reinhardus Schæfferus, jureconſultus, & tablini præſes; ac Lubertus Sartorius, à conſiliis arcanis. *Princeps* autem *Anhaltinus*, eundem, quem ſupra dixi, *Ludovicum* miſit *Camerarium*: nequis adeò miretur, in Arce curiâque Palatinatûs ſuperioris AMBERGENSI, cogitationum *Anhaltinarum*, ac *Palatinarum*, unam ac jugem fuiſ-

fuiſſe, *Camerarianos* ad folles, fabricam & officinam. quæ res, illi libro poſtea, quem ANHALTINAM CANCELLARIAM auctor inſcripſit, tituli præbuit occaſionem.

Luneburgenſes autem, Mindenſes, & Razenburgenſis *epiſcopus*, Julium miſerunt, nobilî Bulanorum domô genitum; & Ericum Hedemannum, Juris peritum. Brunſwicenſes tractûs Wolfenbuttelenſis, Hermannum Diezérum, cognomento vulgatiore Schluttérum; & Julium Reinhardum, à conſiliis aulicis. Pomerania, Matthiam, nobilitatis Korenzianæ virum, familiæ verò Nejdeſianæ; cum Antonio Schwezko, ſecretorum participe. Comes Oldenburgicus, Robertum Hackhium, legum interpretem: Comes Oetingenſis, Ludovicum Müllerum, tabularii præſidem: Comes Lippienſis, Joannem Adamum Hammerſtenium; & Joannem Erpium, Brokhuſium, Juris ſcientem. Comites denique Wetteraviani, Philippum Henricum Hoën; ac Philippum Walterum Herbornium, Juriſconſultum.

XII. At verò *civitates* quoque, quas ſuprà memoravi, pro ſe ſingulæ, legârunt: Argentina, Matthiam Stœffelinum, Conſulem (8):

lem (8): Franciſcum Rudolphum Ingoldum, ſenatorem; ac Joannem Fridericum Fabrum, Jureconſultum, & cauſsarum patronum. Lubecca, Joannem Brambachium, arcanorum urbis arbitrum. Spira, Jacobum Amandum Rumetſchium, conſulem ſuum; Franciſcum Juchertum, ſyndicum, & cauſsarum actorem; & Chriſtophorum Lehemannum, urbis ſupremum ſcribam. Wormatia, Paulum Rennecampum, Juris peritum, ac ſecretorum urbis arbitrum; cum Joanne Georgio quodam, Ormannô. Schweinfurtum, Georgium Spanum, ac Martinum Rodérum, ordinis ſenatorii viros; Paulum Brucknerum, Jureconſultum, & cauſſidicum; ac Joannem Heberérum, ſcribam urbis ſupremum. Hejlbrunna, Simonem Wejnmannum, conſulem; ac Georgium Spizerum, juris, & arcanorum urbis, peritum. Nördlinga, Gaſparem Heyderum, urbis conſulem; ac duos cum eo cauſſidicos, juris ſcientiâ claros viros, Georgium Hehérum, & Jacobum Killingérum. Rotenburgum ad Tuberam, Michaëlem Rejchshoferum, & Joannem Bezoltum, ſenatores urbis; cum Michaële, cuj *de monte* nomen ac genus, Juriſconſultô. Winshemium, Georgium

gium Hagénum, & Joannem Hofmannum, ordinis utrumque ſenatorii: cum Philippo quodam Herbſtio, ſcribâ civitatis primariô. Wejſſenburgum Nortgoicum, Joannem Mumprechtum, ſenatorem; & Vitum Rœthium, ab arcanis ſenatui, Juris ſcientem. Ulma, Joannem Schadium, ac Sigiſmundum Schlejcherum, ſenatores; cum Hieronymo Schlejchero, cauſſarum patronô. Pro Gjengenſibus & Aalenſibus, iidem ipſi locuti ſunt, oratores Ulmenſes; ad id ab oppidulis illis conducti. pro Bopfinganis verò, Georgius Hehérus, Juris peritus; & Fridericus Enslinus, urbicus archigrammateus. Non miſit è longinquo *Norimberga*, ſed è ſinu ſtatim ſuo, natos intrà ſepta murorum ſuorum, illi comitio dedit; qui proferrent civitatis ſenſum: Andream Im-hofæum, & Chriſtophorum Lœffelholzium; Burckardum item quendam, &, famâ ſcientiâq; rerum agendarum notiorem, Oelhafæum.

XIII. Hi tunc, *acatholicarum* partium, ſub exeuntem *Anni quintidecimi* Januarium, conſediſſe, querimoniarum cauſſâ, memorantur: nec aut plures, aut alii, quàm, quos retulimus. Unde conſtet; procùl ab his moti-

motibus, vel conciendîs, vel adprobandîs, *Saxonem Electorem* (qui tunc *Joannes Georgius* erat) abfuiſſe; tantóque magìs, quantò fortiùs idem, eodem ipſo tempore, *Proteſtantium* nonnullis, è factione *Correſpondentium*, ſcriptîs *apologeticîs* obviàm ivit; qui recèns, in Hajlbrunnenſi concilio, libellum querulum ad Saxoniæ Septemvirum expedierant: in quo, temporum illorum motus omnes, & expeditiones militares, in *Ordinum Catholicorum* invidiam rejecerant; *tanquam in id unum acriter intentorum, ut & Germaniæ libertatem, & puram verámq; Chriſti religionem, extinctum irent in Imperio.* Negavit enim *Elector*; eô nomine vel ſibi *Catholicos* imperii proceres ac *Status*, vel cujquam alii, verè rem æſtimanti, ſuſpectos eſſe debere, vel poſſe. (9)

Non abfuerunt autem ab his *Correſpondentium* conſultationibus poſtremîs, oratores Britanni, Dani, fœderíſque Batavorum feciales. (10) Diſceſſum eſt tamen, & hinc, animîs, haud quaquam ſedatioribus; donec hi motus tales, totiéſque repetiti, non poſſent demum in graviſſima, quæ ſecuta ſunt, bella non erumpere: ſæviente nempe, dies noctés-

Anni Acta.

noctéſque, turbulentorum in ſtomachis, *Ratiſponenſium*, ſub Ferdinando (Rudolphi vices agente) comitiorum, & *Aſchhuſienſis* conciliabuli, poſtulatô, compactîſque: *Proſcribendum* videlicet *imperiô totô Papam* eſse: *formam adminiſtrationis, & legum, novam introducendam, in Civilibus: ac, niſi, quæ petita ſint, à Cæſaribus impetrentur promptis, & volentibus; eripienda demum, & nolentibus. Quæ ſi tamen ipſa minùs tandem ſuccederent: tum enimverò fœderatorum, & unumquemq; pro ſe ſingillatim, & in commune tandem Univerſos, rebus fortunisq; ſuis, vi viáq;, quâ nôſsent, ac poſsent, eſse conſulturos.*

Hiſce, ſimilibúſque talium, aliîs conjurandi gradibus, proceſsum eò ſenſim eſt; ut in ſummum demum apud *heterodoxos* odium; quódque gravius erat, in exſecrationem, *Catholica* non modò *pietas*, ſed ipſum adeò nudum *nomen*, ac *vox*, adduceretur. quódque nobis ſupervivendô contigit, & experiri, proh dolor! luctuoſum fuit; eò rerum ventum eſt: ut in illo Francofurtenſi *Proteſtantium*, eóq; populoſiſſimô, conciliô, (quod *Ochſenſternius* annô ſæculi noſtri *triceſimô quartô* rexit,) unius aut alterius cujuſdam è *legatis externis* (11) impro-

Digitized by Google

improbô labore, duriùs premeremur: ac nempe, Batavia, Britannia, *circuliq;* (quos vocant) populorum ſex, Saxonicus, inquam, inferior ac ſuperior, & uterque Rhenanus ac Suevicus, & Franconicus, cum *transmarinis Acatholicis* ſocietatem compingerent: ictôq; cum eis fœdere, ſectarum progreſsum liberrimum, ac bonorum Eccleſiaſticorum retentionem, promoverent & ſtabilirent: *rem* verò *Catholicam*, omnémque Domûs *Auſtriacæ* potentiam, quantum in ipſis eſset, oppreſsum irent. Hæc, & horum ſimilia, ſtylum acuerunt exteri cujuſdam; ut in hæc prorumperet ſuſpiria ſatyrica: *Talium Germaniæ fructuum (dum gentes quædam, ac civitates, vivere diciq; LIBERÆ contendunt, & Imperiales eſse, quàm Imperatoriæ, malunt) tales hi Conventus ſeminaria fuerunt.*

XIV. Sed his nunc alienigenarum querelîs, in ſua tempora dilatîs potiùs, quàm abjectîs; ad ea, quæ ſunt hujus anni propria, feſtinemus. quorum, ſeu *religionis* prælia, ſeu *caſtrenſia*, conſideremus: fatendum eſt; utcunque clementiùs, cum *pleráq;* Chriſtianæ poſseſſionis *Europâ*, quàm cum *Orientis* eſse populis ac terrîs, actum. In *Tur-*

D *cam*

Anni Acta,

cam & *Perſam*, alternîs bellantes, *armorum* potiſſima tempeſtas incubuit. qua neceſſitate ſubactus Sultanus *Achmétes*, conſilia nonnihilô modeſtiora cepit: ideóq; fœdera, quæcunque cum quibuscunque potuit, & cum noſtris potiſſimùm, inſtaurare ſollicitus; amicitiâ Chriſtianos quoque *Colchos*, (qui ſacrorum ritu Georgiani ſunt) ſibi conjunxit; & à Perſis illos eâdem operâ ſejugavit. Quam tamen à Perſa defectionem Colchos haud impunè tunc in ſe ſuſcepiſse; poſterus oſtendet annus. Nunc interim hîs ſe fœderibus, ac belli ſocietatibus, Achmetes circumvallabat; quòd eum undique, non Coſacci ſolùm, & Arabes (qui *regem* ſibi legerant,) ſed multò maximè rex Parthorum Perſarúmque *Schach-Abas*, cum Prætoribus quibuſdam, prætorúmve cæſorum filiis, Turcæ rebellibus, aſsultabant.

In his eminebant, primùm *Amiræ Sidonii* (12) filii; qui nuper admodum, expeditionis ſociô *Schach-Abâ*, Damaſci prætorem Otomannicum, cum magna Turcarum multitudine præliô fuſum, interfecerant. Proximas, à filiis Amiræ, Turciæ præſertim Aſiaticæ vaſtandæ partes ſuſcepit, *Naſuffi Baſſa*

ſa filius, illius, de quo nonnunquam dictum & in præcedentibus libris eſt: quémque, propter improbatas ſibi neſcio quas agendi rationes, gratiâ dejectum, in cervices injectô contortôq; nervô, necaverat *Achmetes*. Hujus interitum, Naſuffæi militis & virium hæres, filius ulciſcens; incendiîs ac depopulationibus Aſiam fœdè latéq; proterebat. Hîs igitur, & id genus aliîs, incitatus cauſsîs Turcarum Imperator, vetera retinere firmaréque fœdera ſatagebat; & interea nova ſibi, quà poſset, adjungere. Quocirca, præter id, quòd *Georgianos*, quos dixi, *Colchos*, ad partes ſuas pertraxerat, hôc eodem annô, ſub medium ferè Majum, ejus auctoritate miſsúque, conſpicua *centum ac triginta ſex* capitum Otomannica *legatio* Viennam Auſtriorum intravit: quæ, principibus legationis Mehemete Kihajâ Muſelmannô, Gaſparéque Gratianô, Chriſti cultore, donîs Matthiam Cæſarem exquiſitìs coluit; &, ut hujus operâ ſtudiôq; pax Hungarica duraret inconvulſa, vehementer contendit. quod & impetravit. (13)

XV. Haud parî ſtatim facilitate, ſed tandem tamen, compoſitæ pacatæq; res Inſubricæ Sabaudicæque ſunt.

Pro *Montuſferrati*, ſicut dictum in ſuperioribus eſt, poſſeſſione, bellô concertârant inter ſeſe, nec brevî, nec incruentô, Dux Mantuæ Ferdinandus, & Sabaudiæ Dux Carolus Emmanuel. Mantuani ſubinde partes (velut præmonui) ſuſcepit, ac fovit, Hiſpaniarum rex, Philippus III. Philippíq; vices, ſibi mandatas, ſuſtinuit his temporibus *regius* Mediolani *prætor*: contra quem in armis acriter erat, ac manebat, Sabaudus Emmanuel. Clades utrimque, nec infrequentes, nec illuſtrium bellô capitum funeribus carentes; ad extremum, æſtivîs è caloribus, & graveolentiâ cadaverum, in campis & caſtris ad *Aſtam* (Monferratenſem urbem) putreſcentium, luem attraxerant. Ea cùm & Hiſpanis oppugnatoribus exitialis, & Allobrogibus, Aſtæ circumſeſſis, è tanta vicinia gravis ac minax accideret: libenter demum pars utraque pacis conciliatores, *Paulum V.* Pontificem Maximum, & *Ludovicum* Galliarum regem, ac Sereniſſimam *Venetiarum* rempublicam, legationibus rem urgentes, ad aures admiſerunt. Conditionibus autem pacis, utrimque tolerabilibus, etiam Emmanuel, qui compoſitioni difficiliorem hucuſque ſeſe præ-

Digitized by Google

præbuiſſe viſus fuerat, alacriter ſubſcripſit: eô maximè permotus (ut credidêre quidam) quòd eos, quos per *Joannem* Comitem Naſſavium magnîs ſuîs impendiîs agi juſſerat, delectus militum, ex omni ſectarum colluvie conductorum, procedere tardiùs videbat; & ob id militem inutiliter ſub ſigna ſua conventurum. Id, quod ſuìs ad *Naſſavium* litteris, pace jam decretâ, tacitum non tulit Dux Emmanuel: quibus, (ut in manibus omnium hodiéque verſantur,) ſuam profeſſus animi moleſtiam ac pœnitudinem, quòd unquam ad auxilia mercenaria, ſubſidiáque tam lentè procedentia, reſpexiſset, (14) conſcribi porrò militem vetat; &, eouſque conſcriptum, exauctorari jubet, ac dimitti. Saneque, juſtæ reprehenſionis cauſsâ non caruerat illa conquiſitorum tarditas: cùm præſertim, & ductor ipſe copiarum recentium, *Naſſavius*, quantumvis ab Allobroge dimiſsîs ad Bernates & Argentoratenſes, commeatûs tranſitûſque promovendi cauſsâ, curſoribus; ac ſtipendiîs præterea, Baſileam deportatîs, frequenter excîtus eſſet; neglectîs ille tamen & temporis & itinerum compendiis, deditâq; velut operâ quæſitîs ambagibus, per diœce-

ſin Paderbornenſem, per Haſſorum, & Electoris Palatini, terras, *tanquam in pompa*, duceret exercitum; donec tandem, haud ità procùl Argentinâ, conſiſteret. Quo ferè locô temporéque, Ducis Allobrogum acceptîs, ut dixi, querelis ac mandatîs, *militem omnem* ſacramentô ſolvit: cujus *equitatus*, cùm disjungi recuſaret, Belgium Bataviámq;, ſimul univerſus, repetivit. *pedites* autem, alius aliò dilapſi, cùm in prædis agendis, ac villis expugnandis, more ſuô, licentiùs ſeſe gererent; & inſolentiùs multò, ſub ſignis adhuc antea verſantes, egiſsent: parte ſuî permagnâ, paſſim ab agricolis trucidati, *ſtipendia peccati*, (15) *mortem*, retulerunt. Hic ergò Sabaudicarum tunc, Inſubricarúmque, ſtatus rerum erat.

XVI. Inter hæc autem, in *Gallia*, Reginæ matris ſolertiâ, Franciam Hiſpaniámq; geminæ mutuæque confectæ nuptiæ, ſupremîs ſuis in capitibus arctiùs colligârunt: *Ludovico* decimo tertio, regi Gallorum, *Annâ Mauritiâ*, regis Hiſpaniarum filiâ, collocatâ; dum, è diverſo, Ludovici ſoror, Iſabella, Philippo Quarto nubit, Annæ Mauritiæ fratri.

Regis

Regis porrò Gallicani, Bajonâ ſponſam ſuam Pariſios adducturi, mirè quantùm magnificus fuit, & occurſus, & omnis ad pompam apparatus; aurô viſendus, & argentô; gemmîsque conſpicuus, & margaritîs. quarum opum copiâ, non homines modò, ſponſorúmque maximus comitatus, ſed & equi muliqué, cum frænis, ſtragulis, & ephippiis, equeſtribúsque phaleris universis, collucebant. Quæ tunc quidem, etſi ſponſis, ac ſpectatori populo, jucunda gratáque; *nonnullis* tamen Galliarum optimatibus haud perinde probabantur; quippe, qui nexûs nuptiarum Hiſpanici, Gallicanâ cum Regia, vel *nomen* etiam, ac *mentionem*, jam olim exoſi deteſtatíque; conſpirationem tunc, armorúmque civilium motus veteres, recoquere non obſcurè viderentur. Rex *Ludovicus* nihilominus, animi magnitudine talibus ſuorum offenſionibus altior, ac ſuperior; quod conſiliô maturrimô decreverat, in eo perſeveravit: ac, ſatìs habens, operâ legati, *fratris ſui naturalis*, Alexandri Vandomii, Toloſatis Prioris, à *Paulo Quinto* Romæ felix nuptiarum auſpicium impetrâſse; nuptias & ipſe confecit, & à germana ſua pariter confi-

ciendas curavit: pluris, quàm *hominum* propenſa ſtudia, *divinum* faciens annutum; quem ſucceſsui votorum ſuorum anteceperat, *bona verba* Dei vicariô nexui conjugali præmittente.

XVII. Cæterùm, hanc, ad Pontificem Romanum expeditam à rege Gallo legationem, jam alia præceſserat, eodem hôc annô, longinquioribus è regnis, ad ſacrorum pedum oſcula *Legatio*: quæ fuit *Gabrielis*, Gangrenſium in Paphlagonia Pontificis; in *Paulo*, Romanáque Sede, *principis* omnium, in terris, *Epiſcoporum* auctoritatem agnoſcentis; & veneratione debitâ profitentis. Poſt Gabrielem verò, quem dixi, curâ comitatúque *P. Ludovici Sotéli*, Franciſcani, miſsu verò *Maſſamúnæ* Jáponis, Foxuanorum regis; ex ultimis Orientis finibus, Romæ Pontifici præſtò fuit *Faxicurámus Rotuyémon*; è nobilitate Japonum ejus regni, quod Maſsamúnæ tunc parebat. Orator ille, quem dixi, poſt ſuſceptum in Hiſpania ſacræ *regenerationis* lavacrum, in quo *Philippi Franciſci* nomen elegit; ſalutatô priùs Philippô rege, poſtremò *Pauli* quoque *Quinti* plantis advolutus, pro rege ſuo, quæ juſsus erat, egit, ac dixit: & indi-

indidem ad ſuos eſt honorificè remiſsus; (16) cæterà, nobis ignotus.

Sed his, interim, aliíſque talibus, haud indeleƈtata vulgò, *Religionis arx*, illa civitas; hilaritatis auƈtarium, è novo *P. Mutii Vitelleſci* magiſtratu, percipere ſe, fauſtorum ſucceſsuum votîs, ac lætis acclamationibus, ſignificabat. Suffeƈtus hic erat, magnô ſuffragiorum conſenſu, Generali Societatis JESU Præpoſito, qui *Claudius* fuerat *Aquaviva*, pridie Calendas Februarias vitâ funƈto. Fuit autem *Claudius* hic, patriâ Neapolitanus, Ducis Atrienſis filius, & *Italicorum* Ordinis ſui *Præpoſitorum* primus: vir, regendi prudentiâ, morûmque ſanƈtimoniâ, ſpeƈtatiſſimus. *Mutius* verò, ſucceſsor ejus, ortus Romæ, Vitelleſcorum illuſtrî vetuſtâque familiâ; quæ ſuas tamen origines ad *Cornétum*, (17) Hetruſcorum oppidum, referret. virtutibus autem, & ipſam nobilitatem hanc ſuam, plurimùm anteceſſit. At *Aquavivæ* mortem, obitus excepit *duorum* paullò pòſt *capitum* aliorum; claritudinis, (ſi fluxa præſertim fortunæ bona ſpeƈtares,) haud paullò celſioris. Horum *alterum*, Franciſcus fuit, Cardinalis *Jojóſa*; Sacri collegii Decanus,

Anni Aƈta.

nus, & hinc, Oſtienſis quoque præſul. cujus dexteritati quondam prudentiæq; ſe debuit, illa *Veneta*, (ſub initia Burgheſiani Pontificatûs orta,) ſed repreſſa per eum, controverſia. (18) Decus autem *alterum*, è vita ſubtractorum Galliæ culminum, ſanguis Valeſius, *Margarita* fuit; Henrici II. Gallorum regis filia; regis Henrici III. ſoror; & Henrici IV, (donec ejus matrimonii nexus pronuntiatus eſt irritus) habita conjux. Hæc, ne tota mori poſſet, egregias aliquot animi dotes, & ſuam à ſemet conſcriptam Vitam, poſteritati reliquit: cæteri (præterquam Ingenii,) partûs omnis expers. (19) Præceſſit autem, utì Margaritam Sacrîs ac ſexu, Jojóſa; ſic Jojoſam, ſtirpe funeréque, Margarita: cujus (quod litteris haud immeritò mandandum ſit) deceſſum luxêre, non hiſtriones atque paraſiti; nec mimi mimæque, (domeſtica cæteroquin otioſæ lautæque *viduitatis* appendix, & vorago;) ſed turba *docta* potiùs, ac ſubtiliſſimarum quarumq; propoſitionum diſceptatrix: in quam effundebatur illa liberalitate, nonnunquam ſuum etiam cenſum, & proventus, ſuperante. (20)

Quæ tamen ipſa, ſi modò prodigalitas erat,

Digitized by Google

erat, aut videbatur; in tantam interim reprehenſionem nondum incurrebat; quantam eodem tempore merebantur, qui, *ditiorum* ex ordine, decretô regii Senatûs increpabantur: quòd indumentorum luxu, quòd adamantum & gemmarum aliarum pretiô; quòd aurô ſegmentatis ínſtitîs, & acupictô fimbriarum tractu, totóque ſtolarum muliebrî mundô, propemodum in immenſum, procederent. quòd item ſupellectilem veſtiariam telâ Chinensî, tricliniarem verò vaſculîs, cantharíſque, vel Belgicîs vel Inſubricîs, complures inſtruerent. quòd apud multos, in menſa cellîsq; penuariis, argentô ſolidô plexîs ac ductîs corbibus, & alveolîs, miniſtraretur: culinæ quoque nonnullorum, ad uſque focum & forcipes, utenſilibus ejuſdem metalli ſplenderent. Quod autem Mileſiacam omnem mollitiem, turpitudinis imitamentô, ſuperaret; populô præſertim bellîs diuturnîs ad incitas redactô: non deeſse, Curiæ Cenſura querebatur, ejus luxûs mortales, qui cupîs, qui doliis, quíque ſoliîs, jam non *aheneîs*, (utì delicatiores olim,) ſed ſolidô prorſus *aurô* factis, & hôc, ad lavacra corporum, ac purgamenta ſordium, uterentur. (21) XVIII.

Anni Acta. [illegible]

XVIII. Quantò feliciores interim hîs talibus, omnium elegantiarum ſectatoribus, omnium vitæ commoditatum poſſeſſoribus, ii; qui, ſub hoc ipſum tempus, cœlô (ſicut ſperare licuit) recepti, dicere cum exultante philoſopho poterant, *Quàm multis non egemus!* in *DEO* videlicet, *bonorum Oceanô*, quo circumfluebant, omnia jam tenentes. Horum in numero, fuiſse confidimus, hujus anni recentiſſimos *Paradiſi* colonos, P. *Sebaſtianum Barradium*, P. *Joannem Ogilbæum*, & P. *Fabium de Fabiis*; eximiarum, in Societate JESU, virtutum actionúmque viros.

Barradium, Conimbricæ Luſitanorum, dies Aprilis decimus quartus abſtulit; populi, de ſuggeſtu; *theologorum* verò, curionúmque, de muſéo ſcriniiſque ſuîs librariîs, doctorem ardentiſſimum: ordinis ſui (quem, ſedecennî non grandior, amplexus fuerat) civem & cultorem, per annos ampliùs quinquaginta ſeptem, conſtantiſſimum & integerrimum; quíque divinis ſecum tractandis, extra cæteros labores pios, etiam ætate jam inclinatâ, facilè duodenas quotidie ſoleret horas impéndere. (22)

Priùs verò, quàm in Luſitania *Barradius* dece-

Digitized by Google

decederet; jam, ad decimum Martii diem, Glaſcuæ, Scotorum in urbe, Scotus ipſe quoque, mortalitatem exuerat, *Ogilbæus*; magnum, & *regiæ cognationis*, apud gentes illas, nomen; ſed, cuj multò tamen illuſtrius acceſserit, è fortitudine Chriſtiana, decus. Inauditum, incredibiléq; narratu, niſi, narratorum oculati teſtes, nec ipſi quidem adverſarii negarent ea; quæ, ſuper ejus magnanimitate, libris in publicum emiſsîs (23) proſtant: Potuiſse, profeſſionis ſuæ, Romanæq; religionis, acerrimum propugnatorem, inter dira quæſtionum, quibus excruciabatur, tormenta, non modò robori ſuæ *mentis*, nequà vacillaret, ſed *ingenii*, ſuper hæc, & verborum acumini, conſtare: dum carnis ſuæ diſtenſiones, & plagas, honeſtîs ſententiarum ſalibus, & extemporalibus apophthegmatibus, condiret. Hilaris illi lætáque duravit mens, ac frons: donec poſtremò ſublatus in patibulum eſt; &, fune ſuffocatus, ac protinus dejectus, mactatus, exenteratúsque; corpus carnifici, ſpiritum Deo, fortitudinis admirationem Scotis ſuis, reliquit: viâ cœli ſibi repertâ, planè paradoxâ; ſed *fortunatâ*.

Miſe-

Anni Acta.

Miſerabilior, è diverſo, (ſiquis oculô, *terram* duntaxat in fortuitis intuente, non autem in providentiam *cæleſtem* erectô, res adverſas expénderet,) mortis occaſio *Fabium de Fabiis* proſtravit, undecimô Novembris die; qui Divo *Martino*, Turónis Pontifici, ſacer eſt.

Vir hic, antiquiſſimæ *Fabiorum* nobilitatis apud Romanos, utì *ſtirpis poſtremus*, ità *virtutum gloriâ nulli ſecundus*; per urbem fortè, religionis ergò, ſociô comitatus, incedebat, ætate non minùs, quàm ambulatione, feſsâ. Nemo moleſtiam in via creabat illis; nec illi cujquam ejus cauſam, aut anſam. tantummodo, per publicum *taurus* aut ibat, aut agebatur; cæteroqui, niſi furiaretur, ſedatus & mitis. Sed, ut *minima quandoq; res ingentis fit mali cauſsa*, taurum inſequi *catellus* cœperat; aliàs à tergo, procedentem, interdum hinc & illinc à lateribus, allatrans pecudem, & obturbans. Cùm autem latrandi finem canis non faceret; impatientiæ collectione tandem verſus in vecordiam *bos*, ſive, quòd verus auctor moleſtiæ, præ parvitate corpuſculi, non appareret, aut ſeſe ſubduceret; ſive quòd, falsâ decc-

deceptus imaginatione bruti cerebri, *Fabium* ſibi fingeret acutæ vocis illius emiſsorem; ut is fortè præteribat, in eum inſiliit; exceptúmque cornibus, & in ſublime jactatum, cùm denuò demiſsum ſolo, fœdè lacerare crure tenus cœpiſset: pedi demum cornu, ſuram inter, ac talos, infixit, tantâ vulneris atrocitate, quantam ſtatim nervorum diræ convulſiones ſecutæ ſunt; *&*, ex his, totius corporis violentæ concuſſiones ſubortæ, dolores ac cruciatus immanes, & aſſiduos, invexerunt. Ad ſummam! horum immedicabili vehementiâ, pauciſſimas poſt horas, (ſicut ipſe præſagierat) deceſſit eô, quem ſuperiùs aſſignavi, die; *virorum* optimus, mortis indigniſſimæ ſuccidanea victima, pro reo *cane*, factus. Et hoc *Fabiæ gentis* extremum fatum, *bos cornúpeta*, fuit: qui lapidationem quidem, lege (24) juſsam, effúgit: (25) poſteritatis tamē ſemper ſtylô configi, dignus.

XIX. In hunc ergò, quem dixi, modum, finiêre vitam illi, ſanctitate morum, religionîſque mirificô ſtudiô, conſpicui viri; *viſi quidem oculis inſipientium* (ut Sapiens ait) *mori*; cùm eorum tamen interea ſpiritus, *in pace* ſummâ viventes, conquieſcerent (26)

Anni Acta.

rent (26) in DEI ſinu. Sed, è contrario, diſparem experti rerum ſuarum ſucceſſum *Religionum turbatores*; alibi (ſicut hoc annô Berlîni, quod fuſiùs ſeorſum tradetur,) inter ſeſe rixabantur ipſi. locîs aliîs, cives non prorſus optimi, ſuîs mœnibus exturbabant inquilinos, sê deteriores. alibi denique, mutuò ſibi plaudentes, in flore vivere tranquillitatis credebantur: ſed *flore*, qualis *innocentia Neroniana* fuerat, *quinquennî*; poſteáque novarum tempeſtate diſſenſionum defluxurô. Nominatim autem inter eos, qui viſi ſunt in præſens *virére*, quodammodóq; vernare, *Bohemi Pragenſes* erant, illius temporis *acatholici*: neque tamen omnes promiſcuè, ſed, *Lutheri* diſciplinam profeſſi. Struxerant iſti, per temporum illorum formidoloſam conniventiam, titulô *Salvatoris* cohoneſtatam *Ædem* amplam, à fundamentis excitatam: &, ad culmen perductam, anni ſuperioris Octobri jam initô, (27) quadam orthodoxæ conſuetudinis imitatione, concurſu plebis ac nobilitatis acatholicæ maximô, declamatione de pulpito, necnon *hymni*, quem vocamus, *Ambroſiani* ſymphoniacô concentu, *dedicârant*. At, *dedicârant* duntaxat, & initiârant.

Digitized by Google

rant. Quippe, nullô ſuô Pontifice, quônam modò ſimùl & *conſecrâſsent?* Eam igitur eandem ædem, hujus anni poſtridie Nonas Auguſti, qui dies Solis erat, Saxoniæ Dux, Joannes Philippus, Pragæ tunc, cauſsâ negotiorum ſuorum, agens, *honoravit* (ut ipſe quidem interpretabatur) ſui comitatûs famoſô cumprimis membrô; concionatore Joannis Georgii, Saxonis Electoris, aulicô. Fuit is, *Matthias Hohe*; Pontificius (uti ferebant) aliquando *Canonicus*: indè verò, transgreſsus ad Lutheri partes; Proteſtantium Pragenſium curio concionalis (28); ac demum *Saxoni*, velut dixi, *Septemviro* delectus ad Evangelicum præconium; Joanníque Philippo tunc comes itineris conceſsus. Is tum templum illud Bohemorum novum, renovatîs facundiæ ſuæ crepitaculîs, implevit; ſimùl autem, & aures concionis, & animos. Ingreſsus enim, ipſo ſtatim dictionis exordiô, veterator, in aſseclarum quondam, tunc autem & auditorum ſuorum ſalutationem, congratulationi miſtam, quaſi, Dei benignitate mirificâ, ſic eſsent *ſuperſtites*, ut videri *redivivi* poſsent; affectuum blandimentîs, ſolatiorum fomentîs, ac laudum tenerô palpô,

E ſtupen-

Anni Acta.

ſtupentem juxtà, geſtientémque, multitudinem adeò cepit: ut motu mentium, plauſu manuum, ſuſurrô lætô vocum, omnia fervarent. *SIC verò faciebant* & *pſeudoprophetis* Judæorum, *patres eorum*: Joannem autem, ac JESUM, vitiorum inimicos, & exagitatores, eliminabant nepotes eorum. (29)

XX. Cæterùm, dum in hunc, quem retuli, modum ii, qui ſe nominant *Evangelicos*, Pragæ *Catholicorum* principum indulgentiâ florent, ac triumphant; eodem hôc anno gens *Hebræorum* alibi, præcipuéq; *Vormatiæ*, civium Evangelicorum tumultu proturbabatur, & mœrebat. Operæ fuerit pretium, motûs illius origines altiùs aliquantò repeti; quò minor ſubitarum appareat admiratio turbarum; diuturnæ verò patientiæ modeſtiæque laus major, ſi debitos intrà limites obedientiæ plebs rerum ſuarum ſategiſset.

Eſt *Vormatia* vetus admodum ac nobilis Imperii Romani civitas, Vangíonum olim ſive ſedes, ſive ſpecula (30); Rheni ſiniſtram ripam inſidens, infra *Spiram Németum*, & ſupra *Moguntiam* Belgerorum, ſitu ferè mediô. Sedes hæc, ex antiquiſſimis Chriſtianiſmi

ſtianiſmi temporibus, tritiſſima fuit, non *ſynodorum* modò, conciliorum, & de Religionis controverſiis colloquiorum, ſed & *Imperii-Comitiorum*. inter quæ, memoriam poſteritatis & illa meruêre Comitia, quæ, non ità multò poſt ſuſceptum Imperium, *Carolus Quintus* indixit; & annô ſuperioris Sæculi viceſimô primô Germania pléraque frequentavit. Ubi non diſſimulandum; & *Lutherum*, novorum dogmatum inſimulatum, ac reum, cùm, accerſitus fide publicâ, veniſset, vadimonium confidenter obîſse: tam imperterritâ (ſub procinctum præſertim Vormatienſis itineris) audaciâ pectoris & oris; ut præmonentibus ſe, *Caveret, in tanta Principum & armorum denſitate, Fatum Huſſii Conſtantianum, cuj, fide publicâ Concilio ſe ſtitiſſe, contra flammas nihil profuiſset*, reſpondiſse memoretur: *Iturum enimverò ſe, ſi vel totidem Vormatiæ cacodæmonas adversùm ſe congregatos nôſset; quot, urbis illius ædificia, tegulis operirentur.* (31) Quo talî *Lutherus* tunc, aliîsque ſimilibus conſtantiæ ſimulacrîs, in ſuî, novitatúmque ſuarum, inconſideratam admirationem traxit multos; inter cæteros verò, pleramque ſenſim *Vormatiam*

Anni Acta.

quoque; præterquam ſolas, ſed non admodum denſas, orthodoxorum, & *Cleri*, reliquias, *Epiſcopis* adhuc adhærentes: præterquam item illam, quæ ſuæ ſemper cervici eſt, ac manet, *Judaicam* nationem; qua mortalibus, nec in fide ſanis, nec in diverſum heterodoxis, acquieſcit: in ſordibus autem *avaritiæ* ſuæ, tanquam hæreditario volutabrô, fixa, *Mammonæum* ubique regnum exercet. Id fœnebre ſpoliarium, hæ rerumpublicarum hirudines, *Vormatiæ* quoq; tunc, & verò jam dudum, antiquiſſimîs à temporibus, obtinebant: quippe prædones, qui ſeſe Vangíonum urbis inquilinos, ab ultrà quàm ducentîs ante Jeſum Nazarenum natum annîs (32), ſeu verè, ſeu fictè, ferrent: ac, diſſimulatione magiſtratuum, in alienam pecuniam impunè graſsari, *privilegium* cenſerent. In quo *latrocinii* (ſicut *uſuras* Cato nominabat) genere, *Judæi* quotidie magìs magíſque, jam non modò *crudeles* ſe, ſed mirè quantùm *impudentes* etiam, & effrontes, exhibebant. Cùm enim, ab anno tandem ſuperioris Sæculi ſeptuageſimo ſeptimô, poſt exceſsum Maximiliani II. Rudolphô II. tunc primùm imperium orsô, decretû

Digitized by Google

cretîs Auguſtalibus, ex omnium Imperii-ſtatuum votô, (33) conſtitutum eſset, æternâque lege fixum; *Nequis in poſterum, ſeu Chriſtianus, ſeu Judæus creditor, à debitore, nomine mutui, census annui plus auderet aut poſset exigere, caperéve; quàm, in ſingulas aureolorum* (quos *florenos* vulgus appellat) *centurias, mutuò datas*, aureolos quinos: *qui verò plus caperet, exinde repetundarum crimine teneretur; & lueret*: improbiſſimi *Judæi*, tanquam ad ſe nihil *uſuraria* vel leges, vel pœnæ, pertinerent, ac præter hæc obliti, ſe, Caroli Quarti Cæſaris donatione, jam olim ab anno Chriſtiano milleſimo trecenteſimo duodequinquageſimo, (34) civibus mancipio datos, libertate prorſus excidiſse; non ſolùm intrà *quinariam* illam, quam diximus, *uſuram* ſe non continebant, ſed inſuper in ſingulos *centenos*, mutuò conceſsos, aureolos *denos* publicis è tabulis, *ſeſquiduodenos* verò, privatum ac nudum ad chirographum debitoris, exigebant; &, approbatione magiſtratuum, auferebant; *repetundarum legis* unicè, non ſecuri tantùm, ſed & irriſores. (35)

Hæc, aliáque talia, cùm ad incitas uſque plebem exhaurirent; per hos potiſſimùm

mùm annos intolerabilia demum effecta, civium crebrò repetitîs querimoniîs, apud Spirenſe, Viennenſe, Pragenſéque, tribunalia flebiliter agitabantur.

Et *Matthias* quidem *Imperator*, quâ fuit æquitate, concordiæque civilis ſtudiô; nequa ſeditio tandem Vormatienſium publica cooriretur, ſollicitus ac metuens; crebrîs & acribus Interdictîs haud deſinebat, & uſurarios illos, & eorum fautores primates, increpare. volitabántq; Vormatiam identidem Pragâ, Viennâ, Spirâ, verbîs ſententiîsque vehementia, mandata. Sed erat, neſcio, quô modô, ſemper vel apud primates quoſdam civitatis, vel apud miniſteria curiarum tribunaliúmve, *MAJESTATE Cæſaris potentius*, *Aurum*, & aſtutia, *Judæorum*. Quò confugerent ergò Vormatienſes cives, in his rerum difficultatibus, præterquam ad audaciam ſuam; nihil habere ſibi reliqui remedii videbantur; ídque propemodum, cum ratione quadam excuſabili; niſi, quòd *in cauſſa ſua nemo* debeat, ac *poſſit*, *eſſe Judex* (36): & , *in injuria minorum*, *convellenda non ſit auctoritas majorum*. Sed tamen, *cùm obſtinatè*, *quæ fieri debuerant*, *non fierent*; *tumultuosè*

tuosè demum, quæ fieri non debuiſſent, facta ſunt : &, qui recedere per tot annos ab *iniquitate* ſua Judæi nec hilum decreverant, hoc annô demigrare *locô* quoque, ſeu per fas, ſeu ſecus, coacti ſunt, hôc, quod referam, civium ingeniô, vi minîsque mixtô.

XXI. *Septendecim* erant Vormatiæ tunc diverſarum occupationum opificiorúmq; *Tribus*; quæ, concordi ſemper altioris poteſtatis interpellatione, per ſupplices maximè codicillos, legis præſidium adversùs gentem uſurariam imploràrant. Ex his *tribubus*, (cùm irritos ſuos & conatus viderent, & ſumptus,) coactô priùs, habitóque, ſub ineuntem Aprilem, arcanô conſiliô, *trecenti* civium, ubi primùm illuxit menſis ejuſdem dies decimus, (qui tridui *Paſchalis* ſecundus fuit) ſuâ quiſque domô provolantes, in *forum* urbis *Superius* properant, & in orbem conſiſtunt. De ſigno *temporis*, quo conjuratos omnes oporteret, *inermes* quidem, at in *palliis*, eſſe congregatos, pridie convenerat; ad *quintæ* nimirum *matutinæ* pulſum. Hic inſonuerat: & è convocatis nemo deſiderabatur. Ibi tum ergô breviter, qui duces cæterorum erant, præfati; Nihil ſe, ſuô duntaxat *trecen-*

 torum,

Anni Acta.

torum, qui præſentes tunc eſsent, nomine, ſed univerſæ civium multitudinis, acturos: perinde, ceu cunctorum unum, uti votum & neceſſitas, ſic poſtulatum & os, foret. *Veniſse demum tempus, quo ſeſe, cum* Reſurgente Chriſto, *Vormatia Chriſtiana reſuſcitans*, Abrahamidarum *inveteratum* Scheolácum *poſt terga relinqueret; in quo, tam diu jam feneratorum alligata nexu, profundiùs ac miſerabiliùs, quàm in quovis* Patrum Limbô, *deſediſset. Videlicet, aut tunc, aut nunquam poſtea, ſe tyrannidem excuſsuros uſurarum. Id adeò futurum, ſi quàm primùm, antequam diluculum in meridiem abiret*, omnis Iſraël *exiret in ultimas Aquilonis oras, per terras & aquas; pérq; maria rubra, nigra, cœrulea: ſecúmq; ſuam, quam oppreſſis Chriſtianis impoſuiſsent, Ægyptum, &* fornacem ferream, (37) *exportarent in cóphinis ſuis, & ſcapulis, Hebræi.*

Quæ ſententia cùm omnibus eſset probata; non tamen, Omnes ire, Judæísq; profectionem indicere, conſultum eſt viſum: ſed potiùs, quò minori res omnis agmine motúque tranſigeretur, ſingulis è tribubus ſingulos, hoc eſt, animoſiſſimum quemque, per delectum, placuit ablegari; qui vertendi ſoli man-

mandatum, cæterorum omnium verbîs, & auctoritate, *Judæis* perferrent. Ità ſelecti viri ſeptendecim; partem urbis illam, quam Hebræorum frequentia, ſatis potens & audax, incolebat, intrepidè petunt: nactíque continuò *circumciſorum* cœtum, è domiciliis ſuis (quòd, ad ſe non temerè tot ſimùl venire Nazaræos, ſuſpicarentur, ac ſuſurrarent,) confluentium, eos, pacatâ voce ſalutatos, alloquuntur; &, *Quínam Capita ſeſe tunc Vormatienſis Judaiſmi ferrent?* interrogant. *habere quippe ſe, quod eis ſignificarent, & indicerent.* Offerunt è Judæis *duo* ſe, cæterîs, ſpecie ſaltem corporum, eminentiores viſi: *Jekóſſus*, cognomentô *Longus*; &, quàm rapinîs, tam ventris abdomine diſſertus, *Abrahamus Craſſus.* Ad hos, & ad turbam circumſtantium, is, qui pro ſeptendecim loquebatur, profeſsus initiô ſtatim ſermonis, Non ſe *decem ac ſeptem* tantummodo, quos Judæi cernerent, virorum *prælocutorem*, ſed *trecentorum*, immò vero, Vormatiæ civitatis univerſæ, *fecialem* adeſse, cum ſedecim ejuſdem muneris collegis. Omnium horum, ac ſingulorum, unam, & brevem, at juſtiſſimam, eſse querelam hanc; *A Judaica, licèt pre-*

E 5 *cario*

Anni Acta.

cariò duntaxat receptâ, gente, Chriſtianam, imperialis & herilis urbis, gentem, per tot jam ſæcula, fœnorum infandorum exactionibus, & pignorum inhumaniſſimîs uſucaptionibus, uſque adeo fatigari preſſam: ut hæc, niſi per vim tandem pondus iſtud excutiat, ſpirandi reſpirandíq; facultatem retentura ſit nullam. cùm præſertim apud eos, nec humanitatis ulli ſenſui, nec pudori, curæq; boni nominis, ac ne Cæſareæ quidem Majeſtatis imperiis reſcriptíſq;, locus ullus ſit relictus. Id, quorúmnam præcipuè ſcelere, corruptelîſq;, quorum item tutelæ fiduciâ, nixi Judæi faciant, & facere perſeverent; quanquam civitas & intelligat, & quotidie ſummô ſuo cum dolore ſentiat: ſe tamen, ut antehac ſemper, ità tunc quoque, ſeditionis publicíq; furoris abſtinentes, Francofurtenſium *anni ſuperioris in Iſraëlitas truculentiam, memoriâ malle, quàm imitatione, refricare. Nolle ſe, quod paſſi Francofurtenſes Judæi ſint, pati Vormatienſes Judæos. Velle ſe tamen, ut, quod tunc fecerint, illi coacti malîs; idem nunc, benevolîs adducti monitis ac mandatîs, iſti quoq; faciant: id eſt,* Urbe, mœnibúsque Vormatiæ, PUNCTO TEMPORIS, excedant: & eodem perpetuîs ſæculis nunquam rever-

revertantur. *Dummodo Judaici pedis ullius veſtigium nullum Vormatienſe ſolum retineret; de cætero, cum Hebræa natione Chriſtianis conventurum.*

Hæc illſe cùm diceret, ac, tanquam ictu fulminis exanimatos Hebræos, adſtare tremefactos pallidóſque ſentiret: interim tamen, incertum quiddam interfaturos, animadvertens; *Videbitis nihilò ſecius*, (adjicit legatus,) *quantum ſit, inter Chriſtianam manſuetudinem, & Judaicam duritiem, diſſimilitudinis. Vos, direptionibus & uſuris exhauſtos, civitate quàm plurimos noſtrorum cedere coëgiſtis; piſtillô clavóq; nudiores, & nec unius quandoq; teruntii ſtipem in viaticum aſportantes. Nos, è diverſo, gentem, nobis nunquam non exitialem, & alioquin exempla noviſſima promeritam, hinc faceſſere jubentes; tametſi veſtram è ſedibus his emiſſionem* incruentam *in parte numerare miſericordiæ poſſemus, ſubſidiorum omnium vitæ penitùs egentes, & extorres, abigendo: Rerum tamen humanarum memores, plus adhuc vobis, quàm in Meſopotamiam olim amandato Jacobo ſuo Rebecca veſtra conceſſit, largiemur: præter peram videlicet, & baculum, ſuum inſuper unicuiq; vidulum,*

lum, ac nummarium ſacculum: *&*, *in ſummam*; *Quod quiſque ſibi chariſſimum efferre ſecum poſſit, aut velit, ejus efferendi facultatem tribuemus.* Subjecit autem his dictis; *Ex eo clarum eſse, non ſibi curæ Judaicos theſauros, ſed indemnitatem ſuam, eſse. Quin potiùs; haberent illi ſanè, retineréntq; rapta Mammónæ favore, ſpolia. Quæ verò ſuæ poſſeſſionis, & utenſilium, neceſſitate voluntatéve ſic ſuadente, tunc relinquerent: ea ſingillatim perſcripta, clauſa, ſignatáq;, ſuperiorum auctoritate, fidéq;, quâ quid optimâ, tantiſper aſſervatum, & verò reſtitutum etiam, iri; ſimulac tempus opportunius, & lux juris indubitabilis, depoſitum dominis ſuis reddendum oſtenderet. Tantùm in præſens, & velociter, abirent.* Hæc ille Judæis; hæc, cum eo, cæteri mandabant omnes: &, in hæc, ſilebant, mandati ſuccesſum præſtolantes.

XXII. Incredibile multis videri poſſit; Ad unius opificis, aut lanionis, facundum licèt, at privatum tamen, imperium, quantumvis cæterorum *ſedecim* voce confirmatum; tanquam ad tonitru tamen, Cæſaris ipſius incusſum ore, demittere ſtatim animos, ac dare manus, ſuſtinuiſse, *Judæorum* multitudinem: cùm

Digitized by Google

cùm præſertim, eorum iſti, quorum hucuſque præſidiô tecti peccâſsent, oblîti non eſſent. ad quos proinde, non provocâſse tunc, alioqui plus ſatìs impudentes, Hebræos, mirandô quovis mirabilius videatur. Sed nimirum, Sciebant improbi, quid meruiſsent: &, præter *ſeptendecim*, quos aſpiciebant, actores, *trecentos* conſiderabant conjuratos; quorum partem maximam nondum viderant: metuebant verò, tanquam *triarios*, in ſubſidiis ac procinctu ſtantes; qui ſignum prorumpendi, quíque nutum evocantium, exſpectarent. Super hæc autem omnia, ſectius aliquod, at, (ſimulac convaluiſset,) indomabilius ſeditionis incendium ſuſpectabant; quod è *trecentis* civibus in omnem cæteram ſe civitatem diffuſurum eſset: ínque medium ſui projectos Hebræos, abſumpturum; unde nullius ipſos patrocinii potentia, vel ereptura foret, vel è cineribus reſuſcitatura. Multùm præterea linguas eorum, ac manus, ligabat, A Chriſtianis eis indulta *facultas*, opum ſecum efferendarum. Da namque Judæo, quô porrò fœneretur; & ille tandem quodvis *exilium*, ſibi finget *natale ſolum*.

Quocirca, qui fugæ primam ad indictionem

nem ſtupentes, ac triſtes, &, dejectîs in terram oculis, non ſinè lacrymis adſtiterant: ad poſtremam, *auri* ſecum, & *chariorum rerum* exportandarum, mentionem erecti, loqui cœperunt; & humanitati civium gratias agere ſingulares, quòd ſecum eâ clementiâ, quam nunquam exſpectâſſent, agere meminiſſent, in medio juſti rigoris curſu. Quin etiam, *Jekoffius* ille, de quo dictum ſuperiùs erat, *Longus*, & cum eo *Craſsus Abrahamus*, ultrò verbîs honorificis profeſſi, Supra meritum omne, ſecum liberaliter diſceptantes, jus ſuum exſequi Chriſtianos: proptereáque viciſſim, ut ipſorum poſtulatis acquieſcerent & Judæi, promereri. Solum unicum, in gratiæ noviſſimæ partem, ſe ſummîs petere precibus: Ut, ad egreſſum ex urbe promptis, unius, nec ulterius, horæ ſpatium concedatur, ad ſarcinas colligendas: Egreſſis autem, ſecuritatis ergô, fides fiat publica tuti commeatûs; quò Vormatiam inviolati relinquant. Horum neutrius cùm repulſam tuliſsent; utrimque diſceditur: ab exilii quidem denuntiatoribus, in *forum*, ad ſuos; ut, auctoritatis augendæ gratiâ, rebus jam compoſitîs, conjurationis cœtum omnem adductum,

Digitized by Google

ctum, perterritis oſtentent; &, Judæorum ejectionem interpellaturis, opponant. Judæi verò, *ſuam* quiſque *domum* repetunt; ceu poſtremùm eas viſuri, ſuáque convaſaturi. Quantum, *horæ* conceſſum intervallum, eis permiſit; tantum, tumultuariâ corraſione congerunt in ſportas, ciſtellas, ſaccos, ac faſces: &, poſt hæc, egrediuntur. Qui verò pedibus invalidiores erant; carris impoſiti, carpentíſque, vel miniſteriô famularî protruſi tractíve, fugam ineunt. Agmen, utrimque miſerabile; ſive ſuîs abirent, ſive pedibus alienîs; & *Cingarorum* migrantium haud diſſimile; dum, inter excedendum, (ſenſu tam infamis extruſionis tum demum ſeriò renovatô, cordáque profugorum altiùs perſecante,) lacrymîs, querelis, ejulatibus ac lamentîs, vias omnes implent. Quæ res commiſerationem primùm excitavit apud ſpectatores, non modò promiſcuè concurrentes; ſed etiam apud eorum nonnullos, qui per tam præcipitem ejectionem Hebræos efficiebant miſerabiles. Sed, motîs quantumlibet mentibus, decretum prolatúmq; judicium, manebat immotum: Quod facere cœperant, ut facere pergerent; & emigrarent! Clamor

Clamor deinde, tumultúſque, cedentium, & cedere compellentium, perlatus in urbem reliquam, & ad Optimates quoque civitatis; *duumviros*, (quorum tunc munus & jurisdictio *conſularis* erat,) excivit in medium exeuntium, & ejicientium, æſtum. Quorum ad conſpectum, arrigentibus aures, in ſpem rerum meliorum, Judæîs, & adeò tantillùm, dum auſcultarent, interſiſtentibus; queri *duo Conſules*, de tanto rerum, támque repentinô, motu; quærere, *Quibus iſta de cauſsîs, aut, quorum auctoritate, gererentur? tempore præſertim, & more, quàm alieniſſimîs?*

XXIII. Ad quæ verba, qui pro cæteris advocati partes ſuſceperat; *Date veniam*, inquit, *viri conſultiſſimi, Patrésq; Conſcripti Vormatienſes univerſi. date paucîs aures, miſeris, & ad hanc tantam rerum neceſſitudinem vî pertractis, civibus. Nos, ab hac mortalium lue deterrimâ* (Judæos oculîs ac manu deſignabat,) *jam ætatem pæne Mathuſalæam, immò certè, noſtræ primordiis urbis æqualem*, (38) *emuncti fortunîs, exſpoliati pignoribus, uſurîs excarniſicati; ſexcenties* rogavimus, quæſivimus, & pulſavimus. *Rogavimus autem, auxilium in malis; quæſivimus, ærumnarum*

Digitized by Google

rum remedium; pultavimus, & concuſſimus, ſenatorias & conſulares fores: ac nihil emolîti ſumus, aut profecimus. Implorata legum præſidia, prolatæq; privilegiorum tabulæ (libertatis noſtræ ſcuta *quondam, &* arma, *nominari ſueta,) nomen inane, ſinè re, fuerunt; nec ab aliis magìs, aut ſæpius, quàm ab ipſiſmet hujus armamentarii cuſtodibus, id eſt,* à vobis, *deſerta, Judæiſq; (pace veſtrâ dixerimus!) prodita.* Deſerit enim, proditque, cauſſam bonam; qui, tanquam malam eam, contra malos, utì debet, non tuetur. *A Capite porrò ſuo neglectum corpus, hoc eſt,* A magiſtratu populum; *num tandem, & ſemetipſum abs ſe negligi, juris ac rationis fuiſset? Non negleximus ergò nosipſos: ſed, Hebræorum patronîs ad damna noſtra mutîs, & ad vindicias noſtras mancîs; nos poſtremò vocem hodie rupimus; & Hebræos exulare juſſimus. nos manum coëgimus, & eos educimus; ſi volunt, pacatè: ſi nolunt, quoquo pacto ſitum id in nobis erit. Cedent & inviti: cedent, & fautoribus eorum invitîs. Nec, hîs ità factîs, aut futurîs, injuriam prætor ullus, ullúmve tribunalis ullius, ac fori, jus accipiet. Semper, & apud omnes, ſibi conſtabit cauſſæ noſtræ bonitas; ac*

Judæorum vacillabit iniquitas. qui, ſi tam inſontes ac puri ſibi videntur, quantùm à ſe, vel defenſoribus eorum, prædicantur: agè ſanè, litem nobis & actionem intendant; ſicut nos illis intendebamus. vadentur nos (dummodo tamen in foro, conſeſſúve, non præcorruptô,) ſponſionem faciemus: vadimonium obibimus; nec, ut illi ſemper hucuſque, deſeremus. Pignori, ſi ſic prætori videbitur, larem quiſque ſuum familiarem opponemus. De cætero, ſi quæretur adhuc, quorúmnam auctoritate fulti, Judæis exilium indicamus? verbis quinque *cives Vormatiæ reſpondemus*: IMMUNITATUM NOSTRARUM, CÆSARIS, ac DEI.

XXIV. Cùm autem, in hæc frementes Duumviri, quieſcere tumultuantes, Judæíſque reddere quietem, juberent; aut in vincula turbarum earum ire capita: *Neminem Unum*, (affirmabant) ejus eſſe negotii motorem, ſed *Omnes*. civitatis univerſæ, mentem, & votum unum; os, manum, & operam, unam eſſe: paratam & accinctam in utrumque, ſeu fugere Judæi mallent, ſeu fugari. quærentibúſque Conſulibus, *Et quorum id eſſet decretum?* ſuccłamârunt omnes; *Omnium, & Univerſorum.* Itâ

Digitized by Google

Ità deterriti conſenſu tam multorum Duumviri, domum tunc, infectâ re, frendentésque, repetunt; & Hebræi, fugam; ingenti denuò coortô, præſertímque *Judaearum*, ploratu; quæ, Rhenum, (39) & navigia, quibus ſe parvósque liberos imponerent, petentes; ruptîs capillis, & cum fletu ſparsis, viam, ac ripam, implebant. At, ſuarum Hebræi lamentis, à cœptis nihilô deterriti, naves ac lintres, quotquot contrahere raptim poterant, intrabant; & navigabant, quò quemque ſpes ſtationis firmioris invitabat. rectéque prorſus, & ſapienter, (cùm tam infirmam tutorum ſuorum, in magiſtratu, potentiam viderent,) plus eis placuit emigratio; quàm irritatæ plebis emolliendæ futilis exſpectatio.

Docuit id, & aperuit, ipſum ſtatim ejus tempeſtatis incrementum; in omnes ſe paullò pôſt furias effuſurum. Nam, ficut accidere conſectaneum eſt, utì, per inſolentiam ſemel in ordinem coactâ *poteſtate ſuperiore*, nihil poſthac ordinè geratur, ac fiat, *in inferiore ſorte* rerum, & hominum; ità tunc, ejuſdem adhuc intrà lucis (quantumlibet alioqui *feriatæ*) ſpatium, ædificia Judaica de-

moliendi factum à civibus initium eſt: *Synagoga*, quam (ut ſuperiùs retulimus) *octodecim* perſtitiſſe *ſæcula* gloriabantur, tectô detractô; culminéque comminutô.

Poſterô die, qui Martis fuit, & adhuc ipſe quoque Vormatienſibus ſacer eſſe quietúsq; debuerat, ſi quis Veterum pietati locus, & memoria fuiſſet relicta: labor omnis, & contentio, reſumitur, ad ea, quæ pridie cœpta, deſcriptáque ſuas in tribus fuerant, excidia conſummanda. Fit delectus tribulium novus; virorum, audaciâ præſtantium, *centum quinquaginta quinque*, (40) qui tanquam præfecti fabrûm, demolitiones urgeant. Laborant in exſcindendo, ſudántque continuò, voluntarii juxtà, conductíque, *ſexcenti*. Sunt, è civibus factioſioribus, qui moneant, inſtígent, & regant opus: in quibus eminebat, conſultior cæterîs, & ob idipſum inquietior, *Chemnitius* quidam: qui pro factis his poſtea, cum ſociis audaciæ, raptus in cuſtodiam eſt. (41) Ab his ergò, cæterâque conjuratione, *Judaicus* occupatur *vicus*. à delectis, diurnæ nocturnæque, nequid diripiatur, aguntur excubiæ; tanquam juſtîs à dominis, & ſuarum fortunarum

Digitized by Google

narum tutoribus: dum inter hæc tamen, ea, quæ foris erant, & extra profana tecta, peſſumdarent & vaſtarent. Invaduntur, à concitata multitudine, reliquiæ *ſynagogæ*; quæ tota ſubruitur. Deſtinantur eidem turbini, ſcholæ Judaicæ, ſynedria: lavacrorum, & *baptiſmatum*, loca; cum omni lapide, pariete, ſacrariô, quod quomodolibet Judæum oleret. Summa tamen furoris, in *ſepulcretum* Hebræorum, præ cæteris locis omnibus, effudit ſe. Disjecti, diſpersíque tumuli; rutrîs, ſarculis, atque runcînis, emota terra; revulſa ſaxa; confracta contuſáq; monimenta, cum ſuis pariter inſcriptionibus: quóddque fidem, niſi vivîs ab oculis, & expertîs, vix inveniat; quædam immaniſſimæ magnitudinis, immobilísq; ponderis, moles ac marmora, tamen vectibus demum, & nudîs indignantium manibus, eruta, divulſáque, fragmentîs innumerîs contrita ſunt.

Quæ dum vel maximè fiunt: en denuò, ſicut pridie, conſules, cincti jam ſenatoribus aliquot, & miniſtris, actuarióq; publicô, ſupervenientes; in vicum primò Judæorum feſtinant: visísque dejectorum hinc indè faſtigiorum ac parietum ruinîs, & diſper-

ſpersîs ruderibus; Quis civium primus demolitioni manus, & ad cujúſnam imperium, aut inſtinctum, admoverit? ſciſcitantur. Reſpondetur à nonnullis è delectu, ſicut pridie: *Neminis unius, ſed omnium, id negotium eſſe; neque conquieturos, dum ſuperſtitioſa gentis impiis in locis adhuc ſaxo ſaxum incumbat*. Sic rejecti magiſtratus, ſuis cum minis; è *vico* Judæorum tranſeunt in *cœmeterium* eorum. ubi, conſpectâ longè majore, quàm uſquam alibi, vaſtitate, repetunt interrogationem & ibi ſuam, cum majore ſtomacho biléque; Quínam ea, quorúmnam conſiliô, juſſu, permiſſu, contra leges imperii, contra jura Cæſarea ſæculorum omnium, in tumulos eſſent auſi mortuorum: quorum indemnitati, tot, ab omni retrorſum ævô, ſanctiones, & populorum omnium conſenſus, cautum voluiſſent? LÆDI ſaltem eos non debuiſſe, qui lædere jam neminem poſſent: nec violari *Sepulcra* decuiſſe, quæ ſolæ miſeris extinctis *domus* ſupereſſent. Sic rabioſâ voce tonantibus, & pluribus adhuc declamare perrecturis; in ſimulationem moderationis compoſitus, ſeu *Chemnitius* ille, ſeu quiſquis verſipellium alius erat, interponit

nit facti pariter, & auctorum illius, defenſionem: ac præfatus, *eorum omnium*, hoc eſt, *civitatis*, animô verbisque, ſicut ſemper antehac quoque, verba ſe facere; *Non eſſe nos*, inquit, ô *viri conſultiſſimi, de genere mortalium illo, qui ſepulcra cupiditate ſpoliorum violant, & perfringunt, (in quos ſolos, aut certè præ cæteris, Juris ſacri profaniq; decretîs conſtituta pœna vigent:) demonſtrare cujvis abunde, vel hoc unum, debebat; quòd Judæos quoque vivos, quibus eripere facultates omnes, quæ moveri locô queunt, poteramus, ultro tamen, cum argento, cum auro, cum pretioſiſſimis quibuſque rerum ſuarum, emiſerimus. quòd item, nullo cogente nos ad eorum damna prohibenda, vel ſarta tecta tuenda, domiciliis eorum profanis excubias apponimus; ſupellectilem, & utenſilia relicta, conſignata cuſtodimus; apothecas eorum vinarias, ac frumentarias, quæ copioſiſſimæ, ſed à nobis adhuc intactæ ſunt, armatîs vigiliîs circumvallamus* (utì ſanè fecerant.) *quòd denique mortalium nemini vulnus ullum, aut plagam, inflximus; ſed glebis tantummodo, ſenſúmq; neſcienti marmori. quod ipſum tamen, cujúſnam lucri noſtri, compendiíve, ſpe? quantam ſcilicet promittere præſtaréq; vaſtato-*

Anni Acta.

ribus ſuis contrita fragmenta, ſparſa rudera, vagus pulvis, & ſcobs, poſſunt. Quid eſt igitur, quod in fugandis Hebræis vivis, & in profanandis eiſdem jam mortuîs, ſpectamus, & quærimus? aut quid denique petit ira noſtra, quô tandem obtentô, ſatìs ſibi factum fateatur; & conquieſcat? Audite, proceres, & tandem aliquando, noſtræ flagitationis Summam æquîs auribus accipite. Cum Gabaonitis, à Saule per nefas oppreſsîs, (42) *loqui libet, & indignari;* Non eſt nobis ſuper argento, vel auro, quæſtio: *ſed, contra Jekoffum Longum, & Abrahamum Craſſum, Mammonicolarum archiſynagogos; eorúmq; collegas rapinarum, & emiſſarios; adversùs* ſpeluncas latronum *uſurarias, & eorum ſacrilegas* Sathanæ ſynagogas: (43) *in quibus exercebant impietatis & ſuperſtitionis opera Judæi;* qui, *Pauli veriſſimô notiſſimôq; teſtimoniô*, (44) Dominum occiderunt JESUM, & prophetas: & nos *Chriſtianos nefariè ſubdoléq;, quin & vî, violentîsq; deprædationibus*, perſequuntur; & Deo non placent; &, *ad ſummam, omnium mortalium commodis* adverſantur. *Quæ gens ergò non itidem, lege talionis, adverſetur illis? Neque tamen (ut ad verba Gabaonitarum à*

Pauli

Digitized by Google

Pauli verbis revertamur) volumus ; ut, odiis tot millium hujus urbis Chriſtianorum exſaturandis, interficiatur Iſraëlites ullus: multóq; minùs, utì (quod Gabaonitæ contenderunt, & impetrârunt,) ſeptem nobis è terræ-filiis Judæis viventibus dentur, quos in crucem agamus; Deo mundóq; dignum ſpectaculum: ſicut eorum tamen exſecrabiles progenitores Deum noſtrum, Dei filium, mundíq; Regem, in crucem olim crudeliſſimô ſcelere compegerunt: & hodie quoque, quando reipſa jam impiam immanitatem illam iterare nequeunt, in ſculptis tamen Cruciarii *(quemadmodum ipſi* Chriſtum *agnominant) ſimulacrîs, mimum agunt: dum in iis, anniverſariæ diei* Paraſcevês *exercere ludibria, renovaréq;, poſteri nebulonum illorum, conſtanti famâ feruntur. Et hujus nos generis, usûsq;,* ſculptilem effigiem *repérimus* (ac certè repererant) *hôc ipſo rerum in motu; dum eorum intimos receſſus excutimus, & arcaniora ſcruta protrahimus.* (45) *Et nos tamen adhuc, inexpiabile videbimur ſcelus admiſiſſe; quum eorum tumulos calcamus unô die, qui per tot jam ſæcula quotannis, die moréq; ſtatô, quantum in ipſis eſt,* Chriſtum proculcant; *idéam ipſius proterunt;* ac ſanguinem

Anni Acta.

teſtamenti pollutum ducunt? (46) *Nos ſacrilegi proclamabimur; cùm novum* Hacéldama, *deteſtabilem* agrum-ſanguinum, *eruimus: cùm ſacrilegorum oſſium, quæ rectiùs ſterquiliniis abderentur, baſilicæ marmora comminuimus; eósq;, qui vivere nunquam omnino debuerant, à morte ſupereſſe tam ſplendidis in monimentis, vetamus? Enimverò, pereant! & pereant, uti meruerunt, æternùm; ipſi, cineres ipſorum, & omnis eorum memoria, cum univerſis* Judaicæ *ſuperſtitionis ac perfidiæ latibulis, & larariîs!* Viros, *qui tam inclementer attriverunt nos, tam inhumaniter oppreſſerunt nos, cum rebus univerſis, ad eorum ſacra ſpectantibus, æmulatione Gabaonitarum*, ità delere debemus, *& eradere funditus: ut, noſtrûm omnium connitente conatu, Judaiſmi nec fibra Vormatiæ, nec radicula, ſuperſit.* Chriſtus, è *diverſo*, rex noſter, *cum ſuis, floreat! & in earundem, quas nunc demolímur, ſtructurarum veſtigiis, paucos intrà dies, impenſîs noſtrîs, accipiat ſtatuarum tropæum geminum, ac ſumptuoſum. quorum alterum, JESU ſit, in Cruce pendentis: alterum, ex Inferis in vitam redeuntis.* (47) *Ità triumphet, rerum à nobis geſtarum memoria: celebretur*

Rex

Rex noſter: confundatur Judæus: exultet Chriſtianus!

XXV. Hæc in hunc, quem dixi, modum geſta, dictáque, ſententiis hinc indè verbíſque *biblicis* ſcintillantia, (qui *Proteſtantium* ferè mos;) conſules ambos eorúmque comites, & tunc, & in poſterum deinde tempus aliquantiſper, aſpulerunt. Sed interea res tota, diversè diverſos affecit. Et *ſeditioſos* quidem, *delectósq;* (quos nominabant), acrioribus indies ad audaciam animîs implevit: civium autem pacatiores, & *Clerum*, ſollicitudine metúque futurorum; ſi fortaſſis acta, tam inſueta, Cæſari minùs aliquando probarentur: ac Vormatiæ proſcriptæ pœna tunc, inſontes & ſontes, iiſdem pariter malis involveret. Conſules verò, Senatûſque (qui totus ex *acatholicis* erat, eſséque ſolet,) partem, tumultus is ignominiæ dolore, quòd Judæorum defenſionem ipſi ſuſcepiſsent irritam, ſuccendit; ad *tacitam* quærendam ſuî vindictam, & auctoritatis ſuæ reſarciendæ remedium *apertum* impetrandum. Præter hæc, lis ea, *vicinum* quoque *Vormatienſibus* Rheni Neccarique *Principem*, ſacrorum Ordinum expertem, & *Calvino* juratum, traxit:

Anni Acta.

traxit: &,aut fama ſtimulavit illa, quæ de pretioſis extollendis Vormatiæ Chriſti ſimulacrîs increbreſcebat, (cùm talia tamen ipſe ſcalprorum opera ſuſtuliſset, (48) ac ſublata paſſim vellet;) aut, quod paullò pòſt argumentîs non obſcurîs eluxit, (49) Senatûs Vormatienſis occultæ, per litteras nuntiósve, ſollicitationes excitârunt: ut is, poſt noctis illius medium, cuj *dies Aprilis vigeſimus quintus* illuxit, *militum*, delectu provinciali contractorum, *quatuor millium* ſubitâ multitudine portas obſidéret: eandem quoque, priuſquam meridies plenus adveniret, volantibus ſignîs in urbem induceret; apparatu bellicô varii generis, ac tormentîs militaribus ſex, formæ grandioris, forum occuparet; cohortiúmq; ſuarum validìs excubiîs vicos plateásq; primarias inſidéret. Ut item, per cauſsam, aſserendæ majeſtatis ſuæ Cæſari, (quippe, cujus injuſsu, quin & fortaſſis ingratiîs, turbatum eſset Vormatiæ,) necnon, ſpecie grandioris antevertendæ diſsenſionis animorum, inter plebem ac magiſtratum, cauſsæ cognitores de ſuis Princeps daret; rebellionis quæſtiones exerceret; motæ ſeditionis ſuſpectos, includeret, aut vinciret; virorum centum & quin-

quinquaginta-*delectum illum*, in ordinem redigeret; tribus omnes, ac ſingulas, ad diſquiſitionem accuratiſſimam vocaret: & (ad ſummam,) Judicii terrore ſpeciéque, per dies aliquot, civitatem omnem impleret; eorum maximè miniſteriô, quos ad cognoſcendam cauſsam, ſedandóſque motus, tum inermes eò miſerat, tum & armîs formidandos. In quibus ille tamen omnibus, ſeveritate tantâ geſtîs, uſqueadeò *Judæorum* non fovit, aut promovit, contra cives, cauſsam; ut in iis, quas ad *Matthiam* Imperatorem ſub exeuntem Aprilem dedit, litterîs, etiam *adversùs* eos, & eorum intolerabilem fenerandi ſævitiam, ſatìs apertè ſteterit: ingenuè profeſſus; *In odio Vormatienſium Chriſtianorum, erga gentem illam, tam implacabilî, tam in animis penitùs, & à ſæculis, infixô, non poſse ſe diſpicere; quibúsnam excogitatîs remediis unquam in poſterum, aut Judæi ſine vitæ manifeſtô diſcrimine Vormatiæ civibus, aut ſinè redivivis aſſiduè ſeditionibus cives Judæis, convicturi ſint?* (50) *Quid igitur elementis, tam inſociabilibus, utilius fore; quàm loca diſsepta? qualiſq; jam fieri cœpta ſit, ſegregationem?*

XXVI. Hæc, rumore primùm ambiguô,

Anni Acta.

guô, pòſt verò ſenſim rebus ipsìs, & experimentô, *Judæis* comperta; graviter eorum animos affecerunt: quòd & *Vormatiam* haberent pæne totam inimicam; &, præter hanc plagam, iîs quoque, quos intus, ſinque viciniâ, ſperârant rebus ſuis amiciores, uti tamen amicìs ac benevolìs deſiiſsent.

Accenderat quoque dolorem eorum, iîſdem diebus (51), quibus in Hebræorum expulſores clam ac palàm inquirebatur, *contumelia verborum* inſignis, cumulata factîs: quando *Judæis duobus*, impudentiâ ſingularî, fiduciâq; fauturi ſibi conſeſsûs Quæſitorum, Vormatiam contra pacta migrationis irrumpentibus, & cujuſdam è ſuis extincti recens cadaver ſepulcreto ſuo veteri contumaciter inferre contendentibus, conſtanter reclamatum eſt; intérq; publicam repulſam, demonſtratus *ſepulcrorum* fundus omnis, in ſolitudinem redactus. à plurimis autem reſponſum; *Irent igitur: &, vel ſub patibulo, morticînum ſuum humarent*. (52)

Sed omnium acerrimè *Judæos*, Vormatiâ fugatos, jam tum à principio relegationis, afflixit, ad eos perlata fama, *Synagogæ* ſuæ nationis, (*mille* pluſquam *&* *octingentorum* inſuper

ſuper annorum vetuſtate venerandæ,) primùm quidem tectô turpiter nudatæ: poſterîs verò diebus, penitùs convulſæ, dejectæ, fundamentorúmque tenus everſæ.

Quæ res ſimulac certis apud exules auctoribus innotuit; extemplò viri fœminæq;, ſenes ac juniores, pueri, virgines, & Judaicum omne nomen, luctui lamentiſque ſeſe dare; clamoribus inſanis, & ejulatu, noctes diéſque perſonare; locum omnem, ac tempus, quiritationibus implere; veſtes à pectore diſcindere; pro veſtitu ſueto, ſaccîs operiri; cinere ſabulôq; capita perſpergere; ritu gentis, à medio noctis, ad noctem uſque poſtridianam, alimentîs abſtinere; terrâ, manuum unguibus pertusâ, ſcrobes facere; diſpaſsîs utrimque brachiis, in humum ſe pronos abjicere; vociferationibus ac precibus, nunquam interruptîs, *Meſſiam* ſuum implorare. qui nuſquam tunc ſe conſpiciendum eis dabat, nec illis opitulatum veniebat; & in oculis tamen *Jeroſolymitarum Judæorum*, ante ſedecim ferè ſæcula, vivens, ac videns viſúſque, verſatus erat, ac ſteterat: quando *Sanguinem* illius *ſuper ſeſe, poſterorúmq; ſuorum capita*, devocabant. cujus pars ultionis tunc

Anni Acta.

tunc (etiam tantò pòſt,) in *Hebræos* quoque *Vormatienſes* ebulliebat. (53)

XXVII. Inter hæc præterea, *Judæorum* iſtorum cauſsam, invidiámque, parte non minimâ gravabat & *Hebræus* quidam *Pragenſis*; cuj *Samueli* nomen. Hic, eâ viâ mentéque, quâ jam anni ſuperioris *autumnô* venerat ad Francofurtenſes nundinas, *furandi* ſtudiô, ſucceſsúque (54); rediit eodem, etiam ad præſentis anni mercatum *vernum*: artísque ſuæ repetere ſpecimen exercitiúmque cœpit, vigeſimo ſeptimô ſtatim Martii die: quo, clavibus inſtructus adulterinîs, & aliîs id genus effringendarum forium ac ciſtarum adminiculîs, *Frankenthalenſium* mercatorum cuipiam, domô tunc abſenti, trecentos *aureolos* ſurripuit. Id furtum in alterutrum ſtatim illorum diverſoriorum deportavit, quorum (in omnes rerum eventus,) *gemina* ſibi conducta, comparârat: alterum quidem, intrà muros urbis; alterum, in vico ſuburbanô. ſed urbicum illud, cuj, *Poſt-Agnellum*, cognomentum fuit, ideò rationibus illius viſum erat accommodatius; quia mercatorum complurium, & opulentiorum, viciniâ circumſeſsum. *Samuel* tamen hac opportu-

Digitized by Google

portunitatum ſuarum copiâ nondum contentus, oculos inſuper & animum injecit hoſpitio, cuj nomen *Helvetico Diverſorio* fecerant. Hoc, *trium* erat, & quidem, ſingularum, distinctîs habitaculîs frequentium, contignationum. In harum ſupremâ celſiſſimâque cùm hoſpitari *gemmarum mangonem*, itidem Frankenthalenſem, didiciſset *Samuel*: poſterô mox, à primi furti ſucceſsu, die, (qui fuit, Martii viceſimus octavus) virgulam manu geſtans, & ocreîs atque calcaribus, (ſicut, ab equitatione recentes, ſolent) adornatus, & quaſi patriciæ gentis advena; per ſcalas omnes audacter in partem ædium eandem evaſit, in qua *gemmarius* habitabat. Obſervatô verò, cum cura, cubilî conclavíq; *gemmarii*, tunc etiamnum domì ſe tenentis, priuſquam negotiorum tempus in urbem eum evocaret; *Judæus*, expromptâ velociter, ad id genus fallaciarum accommodatâ, clavî, proximum habitationi mercatoris iſtius hybernaculum reſeratum, tanquam ſuis conductum uſibus, introgreditur: ibíq;, velut inter magna negotia, ſurſum ac deorſum, & ultrò citróque, ſeſe movens; gemmarii præſtolatur, ex ædibus, egreſsum, ad inſtitorias occupatio-

G

Anni Acta.

tiones & curas obeundas. Poſt cujus abitum, ubi cubiculum ejus videt ſolitarium, ac ſolerter quidem obſeratum, ſed nullâ ſub cuſtodia, ne *canicula* quidem, relictum; artibus, ſibi notîs & uſitatîs, celeriter irrumpit: quid in arculis & armariolis ubique lateat recónditum, oculîs percurrit; è pittaciis chartaceis, unicuique mercium ſingillatim appensîs, pretia diſcit: ac, ne morâ, collocupletandi ſuî tam *optatam*, at *brevem*, facultatem amittat, aut corrumpat; ſub unum temporis articulum, quidquid in ſinum ac veſtes abstrudere gemmarum, unionum, & monilium, quidquid item muraenularum, & inaurium annulorúmque, poteſt; id raptim ac furtim univerſum aufert, pretiô *ſedecim millium* aureolorum (quos, ut dixi, *florenos Imperiales* nominamus) æſtimatum.

Reductîs autem poſt ſe foribus, primùm quidem gemmarii; deinde (poſtquam priùs indiculos cimeliorum omnium papyraceos, iis detractos, *imprudenter* in pavimentum ibidem abjecit,) etiam ſuímet conclavis aditu diligenter occluſo, ſemet ex ædibus *Helvetici-diverſorii* proripit. Secum interim, quâ viâ rationéque quàm tutiſſimâ, facillimâque,

mâque, ſe ſuáq; quàm primùm extra Francofurtum conſtituat, deliberat, & inquirit. Multa cogitanti, ſuccurrit demum; aurigam conducere: cujus mercenariô covinô quóvis avehatur, ubi ſecurus, & ſinè periculo comprehenſionis, verſetur. Nec tota nox interceſserat; cùm, poſt ſollicitam indaginem, eſsedarium *Samuel* invênit; qui, vecturæ pretiô non ſordidè conſtitutô, poſtridianô diluculô ſummô properantem avecturus illuc eſſet, ubi *fur* extrà teli jactum conſiſteret.

XXVIII. At *gemmarius* interea, rebus in urbe, quò rerum conficiendarum neceſſitas eum evocaverat, compoſitìs, otium nactus; & in hoſpitium ante noctem reverſus; poſteaquam, quæ domì reliquerat, compilata vidit, & ablata; damni magnitudine vehementiſſimè perculſus, afflictare ſe cœpit, & in omnes verſare partes, *furis* deprehendendi, ſurreptáq; recuperandi, cauſsâ. Quò minùs autem in conclave ſtatim ejuſdem contignationis, ſibi vicinum, irrumperet, & amiſsa requireret; præter fores occluſas, nonnulla quoque virum, dignitatis ac decóri memorem, reverentia nobilitatis, ac verecundia, deterruit, Nam & ipſe *Samuelem*,

etſi tunc neque nomine tenus, nec natione, ſibi notum, in calcaribus tamen, & ocreatum, ambulantem ſurſum deorſúmque, notaverat; &, hominem plúſquam plebejum credens, ſuſpexerat. Ut autem in furti ſuſpicionem virum talem traheret, induci perſuaſione nullâ ſe, paſſurus erat. *Diverſitorem* igitur (quod unicum mali, vel remedium, vel allevamentum, apparebat eſſe reſiduum,) cónvenit, & alloquitur: eíque calamitatem ſuam exponit. Quid conſilli ſit, in re præcipiti, morámq; non ferente, quærit. Uterque ſolliciti ſunt, ac lamentantur: ille, quòd diſpoliatus ſit; iſte, quòd ſpoliorum, aut in ſolidum poſſeſſor, aut certè particeps, videri poſſet. Nec ille tamen inſimulat hoſpitem; nec hoſpes ſe ſpoliato purgat: *ne ſuſpicionis depulſio, non-petita, ſuî latens crederetur accuſatio.*

Cæterìs ergò rebus omiſſìs omnibus; uterque, ſolam in indaginem amiſſorum intenti, noctem illam totam, diſcurrendo, quærendo, notos & ignotos appellando, ſciſcitatione ſollicitâ tranſigunt; neuter ab altero vel pedem movens: ne res in ſuſpicionem ullam incideret. Cùm autem, tentatìs omni-

omnibus, nihil proficerent; geminum, inter hæc, conſilium anxiis in mentem venit. Alterum quidem, *humanum*, & facilè cuivis, ſi mentem colligeret, obvium: ut, formîs typicîs, per exemplaria quàm plurima deſcriptæ, palámque locîs publicis propoſitæ, merces amiſsæ gemmarum & cimeliorum paſſim, ac ſtatim, innoteſcerent; ideóque cónvenis omnibus, & oppidanis, & extra Francofurtum agentibus, longè latéque depingerentur: quò, ſicubi fortè vel univerſæ, vel earum pars, venum proponerentur, injici manus in venditorem, & ad auctorem furti quæſtionum gradibus perveniri, poſset. Alteram verò, recuperandi res ablatas viam, propè *divinitus* eis demonſtratam eodem tempore fuiſse, declaravit exitus: ut, quidquid eſset vulgò notiorum aurigarum, & carpentariorum, conveniretur ab his; & eò præmiorum pollicitationibus inducerentur; ne, ſiquem vecturæ conductorem experirentur *plus nimiô properantem, & avectionem ſuî perurgentem*, id diſſimularent; ſed per internuntium clandeſtinum, è veſtigio, gemmarum inſtitorem *feſtinationis* illius (utpote ſuſpectæ) commonefacerent: ſi fortè *præcipitis abitûs ea cupiditas*,

Anni Acta.

ditas, ex mala conſcientia traheret originem ſuam. Utrumque conſiliorum iſtorum amplexi, deſtinatis inſiſtunt, gemmarius, & diverſitor.

Inter eas porrò, quas memoravi, curas & labores, exacta nox erat; & diluculum aderat: nec tamen ullum adhuc *furis* indicium.

XXIX. Ecce verò, cauponi mercatoríque, dum ad prælum typographicum unà ſedent, ac furtò ſublatorum *elenchum*, in pagina conſignatum, typôque recèns expreſſum, revident emendántque; ſubitò nuntiatur: Ante, neſcio cujus, eſſedarii fores, expeditum ſtare, proximúmque diſceſſui, covínum; accuratè contectum. deſiderari nihil, præter equos (qui mox jungerentur) &, cum auriga, currûs inſeſſorem. Hîs illi cognitîs; ab extremo nuntii verbô proripiunt è typographéo ſe; curſúque, deſignatas ad ædes provolantes ambo, reperiunt aurigam, opportunô ſibi locô, procùl arbitrîs, breviter & candidè narrantem, de conducto proximâ nocte curru: de conductore; quíque vultus ejus, color, amictus, ſtatura. quantopere præterea, primâ jam à luce,

ce, *feſtinet*, & urgeat abitum ſuum: quem ipſe tamen, eorum in gratiam, adhuc differre laborârit. Intellectîs hîs illi, quamvis, ad conjecturam minimè præcipitem ducendam, lucis ac ſcientiæ multum jam haberent; quò certioribus tamen indiciîs & argumentîs ad notitiæ penetralia pervenirent; aurigam, per quidquid ſacrum eſset & charum, obteſtantur: ut, quod hucuſque fecerit, id facere pergat, & equos etiamnum jungere differat, exiguâ morâ; dum interim domum ipſi ſuam celeriter repetant; & indidem ad ipſum eâdem celeritate recurrant. Acceptô dilationis promiſsô; *quod feliciter eveniret*, precati Deum, in diverſorium Helveticum, & in ædium earum ſupremam partem, feſtinant: rectâque *Samuelis* (ab auriga ſatis deſcripti) ſuppoſititium in hybernaculum introgreſſi, ſingula cum cura circumquaque luſtrant, ac rimantur; ecquod furis, aut furti, veſtigium reluceat? In *conclavi primo*, nihil; in proximè connexô, minus nihilô deprehendunt: donec in cubile ventum eſt nocturnum. Ibi, ſicut *Judæus* raptarum mercium *indiculos* papyraceos (quemadmodum ſuperiùs narratum eſt), iis detractos, & a-

vulſos, in ſolum, ſtudiô feſtinationis, inſipienter abjecerat; ità ſparſim jacentes inveniunt ipſi, colligunt, recognoſcunt; ínque modum hunc, jam evidentiſſimè compertô direptionis auctore, caupo quidem in ædes aurigæ continuò revolat, ad *Judæum*, priuſquam is elaberetur, vel tantillùm adhuc diſtinendum. Mercator autem, *Romanenſem* (quam vocant) in *curiam* tranſcurrens, à ſenatu, tunc commodùm jam convocatô, *ſervum* impetrat, & abducit, *publicum*. (55) Qui cùm raptim, & ipſi, tranſitu compendiariô veniſsent ad aurigæ domum; in ipſo temporis punctò, conjectîs jam in currum abſtrusîsque ſarcinîs ſuîs, & equis junctis, *Judæus* aurigam, adhuc nihilominus cunctabundum, ſuis ædibus extrudebat: & inſcendens, *Rumpe*, clamabat, *rumpe ſomnolente, moras, ac deſidiam tuam! & tandem avehe me, quò juſſus es.* Enimverò (reponit contrà, curiæ miniſter, à gemmario prædoctus,) tu reprime currum, auriga! tu verò, foràs profecture, mane, ſodes! ac mecum in cuſtodiam, nunc ſtatim, proficiſcere. Simùl injectîs *Hebræum* manibus prehendit: fruſtráq; reclamantem, & pugnîs calcibúſque contrà ferien-

ferientem, lictor (quippe, viribus longè valentior,) pilentô detrahit. unà quoque, ſarcinas illius dereptas hoſpiti gemmarióq; committit; &, cum his, eos ſequi ſe jubet. Ipſe, vinctum à ſe, civium inter concurſum, ac turbam, in *Turrium* unam, captivis aſſignatam, raptat: in qua, casù tum, ità multi tenebantur in vinculis, alii quidem arctioribus, nonnulli verò clementioribus, & uno tantummodo pede longiorem ad catenam hærentes; ut captivo noviſſimo, niſi plurium in contubernio, locus non reſtaret. Illuc ergo deductus iſte, geminámque compactus in compedem, mitioribus primùm interrogationibus invaditur: *Quis nomine, locô, genere, profeſſione? quamobrem Francofurtum intrârit?* Is, *Samuelem* ſe dicit; patriâ domóque *Pragenſem*; gente *Judæum*; conditione (quâ gens ſua tota ſit) mangonem, ac permutatorem: ad mercatum denique, compendii ſui lucellíq; cauſsâ, commeâſse. Cæterùm, ad *furtum* quod attineret, cujus, ad gemmarii poſtulationem, à quæſitoribus inſimulabatur, ſcire ſe minùs, quàm quemvis *lapidem*, in trivio jacentem. At mei (reponit mercator) *lapides*, ſi ratione pollerent, id

Anni Acta.

id ſcirent; ſi loquendi facultate potirentur, id dicerent. Quos *lapides* tu mihi fingis? ait Judæus. Illos ipſos, (inquit mercator) quorum tu titulos chartaceos, cum pretiorum conſignationibus, in Helvetici diverſorii ſupremo cubili diſperſiſti. Cúmq; dicto, *Schedia*, quæ primulùm illic, hoſpite quoque præſente, reperiſset, in medium profert. At is; nec ſchedulas ſe commentitias illas uſpiam vidiſse, nec in hoſpitium Helveticum intuliſse pedem unquam, contendit: ut, qui *Poſt-Agnellum* propriò, nec uſquam aliò domicilio, ſolitus ſit diverſari ſemper. Ità, per vices, dum affirmat hic, & negat ille, dum alter accuſat, & accuſatus reclamat, ac dejerat; nullo fructu tempus ducitur. Venitur igitur ad *indicia* demum præſentiora: reſolutísque faſciculis ac ſarcinîs *Judæi*, quas, è curru direpto receptas, hoſpes & mercator attulerant; *gemmas*, & omne furtum reliquum, expromunt accuſatores: unàque *claves* etiam *adulterinas*, in imo ſarcinarum ſacculo repoſitas. Hæc omnia ſinguláque negat pernegátque *Judæus*, eſse *ſua*; ſed, ab aliis, in occaſionem accuſandi ſuî, doloſè ſuppoſita. quod totum is, eouſque facere dice-

diceréque, perſeverat; donec admota tandem corpori *tormenta*, verum expreſſerunt.

XXX. Ibi tum & hæc, quæ rogatus erat, & quorum poſtulatus nondum apertè fuerat, confitetur: Ablatas furtô pridianô *gemmas*, cæteráſque merces; nudiustertianô verò, *trecentos aureolos*, utrumque Frankenthalienſibus ab inſtitoribus. Ante *ſex* quoque *menſes*, in partem ſe veniſſe prædæ, quâ diſpoliatus in nundinis fuerit quæſtor *Leininganus*. Horum omnium, poſt conſtantem confeſſionem ſine dubitatione reus, & convictus, *Samuel* damnatur, ad decimum tertium Aprilis diem: quo die, triduum jam exulabant Vormatienſes Judæi.

Supplicium illi *furum* indicitur, vulgatum; *patibulum publicum*: unde, collô religatus, pendeat, ſi *Chriſto* nomen det, &, ejuratô Judaiſmo, *Filium-DEI*, cum *latrone* ſcelerum pœnitente, recipiat; ut ab eo viciſſim & ipſe *Paradisô* recipiatur. At hic impius, & exitio ſempiterno debitus; *DEI Filium quémnam*, inquit, *mihi jactatis, ac ſuadetis? aut quomodo Filii genitor eſſe Deus potuit, qui nullam unquam fœminam eſt expertus?*

Propter

Anni Acta.

Propter hanc igitur ſacrilegam vocem, & pervicaciam inemendabilem, ſupplicium ejus mutatum in aliud, ac deterius, eſt: Ut, cui licuiſset alioquin, è collari fune *rectà* pendere, pedibus *deorſum* demiſsîs; is jam, à talîs pedum revinctus ad trabem, capite, terræ proximô, ſurſúmque reſpicere coactô, pendéret, ac periret. Id enimverò ſceleratus hic præmetuens, & horrens; nocte, quæ diem funeſtum anteceſſit, exemplum recens *Ruſkii Pragenſis* ſecuturus (de quo dictum in annum hujus Sæculi duodecimum eſt,) *Pragenſis* etiam ipſe; ligulas, à femoralibus abruptas, & connexas, collo circumdedit; extremitates earum ad parietis paxillum arctè deligavit; ex eóque, dejecto corpore, pependit. Dum autem cum nodo luctatur, & omnî virium contentione ſuffocare jugulum gulámque connititur; nec tamen id expedire poteſt: agitatione ſonorâ corporis illius expergefacti, qui proximi cubabant, captivi, laxiùs vincti, ſurgunt: ad pendentem, quantùm valent, accurrunt: abſciſsóque nexu colli, ſalutem, quam is nolebat, ſuſpenſo reddunt. Manè poſterô, ne commovere poſthac manus ullo modô poſset in perniciem

nicicem ſuam; ferreô thorace ſuperiora corporis, ab humeris ad umbilicum uſque, conſtringuntur *Judæo*, jam undequaque clauſo: præterquam ore. Clamat, Necdum ſe ſuî totum indicium peregiſſe; ſed reſtare, quod Judicibus aperiret, ſi dignarentur auſcultare. Juſsus dicere, novam orditur ſuî picturam, ac deſcriptionem: &; *Ego*, *Samuel* (inquit) *jam olim, octavô vitæ meæ die, dici cœptus, ſic nominari diu perrexi: donec, in novam impulſus alienæ religionis profeſſionem*, baptiſmô *tinctus ſum Chriſtianorum; &, ſub iis carimoniis, pro Samuele* Chriſtophorus *appellatus, in oppido Bohemorum Koſtavora. Nec in iis tamen ſacris moram longam traxi; ſed, ad Moſaicos reverſus ritus;* Chriſtophorum *abjeci*, Samuelem *reſumpſi. Quæ fateri nunc, priuſquam ultima ſubirem, placuit: ne vos, in me* Chriſtianum *nihil unquam extitiſſe, falsò crederetis.* Caput, *baptiſmô lotum, &* nomen, *aliquid* Chriſti *circumtulerunt.*

Hæc hactenus de ſe *Judæus* enuntiavit; veréne, cúmque ſimplicitate narrationis? an falsò potiùs (ut hodie gens eſt ea;) non ſtatuerim. Id tamen ab homine callido tentatum eâ narratione, ſuſpicari quis auſit:

Ut

Anni Acta.

Ut *caput*, lavacrô, Chriſtianis ſacroſanctô, perfuſum olim, mitius aliquantò, quàm Judaici ſuſpendii, ſupplicium, ob *baptiſmi reverentiam* eblandiretur. Ea ſpes, in contrarium vertit: &, quod valiturum ad clementiam provocandam videri poterat; è mentione transfugii, valuit ad judicum indignationem accendendam; clamantibus & in turba multîs; *Tantò meritus atrociores pœnas es, duplex deſertor*!

In trabem igitur ligneam (quæ, trunco ligneo per tranſverſum conſerta, litteræ Græcæ Γ *majuſculæ* formam referebat) per funem robuſtum, è trochlea deſcendentem, infelix Hebræus ſic pertrahitur; ut reſtis pedibus, arctiſſimè circulô ferreo compactis, circumvoluta, connexáque, plantas & tibias in ſublime raperet: in imo relictîs humeris, & capite. quod, inter rotæ trochlearis, & populi, tumultum, inſtar *anſeris* utrimque *Samuel* agitans; horrendùm ſimùl, & ridiculâ tamen ſermonis *Alemannici* dialectô, vociferabatur, & ejulabat: (56) quoad, obſtrangulatus tandem, & voces & vitam finiit, Aprilis quintodecimo die; qui Sabbatinus tunc, & noſtris erat, *In Albis*, dictus: *atratus*, Judæo. XXXI.

Septennium III. Annus 1615.

XXXI. Cæterùm, iſtorum *unius Iſraëlitæ* facinorum fama, tam tetra, tum aliò paſſim, tum Vormatiam, (tunc vel maximè Judæis exterminandis intentam,) perlata; perſuaſu facillimum eſt, quantum nationis hujus in univerſum, & accenderit odium, & incenſum amplificârit. Nec id adeò ſinè juſta graviſque cauſsâ. Primùm; quia, quod *alicubi* ſceleſtè tentatum facinus erat, *alibi* quoque facilè ſuum inveniret imitatorem: & hic turbas poſt ſe traheret, éadem auſurorum. Movebat deinde, mercatoris-gemmarum immane damnum; cum fortunarum omnium incitîs, & naufragiô, ſecuturum, tum illum, tum hæredes ejus: niſi protractum in lucem furtum eſset; &, ablata recuperari, contigiſset. Accedebat ad hæc, *cauponis Helvetici*, laborans interim, & apud complures jam in ſuſpicionem ſermonúmque libertatem adducta, fidelitatis integritas: tanquam is haud penitùs, & per omnia, furti conſcientiâ caruiſset. A prudentioribus quoque dubitatum non erat: quin, ſi Francofurtum urbs adhuc *Parvam* ſuam illam (de qua dictum eſt annô ſuperiore) *Jeroſolymam* Judæis reliquiſset; illa *Samuelici furti* receptacu-

ptaculum futura, ſine ſpe recuperationis, fuiſset. Hæ proinde *Vormatici tumultûs* alendi, ſecundariæ fuêre *faces*.

Probatiora tamen interim anni præſentis Acta civilia *Francofurtenſium*, & Cæſari fuerunt, & pleriſque tranquillitatis amantibus; quàm illa *Vormatiana*. Præſertim autem, *Juſtitiæ* ſtudium, quod Francofurti, jam tum ſub Anni ſtatim ingreſsum, eluxit: quando, per *Legatorum imperialium* (de quibus annô præcedente crebrò dictum eſt) *prolegatos*, Juris conſultiſſimos viros, *Francofurti* primùm, ſeſquimenſtruô ferè judiciô, poſtea verò, Majo menſe, translatîs *Hœchſtam* cognitionibus, denuò, continentérque, quæſitum in eos omnes fuit; qui *Fettmilchianam* præteriti temporis *ſeditionem*, ſeu manu juviſſent, ſeu clandeſtinîs conſiliis animâſsent. (57) Succeſsum tamen, & operæpretium, inveſtigationis iſtius, aperiet, non niſi proximè ſecuturus Annus: qui belluas illas, latibulîs ſuis extractas, in luce *theatrali* conſtituet; ad ſupremam uſque vitæ lineam, & *Actum*.

TESTI-

Digitized by Google

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) *Continuator Slejd. Parte 4. in annum 1615. pag. 268. col. 2.* (2) *Boicorum annalium digeſtor, Partis 3. libro 2. num. 36.* (3) *Idem Boicorum conſcriptor, locô cit. num. 38.* (4) *Ammianus Marcellinus ità* dimenſa *nominat* annonæ *militaris caſtrorum. Alioqui,* Tributum *erat* Frumentarium : *quod populo Romano quotannis péndere compellebantur, in provincias redactæ, Sicilia, Ægyptus ; & Africa cætera, ſtipendiaria Romanis effecta.* (5) *Fuit is,* Mauritius Elector : *quem, in hoc, Succeſſorum ſecutus eſt nemo. & Mauritius hic idem, tertiô pòſt annô, periit è vulnere lethali; quod in conflictu, adversùs Albertum Brandenburgicum initô, accepit : ut tradunt Annales Boici noviſſimi, Parte 2. libro XI. num. 1. & 6.* (6) *Continuator Slejd. nondum tunc imminutus : & impreſſus Francofurti, annô 1616. formîs Pauli Jacobi, in fol. Parte 4.* (7) Aala, *quibuſdam & Ahla,* Aalen/ Alen/ *& Avvlen; urbs, an urbis ſummula? in valle Cocherána, ad fluvium Cocham ſeu Cocheram,* anguillarum *piſcatu quandoq; celebratum, ſita; ad Rhætiam Suevicam ſpectat : ut Abrahamus Saurius*

H *tradit,*

Anni Acta.

tradit, in Urbibus, litterâ A. Ea deniq; Circuli, *quem JCti vocant*, Suevici, *civitatibus, æquè ac Gienga & Bopſinga, adnumeratur, apud Jodocum Hondium, in Atlante etiam Minore, tabulâ VVirtenbergiæ. Hanc partium* acatholicarum *fecit annô 1575.* Jacobus Andreæ, *prædicans Lutheranus. Vide Saurium loc. cit. V.* Alen. (†) *Rei cujuſque, in partes duodecim tributæ, octo partes (Germanis* Zwey Drittheil) *dicitur BES Romanis: monetariis, ac trapezitis,* Acht Untzen/ oder ein Marck. *Tot partibus aliquando, trienti parvulo Catholicorum prævalebat, numerus acatholicorum Iſnenſium.* (8) *A Continuatore quidem antiquiore hic legatus Germanicè dicitur,* Ammaiſter. *At Abrahamus Saurius, in libro de Urbibus, V.* Straſsburg, *binis locis, pag. ſcilicet 125. & initiô paginæ 126. exponit hujus vocabuli vim, ſcribendo.* Der Erſte Ammaiſter / oder Burgermaiſter; &, Die Ammaiſter (*Conſules*) ſeynd nit vom Adel/ aber doch vornemen Geſchlechts *&c.* deren auch Sechs ſeynd: gleich wie auch die Stattmaiſter Sechs an der Zahl / doch auß dem Adel ſeynd. *pag. 125. ante fin.* (9) *Slejd. Redivivus, libri 20. initiô: & Continuator antiquior, Parte 4. pag. 244. columnâ 1. & pag. 245.*

Septennium III. Annus 1615.

Digitized by Google

245. col. 1. (10) *Annalium Boicorum ſcriptor, Parte 3. lib. 3. num. 4. Qui idem, & de Electore Saxone, ſeſe turbis illis penitus non immiſcente, cum laude ejus memorat, Parte 3. lib. 2. num. 37.* (11) *Boicos Annales vide, Parte 3. lib. 19. num. 3. & 8. ſimul junctis. ubi etiam Legati illi* nominatim *exprimuntur.* (12) *Continuator vetuſtior, Parte 4. pag. 266. col. 2. nominat eos,* Die Söhn des Emirs (*Amira, hoc eſt, Principis*) von *Sayda. Sidon porrò, notiſſima illa Phœniciæ urbs, hodie dicitur Sayd, vel Sajda, à Poſtello, Nigro, Carolo Stephano.* Amiras *autem* (Emir) *vox eſt Saracenica; notáq; ſupremæ, in aliqua provincia Saracenorum, poteſtatis.* (13) *Continuator antiquior, Parte 4. pag. 266. columnâ utrâq;. & pag. 271. itidem utrâq; col.* (14) *In epiſtola, quam ad Joann. Comitem Naſſovium Dux Sabaudiæ, C. Emmanuel, 24. Junii annô 1615. dedit, verba quædam, finem antecedentia, Ducis hujus, è cunctatione Naſſoviana conceptam offenſionem, haud minimam, præ ſe ferunt.* Deſſen ich euch nun vnverzüglichen zu dem Ende berichten wollen; damit ihr euerem vnterhabenden Kriegsvolck widerumb könnet abdancken/ vnd euch nit in weitere Vnkoſten ſetzen. Vnd

möget ihr deſſen wol verſicheret ſeyn/ daß mich mein gantzes Lebenlang gerewen wird/ daß ihr diſer Enden nit zu rechter Zeit ſeyt angelangt. Dann wir/ ſonder allen Zweifel/ etwas namhafftiges wolten außgericht/ vnd die Spanier/ zu weichen/ getrungen haben. &c. (15) *S. Paulus, ad Roman. cap. 6. v. 23.* (16) *De hac legatione mentionem, ſed tenuem, introducunt, Appamianus, in annum 1615. Continuator Slejdani auctior, Parte IV. libri V. fine. & aliquid etiam P. Nicol. Trigautius, in Triumphis Martyrum Japonic. lib. 2. cap. 6. & lib. 5. cap. 18.* (17) *Janus Nicius Erythræus, Pinacotheca parte 2. cap. ſeu Vitâ 60.* (18) *De qua transcurſim inſperſa mentio eſt Septennii I. anno 6. De compoſitione motûs illius, leges aliquid etiam apud Gabr. Bartholom. Gramondum, lib. 2. Gallicanæ, ſub Ludov. XIII. geſtorum, hiſtoriæ.* (19) *Idem ipſe Gramondus, hiſt. Gallicanæ, lib. 1. ante fin. longiuſculè. Qui ſanè ſcriptor honorificentioribus encomiis* Valeſiam *iſtam, quàm in Henrico ſuo Quarto Ruthenus Perefixe, proſequitur: quando & obiter Reprehenſorem Margaritæ reprehendit.* (20) *Gramondus, modò citatus: ibid. ad libri 1. fin. longiùs.* §. Mos litteratis &c. (21) *Lege Sl. Conti-*

Continuatorem, ſed incorruptum : part. 4. pag. 281. col. 1. (22) *Menologium Societatis peculiare, ad diem Aprilis 14.* (23) *Philippi Alegambe, in Heroibus S. J. Libelli quoque, poſt obitum ſtatim Ogilbei typis dati. & aliorum complurium è. ſcriptis, hæc eadem eruuntur. De Ogilbæorum ſtemmate, Stuartis, & Barclajis, aliiſq; nonnullis, iiſq; clariſſimis in Scotia familiis, innexá; vide frontem illius libri, quem Guilielm. Barclajus, Joannis pater, argumentô invidioſô,* Pro Regum eminente quapiam exemptione, *vulgavit.* (24) *Exodi cap. 21. v. 28.* (25) *Vide R. P. Georgii Mentzii,* De Arte patiendi & compatiendi, *Librum 1. cap. 8. n. 3. Qui etiam addit;* Fabium, *in extremis jam conſtitutum,* DEO *opt. max. gratias egiſſe ſingulares, eô quoq; nomine; Quòd ea calamitas in ſe potiùs, quàm in alium quemvis hominem, ingruiſſet : ſimúlque, pro mirifica ſuî demiſſione, oblatâ ſibi occaſione, per Miraculum conſaneſcendi; id detrectâſſe modeſtiſſimè : cauſſando pronuntiandóq;, Se remediîs tam excelsîs* Indignum *eſſe.* (26) *Sapientiæ 3. v. 2. & 3.* (27) *Quintô die Octobris. Continuator diffuſior, parte IV. pag. 231. col. 2. ad med.* (28) *Sic enim idem auctor,*

Anni Actæ

ctor, pag. 283. col. 1. loquitur de Höe, Pragæ poſtea anno 1615. rurſus verba faciente. Hat zum Exordio ſeine alte Pfarrkinder &c. verehrt. (29) Lucæ cap. 6. v. 26. & Joan. cap. 8. à v. 46. uſq. ad fin. & Matth. 17. v. 12. & 13. (30) Heroldus apud Hadrian. Junium, in Oppidis V. Vangiones. (31) Abrahamum Saurium vide, De Urbibus: V. Vormatia, Wormbs. pag. 193. Id autem dicit Lutherus ipſe de ſe, in epiſtola ad Duces Saxonicos, De ſeditioſo Spiritu, anno 1524. VVittembergæ impreſſâ: Quaternione, B. Ich bin zu Worms/ für dem Kayſer/ vnd gantzen Reich/ geſtanden/ * wann ich gewüſſt hätte/ daß ſovil Teufel auf mich gezilet hätten/ als Zigel (Ziegel) auf den Dächeren waren zu Worms; wäre ich dannoch eingeritten. &c. (32) Continuatorem diffuſiorem expende, parte IV. pag. 252. col. 2. ante med. §. Als die Juden &c. (33) Vermög der Policey-Ordnung de anno 1577. ut verba ſonant Mandati Pœnalis, anno 1614. die 1. Octobris ab Imperatore f. m. Matthiâ, ad Senatum Vormatienſem miſſi. (34) Matthias Imperator, in Mandato eodem, ad Senatum Vormatienſem, poſt medium. (35) Indidem clarè eruitur; è Mandato videlicet Pœnali, à para-

Digitized by Google

paragrapho, Aber diſen Sonnenklaren *&c.* (36) *l. qui jurisdictioni. ff. de jur. om. ju. &* *C.* nequis in ſua cauſsa judicet. *per totum.* (37) *Deuteronom. cap. 4. v. 20.* Vos (*Iſraëlitas*) tulit Dominus, & eduxit de fornace ferreâ Ægypti. *Item 3. reg. cap. 8. v. 51.* Populus enim Tuus eſt *&c.* quos eduxiſti de terra Ægypti, de medio fornacis ferreæ. (38) *Hæc urbs, Vangionum olim ſedes, Trevirorum opus; ab Hunnis & Attilâ poſtmodum everſa; à Carolo Magno reſtituta fertur. Saurium in Urbibus vide, ad initium V.* Vormatia. *Jod. item Hondium, in tabula Palatinatûs Rheni, circa med. à §.* Fuerunt ab initio *&c. uſq; ad §.* Sed contrà affirmat *&c.* (39) *Vormatia etenim, admodum amœnô ſita locô, Rhenum quidem adjacet; ſed à pleno fluminis ejus alveo nonnihil diſtans. Abr. Saurius, in opere De Urbibus, V.* Vormatia, *ad init.* (40) *Continuator fuſior, Parte IV. pag. 255. col. 2. poſt med.* (41) *Idem, pag. & col. eâdem.* (42) *Libro 2. reg. cap. 21. à princ. uſque ad v. 15.* (43) *Apocalypſ. cap. 3. v. 9.* (44) *1. Theſſalon. cap. 2. v. 15.* (45) *Continuator antiquior, Parte IV. pag. 252. col. 2. ad medium.* (46) *Ad Hebræos, cap. 10. v. 29.*

Digitized by Google

(47) *De utráq; ſtatuarum iſtarum, erigendâ in publico, ſignatè diſtinctéq; tradit Continuator diffuſior* (*etſi* acatholicus) *partis IV. pag. 252. col. 2. ante med.* (48) *Ut v. g.* Bernaviæ, *Palatinatûs Superioris oppidô, ad radices montium Sylvæ Bohemicæ: ubi metallina Chriſti crucifixi imago, è pariete templi eraſa circùm hæc tempora, (ut & alibi aliæ) auctoritate Calviniani heptarchi; mihi monſtrabatur à Curione loci, adhuc annô 1632.* (49) *Id enim colligitur è Slejd. Continuatore, pag. 155. ubi, irruptioni* Capellatienſium *nocturnæ ſeſe oppoſituris civibus Vormatienſibus, Senatus perſuadet;* Nequaquam ab Hoſte portas, aut muros, obſideri Vormatiæ: Sonder (*ajebant*) ihr beſter Vatter vnd Freund / wäre verhanden. Solten ſich derowegen zu Ruhe begeben / vnd keines Gewalts ſich beförchten. *Quæ utique dicebantur, è notitia mutuâ conſiliorum; quæ utrimq;, inter Principem nempe illum, & Senatum urbis Vormatiæ, jam antea fuerint agitata clam, & compacta.* (50) *In ſua ad Cæſarem Matthiam epiſtola, datâ die* 29. *April. anno 1615.* (51) *Die* 26. *Aprilis. Continuator Slejd. parte IV. pag.* 255. *col.* 2. *ad fin.* (52) *Idem ibid. pag.* 256. *init.* Solten ihn

(den

Digitized by Google

(den verreggten Juden) vntergraben / da ihnen keine Ziegel auff den Kopff fielen. Hat alſo diß Verſuechen kein ſtatt gefunden. (53) *Contin. fuſior, pag. 252. col. 2. ad med.* (54) *Quando unà cum alio, vel aliis, Lejningenſem Quæſtorem expilaverat.* (55) *Sic tales Conſulum, prætorum, & ſenatûs miniſtros, Arbiter in Bargáte, ter unicô folio, nominat. qui idem & Diverſitorem appellat, cauponem, quem* Diverſorem *Cicero.* (56) *Illius abſona clamantis verba, inter cætera, hæc quoque à circumſtantibus excepta tunc; etiam nunc in Actis extant;* O wey! O wey! guldiner Hair! *quæ VVirtenbergenſium olent agricolarum in montanis idioma. id eſt,* Heu me! Heu me! aureè mi Domine! (57) *Continuatorum uterque; initiô ſtatim Actorum anni 1615.*

METRUM.

M*Artia ſi excipias Moſcæ* ambarvalia (†) *terræ,*
Quam Gothus hinc, illinc Sarmata, trivit eques;
Si bifidæ ſileas odioſa ſenacula Sectæ,
Dum Pegnicæâ fœdus in urbe novant;
QUINTUS in Europam DECIMUS *fluit æquior Annus;*
Celtigenæ reprimant ſi tamen arma Duces.
De reliquo, Eoas prope totus cladibus oras
Obruit, atque Syram ſanguine mergit humum.

Anni Acta.

Omnis in Achmeten ferri ruit undique nimbus:
Hunc Satrapæ, hunc urgent Perſa, Coſaccus, Arabs.
Ergò (quod extremis unum prope rebus aſylum eſt,
Ut minuas hoſtem) *fœdera* Noſtra *novat.*
Nec ſatur Occiduâ, cum Cæſare, Pacis olivâ;
Colchidos Arctoas ambit amicitias.
MARS longus, *vel* finem *habeat*, *vel* robora digna:
Quisquis utroque caret, mente Deôque caret.
Atque hoc eſt, placidô quod Ibera Sabaudáque nexu
Arma recompoſuit. Cauta dat Ira manus.
IMPERIUM ſolidum eſt; Sinè labe, ſinè hoſte, POTESTAS:
Ac Regum, inter ſe pignore firmus, Amor.
Iſte, Tago Rhodanum, Ligeri coaleſcere Bætin,
Juſſit; & alternâ Sceptra jugare face.
Sic Ludovico INFANS (1), *ſic nubit Eliſa* Philippo:
Gallicáque Hiſpanus claſſica mollit Hymen.
Neve ſuo Bona verba *toro, neu' Numen abeſſet;*
Ad Capitolinum curritur auſpicium:
Ac priùs Auſoniam, Legati poplite, mitram
Celticus, è patria (2) *Rex pietate, colit.*
Obſequii exemplum accepit, (3) *mox ipſe futurus:*
Nam prior, hoc Gabriel Paphlago trivit iter;
Supplicéque inclinans Gangræam vertice Vittam, (4)
Poſtmodo Romuleus me regat (inquit) apex!
Paphlagonem Celtámque Japon imitatus Idâtes
(Voxææ hic dederat regia jura plagæ)
Oratorum operâ, Petri ſollemnia plantis
Officia (5), *ac longum, trans mare, miſit AVE.*
Roma, peregrini gaudens pietate Tetrarchæ,
Lætitiam indigenæ *denſat honore ſui;*

Sorte

Digitized by Google

Sorte Vitelleſcum *quòd cerneret ire beatâ*
Ad Loyolæi ſceptra Sodalitii:
Claudius *hujc, clara Atriacæ virtutis & aulæ*
Effigies, dederat Dux Aquaviva *locum;*
Cuj Jani poſtrema dies, & fluxilis urna
Hydrochoi, vitæ clepſydra ſumma fuit.
Hunc flos purpurei ſequitur Jojoſa *galeri:*
Jojoſæ, ſternit regia nympha viam,
Margaris, *invitæ quondam nupta innuba tedæ:*
Regum gnata, ſoror, ſponſa, noverca, nurus. (6)
Hujc ut Mors rerum, fuit ultima linea, ſic eſt
Ipſa Valeſiacæ clauſula ſumma Domûs.
Talia ſanè amplâ *procedant funera* pompâ;
Gloria morti humili (7) *dummodo major eat.*
Fruſtra hæc Barradii *vitalia lumina clauſit;*
Cujus, inextinctô ſidere, lucet Opus. (8)
Et Fabii, *licèt extincti*, ſtat *vivida Virtus;*
Cornupetæ hunc quamvis ſtraverit *ira bovis.*
Novit adhuc, loquiturque ingens Septentrio, ſenſit
Scotus, Ogilbææ *robora viva necis:*
Cùmque (ajunt) *aliis pateat* Luctu, *aureus æther;*
Riſu *hic, & multô, venit ad aſtra*, jocô.
Sed, faciles *nempe admittunt pia* Sidera *mores*
Leniter. At diros, *& ſua* Terra *fugat.*
Sic, circumciſam *ejiciens VORMATIA gentem*,
Incircumciſam *plexit Avaritiam.*

NOTÆ.

(†) Ambarvalia *propriè, feſta priſcis ſacrificia (ſed pacifica) erant*, ἀμφὶ τῶν ἀγρῶν, *circùm*

Anni Acta.

circùm agros; quibus, arva ambiendo, ſeu circumeundo, luſtrabant ſegetes. Hoc autem locô translatè ſumuntur, pro circumequitatione, quâ unâ quidem Moſcoviæ parte Sueci, alterâ verò Poloni, quodammodo luſtrabant rura terráſque Moſcoviæ; dum hoſtiliter eas, & Martialî licentiâ, uaſtabant. (1) Anna Mauritia, *Philippi III. filia*, Infans Hiſpaniarum, *more gentis, dicta.* (2) *Nam & pater hujus regis, Henricus IV., ad Pontificem Romanum miſerat legatum, Carolum Gonzagam, Niverni Ducem: ut ſuô locô dixi, alio Septenniô.* (3) *In oſculo pedum Pontificiorum, per legatum obeundô, Gangrenſem imitando Gabrielem.* (4) *Velum comarum capitis lineum; ſacerdotum proprium. Adrian. Junius, è Servio.* (5) *Oſculi pedum.* (6) *Erat enim hæc Margarita*, filia *Henrici II. & Catharinæ Medicææ, regum Galliæ. Erat* Soror, *Franciſci II., Caroli IX., & Henrici III. regum Galliæ. Erat* Sponſa *Henrici IV. regis Franciæ ac Navarræ, éique diu jugata; ſed matrimoniô, demum invalido pronuntiatô. Erat* Noverca *quodammodo (ſed mitis, ac pia,) liberorum Mariæ Medicææ ex Henrico IV. maximéque Ludovici XIII. & Eliſabeta, ſororis ejus: quorum hæc, Hiſpaniæ regi-*

Digitized by Google

regina fuit; ille, Galliæ rex. Fuit deniq; Nurus *quoque Antonii Borbonii, & Joannæ L' Abretanæ, regum Navarræ, parentum Henrici IV.* (7) Humilis, *hôc locô, non modô loquendi aſceticô, pro* demiſsè, *& modeſtè de ſe* abjectéque *ſentiente, ponitur; ſed pro* privatæ *conditionis, & extra infráque principatum conſtitutæ, ſorte. Græcis,* ἰδιωτικῷ θανάτῳ. (8) *Concionum in hiſtoriam Evangelicam Tomi quatuor, grandes; & famâ multùm celebrati: quia pii, docti, ſolidi, diſerti.*

APOCOMMA. I.

Militarium baliſtarum director.

I. A*Lienô damnô locupletari*, nefas eſſe, rectè jura quoque Civilia pronuntiaverunt (1): ideóq; fugiendum; niſi quis, improbâ captus opum cupiditate, tale, quale nunc referam, reportare pretium, feſtinet: quod pro foribus confeſtim aderit.

II. Eô, quo *Sabaudus* & *Hiſpanus*, inter ſeſe, de *Montisferrati* poſſeſſione, decretoriîs armîs contendebant, tempore; Carolus Emmanuel, Allobrogum Dux, copiis ſuîs *Aſtam*,

Tormentorum director.

ſtam, Montisferrati perquam munitam urbem, inſederat; & tenebat. Prætor autem Mediolanenſis, pro Rege Philippo III. militem, & caſtra, per ſubjectos Aſtæ campos collésque diffuderat; Aſtam, ac Sabaudos, oppugnans. Utrimque porrò, machinarum præſertim currilium tormentîs continenter explosîs, acerrimè certabatur: & à baliſtarum fuſilium prægrandibus funeſtísque pilis, *Sabaudorum* non propugnacula duntaxat, ſed & corpora notabili numerô, lacerabantur, & corruebant. *Hiſpanorum* autem, & *Inſubricorum* militum, vix ulli ſternebantur, propemodum ad ipſorúmmet ſtuporem, ac *miraculi* quoddam *ſimulacrum* fabuloſum: cùm in eos tamen interim, excuſſione propemodum indefeſsâ, volare fulmina metállina viderentur. Ac certè bombus illuc, & nitratus pulvis, ac fumus, ibant: Mors non ibat. nam illic interea nemo ſternebatur. Latuit autem eventûs tam inſolentis genuina cauſsa, diebus aliquot, non Allobrogas tantùm; ſed *Allobrogum* quoque *Ducem*, virum & heroëm, alioqui ſagaciſſimum, neç anteacta tantummodô, præſentiáq;, penetrare mente ſolitum, ſed vel *perendinum* (ut in adagiis

agiis eſt) *ventum prædiſcere*: nedum, ut ei fatuæ bombardarum nebulæ non ſubolerent.

III. Cæterùm, ſtrategematis origo vera, tormentorum apud *Aſtenſes* bellicorum *adminiſter ſummus* ipſe, ſinè conſcio quoquam alio, fuit: quem (ad nos famâ, ſinè nomine, perlatum,) placuit, à jaculando *Balearicum* appellari. Peritiſſimus hic artis ſuæ; proptereáque, non Allobrogi magìs, quàm hoſti, viſus idoneus & exoptabilis erat. Is nihilo ſecius, aliquouſque contra ſollicitationes firmum ſe præbebat. Sed videlicet: *Ut* AURI *certiſſimum experimentum, lapis Lydius*; *ità* VIRI, *mercede militantis, examen eſt*, AURUM.

Corruptus aliquantò pòſt, per internuntium, gazæ Mediolanenſis, (in loculo punicei coloris transmiſsæ) portione pretioſâ *Balearicus*; cùm inter ſe poſtmodum vel maximè, *foris* obſeſsores, & *intus* obſeſſi, pro victoria contenderent: in agmina caſtráque *Proregis*, machinas, caſsô furentes igne, ſinè plumbi globîs ullîs, exonerabat. Ea fraus tandem, etſi ſeriùs, detecta tamen; cùm & in rem præſentem doloſæ machinarum exonerationis, & in loculi coccinei furtivam latebram,

Tormentorum director.

bram, ventum eſset: prævaricatori (quemadmodum par erat) exitiô fuit; quando comprehenſum, & ad collum *crumenâ rubrâ* præligatâ conſpicuum, pro munimentis urbis ſuſpendendum eum *Dux Emmanuel*, ac necandum, dedit: *lorario negotium, carnifici gaudium, militi ſcenam, ventis ſtatéram, avaritiæ ſtipendium, perfidiæ terrorem.*

IV. Habeant igitur ſuum, hi tales, *terrîs altiores* effecti, vultures, *in aëre dominium*! fefellerintque, dum vixerunt, humanæ notitiæ judicia. Non fefellit adhuc quenquam, divini Juris Conſultus, *Paulus*; qui, *cupientes* per nefas *fieri Divites*, *in Laqueum* dixit *incidere*. (2) Quod *Aſta* vidit; & *probavit*.

TESTIMONIA.

(1) *L.* nam hæc natura. *ff. de cond. inde*. (2) *1. ad Timoth. cap. 6. v. 9.*

METRUM.

Certabant caſtris Hiſpanica caſtra Sabaudis.
Allobrogi tutos urbs dabat Aſta *ſinus:*
Nuda Philippiadæ *camporum plana tenebant;*
Unde frequens pyriô tunditur Aſta *globô.*

Tor-

Septennium III. Annus 1615.

Torquet & ipſa ſuum, ſpargitque, volatile plumbum:
Allobrogéſque cadunt; non cadit ictus Iber.
Et clamabat Iber; brutæ, ô, miracula flammæ!
Ut fulmen ſimul, & fulminis ira, cadant!
Intumuêre jocô Allobroges: dolor incitat: aſtus
In nebula eſt. auctor quæritur; inque manu eſt.
Fulminis, en! pyrii mentitus tela, minaces
Pulvere librator ſarſit, & igne, tubos:
Pondere non ſarſit plumbi, Balearicus; *aurô*
Emptus, & Hiſpani munere reticuli. (1)
Indè, ſuis clades; Mars contrà, indemnis Iberis:
Coccinus inventus ſacculus, acta docet.
Pera, intus differta Tagi pallente metallô,
Perfidiæ merces concolor ipſa ſuæ eſt.
Convictum (mora nulla) caput, pro vertice muri
Turritô, è reſti penſile, lucra luit. (2)
Néve ſit, unde iterum brutæ miracula flammæ,
Clamet Iber; collô nexa crumena *rubet.*
Hæc loquitur; Tantæ fons omnis, & unica fraudis
Cauſsa, paris pœnæ ſorte pianda fuit.
Clamabant Galli; O, rari miracula Juris,
Ut ſimul & Cauſsa, (3) &, pendeat, ipſe Reus!

TESTIMONIA.

(1) Loculi: *qui, teſte Hadr. Juniô, Horatio* Reticulum *dicitur; quòd ad modum* retis *ſæpe texatur; purpurei, vel alterius alicujus coloris, è filis: ut ſæpe videmus.* (2) *Continuator Sl. Parte 4. lib. 5. pag. 268. & col. 1. m.* (3) *Auri locu-*

Tormentorum director.

loculus. Incidit autem ſuſpendium iſtud, in 24. diem Maji. *Anni 1615.*

APOCOMMA II.

Colchicæ Chriſtianitatis, à devio, Reductores.

I. JAm in ſuperioribus, ſub Septennii Secundi ferè principia, memoratum eſt; ab Henrico Magno, Gallorum rege, non ità multò priùs, quàm is vivîs excederet, inſtauratam fuiſſe Patrum Societatis JESU *Miſſionem* (quam hi nominant, & obeunt,) *Conſtantinopolitanam.* cujus *Miſſionis*, & occupationum Sacrarum, domicilium, ſtatáque *Sedes*, Sultanorum Turcicorum indulgentiâ, ſuburbanus eſt ille tractus, *in cornu Byzantino* (1): Genuenſium olim colonia, frequens ædium, nec uſquequaque templorum vacua Chriſtianorum: quam, à Conſtantinopoli maris exiguô diremptam euripô, ſitámque (quod & Atlantis auctor tradit) *ex adverſo* mœnium urbis illius; *Peram* vulgò, *Galatámque*, nominant. (2)

II. Ex hujus igitur *Miſſionis* ſtatione, cùm annô proximè ſuperiore, divini propagandi

gandi cultûs amore ſtudiôque përciti, Sacerdotes gemini, Colchicam ſuſcepiſsent expeditionem; & maritimum *Euxini Ponti* tractum, ac littus univerſum, quantâ longitudine porrigitur, ab occaſu Solis ad orientem obîſsent: milliarium Germanicorum facilè ducentorum, & quadraginta, ſpatium permenſi, dextrâ lævâque terrâ jacentes *Minoris Aſiæ* regiones varias præterlegerunt. quas accurata Geographiæ lux demonſtrat lectoribus, in hæc talia paulò magis intentis. Ii Patres igitur, quos dixi miſsos in Orientem, iſto tandem annô, quò deſtinârant, in Colchidis interiora pervenerunt; &, (quod adagiô vetere terebatur, *Perfectam* conſummatámque *rem* indicante,) feliciter *Ad Phaſin uſque*, non navigiô, ſed operoſiùs, & pedeſtres, penetrârunt.

III. Sicut autem neceſse fuerat, in aliis quoque regionibus populíſque, *Chriſtum* quidem olim, & antiquiſſimîs à temporibus, doceri cœptîs, poſtea tamen eum, progreſsu ſæculorum, oblítis, in eam uſq; demergi profunditatem errorum: ut jam alia potiùs omnia nôrint, & loquantur, quàm cœlum, ſalutem, ac res divinas: Ità Colchorum etiam

Colckicæ Chriſtianitatis Reductores.

è vulgo nonnemo, *Patribus*, ei legem divinam & Evangelicam doctrinam apertuis, prænarrare potiùs & oſtendere loca, geſtáque, *Colchica* vetuſtatis, libertate poëticæ fictionis introducitur. Cujuſmodi fuerunt, *Argonautarum* in Colchidem facta vela: *Medéa*, Colchorum regis filia, venefica: *taurus* in luco Martis, ab *Jáſone* mactatus, Aéſonis filio; ſerpentiníque dentes, ab eo ſati: *velleris*, arieti Phryxæo detracti, ſpolium *aureum*; quod, in fano Martis ſuſpenſum, multo tempore proſtiterat: cujúsque potiundi ſpe pellecti Theſſalici, cæteræque Græciæ, præſtantes heröes, in Colchidem navigâſſe perhibentur. *Abſyrtus* denique, regis Æétæ filius; à Medéa, ſorore ſuâ profugâ, patris eam inſequentis retardandi cauſsâ, conciſus & diſperſus: ab eodem, quem dixi, Colchico ruricolâ, memoratur.

IV. Quæ cuncta, taliáque plura, cùm ad propoſitum minimô minùs facerent; *Patres*, repreſsîs garruli Colchi nugîs, ac fabulîs, inſtitutionem orſi ſunt Evangelicam: OVIUM, olim ad Phaſin amiſsarum, nunc autem Chriſto reducendarum, quàm ARIETIS aurei, ſtudioſiores.

TESTI-

Digitized by Google

TESTIMONIA.

(1) *Verba ſunt J. Hondii, in tabulam Romania, & Bulgaria.* (2) *Idem Hondius, ibidem: & Joan. Cluverus in Epitoma hiſtoriarum, ab Orbe condito, pag. 611. colum. 1. ante fin. in Orcáne Turcâ, & Andronico Juniore. ubi* Peram, *&* Gálatam, *unam eandémque facit.*

METRUM.

QUis locus eſt, Vero *vel ſat ſpatioſus* Amori,
Vel nimis averſô Sole (1), *trucive, ſitus;*
Omnia quin ſuperans, pervadat ad omnia? Non hunc
Seu plaga blanda ligat, ſeu plaga ſæva fugat.
Aſpice Cantabricæ geminum Virtutis alumnum,
Et Lolo1æâ pectora digna face.
Gallia (terrarum, quas temperat Heſperius Sol,
Flos) ſê dignô ambos ſidere nutrierat:
Threſſa viros excepit humus; Byzantia ponè
Littora, ſed pelagi falce dirempta, PERA. (*)
Grande opus hic, operiſq; lucrum; ſed Sparta, *laborum*
Arctior eſt votis. Quæritur amplus ager.
Quærentes, *non* fraudat Amor. *Mox ſe eminus ingens,*
Phaſidos è campis, viſa aperire ſeges.
Boſphorios (2) *trans ergò Sinus, Chalcédona præter,*
Pelidæq; Dromon, (3) *Pontica regna legunt:*
Bithynos, Henetósque (4) *ſuprà, Galatásque peragrant,*
Leucoſyrósque (5) *agili, Cappadocásque, pede;*

I 3 Donec

Colchicæ Chriſtianitatis Reductores.

Donec inexpletô teneant Ponti ultima curſu,
Colchicus innumerâ quà ſtrepit amnis ave. (6)
Hîc Chriſtum, hîc aras, hîc fas, legèsque, requirunt:
Nomina, reſtabat, præter opaca, nihil:
Non Sacra, non Rectum, non ulla Scientia recti;
Vix, qui, non, Apinas *crederet eſſe,* Animas.
At, qui priſca Deûm, procerúmque, boúmque, referret
Prodigia, & magicis ſaxa diſerta notis,
Non deerat. PARS *illa maris (dicebat arator,)*
Semita Medeæ *transfugientis erat.*
Littus ad hoc, tenerum rhomphæa ſororia fratrem
Sparſit; & Abſyrtum *nunc quoque vomer arat.*
Hàc Phaſis *fluit: hêjc* Martis *fremit horrida* ſylva:
Viperei hêjc dentes, Æſonidæque (7) *labor.*
Illic Phryxi *aries, fanúmque, & penſile dorſum;*
Aurea, *tot Ducibus præda petita,* Cutis.
HÆC ſtantem, ac plura his meditantem effundere, Colchum,
Voce refrænârunt increpitante Patres:
Atque ità; Quid terrâ, pelagóque, aut verus Iäſon,
Aut vetus *ambierit* fabula; *mitte, ſenex:*
Non nos aut Aries *trahit huc, aut* Vellera; *ſed, (quas*
Per loca vult quæri devia Chriſtus) OVES. (8)

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) *Sic Æneidos 1. apud Maronem, negans Carthaginis ſuæ, vel ſolum, vel populum, inhoſpitalitatis eſſe barbaricæ, Dido regina;*

Non

Non obtuſa adeò geſtamus pectora Pœni;
Nec tam *averſus* equos Tyriâ *Sol* jungit ab
urbe. *&c.*

(*) *Vocis hujus, in ſyllaba prima, quantitas videri nonnullis anceps potuit.* Longa *quidem, ſi* Galata *dicta Græcis* πήρα *ſit, ob quampiam aſcopéræ ſimilitudinem.* Brevis *verò; ſi ſic* προάςειον *iſtud Byzantii appellari placuerit; eò, quòd* πέραν, *aut* ἀντιπέραν πόλιος ἐκείνης κεῖται, trans, vel ultra urbem illàm, exadversùm, ſita ſit *Galata, ſeu* Pera. τὸ πέρας *quoque* πέρατος, *extremitatem, terminum, & ly* ulterius, *notat.* (2) *Fretum Boſphori Thracici; quod bos tranavit: ſupra Propontidem poſitum.* (3) *Sic vocatur, &* Inſula *quædam,* Dromos Achillis, *apud Cæl: Rhodig. l. 14. c. 4. & Carol. Steph. Rectiùs* peninſula, *Ortelio, juxta inſulam Boryſthenis, ad Ortum hibernum, in mari Hylæo; quod pars eſt Pontici maris, ad Boream. Hôc autem locô,* Pelidæ, *ſeu Achillis,* Dromos, *terra continens eſt, ad littus Ponticum Auſtrale; inter Chalcédonem urbem, & fluvium Calpen. de quo vide* Pontum Euxinum, *Ortelianum.* (4) Héneti, *populi ſunt; ad Pontum Euxinum, eúmq; Auſtralem, degentes: inter Parthenium & Ægine-*

ten fluvios; ſupra Galatiam, ſeu Gallogræciam. (5) Leucóſyri, *ſive Leucoſyrii (quaſi* Syri albi, *ad diſtinctionem Syrorum Aſiæ Majoris, qui* fuſciores *à Sole ſunt Orientaliore) gens ſunt Ponti Polemoniaci, ſupra Cappadociam; cis, & trans Zaliſcum amnem: uſq; ad fluvium Halyn.* (6) *Phaſianis gallis ac gallinis. de quibus Arbiter;*

Ales, Phaſiacîs petita Colchîs,
Atque Afræ volucres, placent palato.

Quod autem idem hic auctor alibi, in Epico videlicet de Bello Civili, poſt initium ſcribit;

— Jam Phaſidos unda
Orbata eſt avibus; mutôque in littore tantùm,
Solæ deſertis adſpirant frondibus auræ:

id pro explorato credas; per Auxéſin *eſse* poëticam *effuſum, Romanorum veterum voracitatis exprimendæ ſtudiô: quippe, quam edulia nulla, ne transmarinæ quidem venationis & aucupii, ſolerent, aut poſsent, explere.* (7) *Jáſonis (qui filius Aéſonis, ex Alcímede,) pugna, cum enatis, è dentium colubrinorum ſemente, viris. De qua, Naſo epiſtolâ Heroidum* 12. *& libro* 7. *Metamorph. initiò.* (8) *Animas, errore ablatas, indagari, reduciq; in viam,* Servator

vator *noſter juſſit, exemplo ſuô; juſſit præceptîs.* Exemplô *quidem, Lucæ 15. à v. 4. uſque ad 8.* Præceptîs *verò, Matthæi 10. v. 6.*

APOCOMMA III.

Berlinenſes paſtores, ab Ovibus pulſati pariter, ac pulſi.

I. INter innumeros rixarum de religionibus concitatores, qui ſuperius ſæculum, (in Septentrione potiſſimùm,) exercuerunt ad exemplum antiquarum *Græciæ defectricis* contentionum; recruduerunt & *Iconomachorum* furores: ac revixêre *Copronymæi*, cæteríque, poſt *Manétem*, (1) inquieti manes. Hi, ſacras & venerabiles, templorum præſertim, *Imagines* exoſi, nullas-non per factiones & ſectas; omnes tamen vulgò *duorum* ſeſe ductorum, ac, tanquam anteſignanorum, auctoritate jactabant: *Lutheri* videlicet, & *Calvini* (ſeu magiſtrorum hujus;) *Sacramentariorum* videlicet Helvetiæ. (2). Sed hi nimirum ipſi, ſicut annorum & ætatis doctrinæ ſuæ, ſic & *Iconoclaſmi* gradibus, & uſu, plurimùm inter ſeſe, jam à prin-

cipio ſtatim novationum ſuarum, differre cœperant: pars autem, & ipsímet ſibi diſcors eſse.

II. *Lutherus*, ab Alſtettenſibus, & ab Andrea Carolſtadio, dejectas ædium ſacrarum ſtatuas, ac revulſas cum picturis ſuis tabulas, non ità multò poſt turbarum ſuarum initia, perindignanter ferebat: & facinoris ejus auctores, acrî calamô caſtigatos, vi demum armíſq;, priuſquam ulteriùs proſilirent, coërcendos ſentiebat: (3) cauſſatus, inter cætera; *Non ea nunc eſse tempora (quippe, Chriſtianorum) quibus perinde mandatô Numinis, uti Judæis antiquitus, dictum ſit: Aras demolimini; ſtatuas & ſimulacra confringite.* Quod ipſum tamen, Cochlæus ſentit, (4) nequaquam Divorum ullâ ſingularî reverentiâ *Lutherum*, ſed ambitionis & arrogantiæ ſtimulîs impulſum, præſtitiſse: quoniam in ſimulacra templorum *Alſtettenſes*, sê non conſultô priùs, & approbante, *Carolſtadius* autem, per occaſionem abſentiæ ſuæ, graſsari fuiſsent auſi. Quid enim revera mentis & propoſiti, circa reſpectum piarum *Imaginum*, partim jam tum Luthero, partim autem (& magìs) proceſsu temporis, inſe-

Digitized by Google

inſederit ; planum ea faciunt, quæ, volubilî vir ingeniô, contraria principiis ſuis, ſub hæc fecit, ac ſcripſit. Nam & eádem ipsâ, quam ad Saxoniæ Duces ſcripſit, epiſtolâ, *Pluris ſe facturum*, ait, *Alſtettenſium illum ſtatuarum ſacrarum combuſtorem Spiritum ; ſi Dreſdam is, aut Berlínum, aut Ingolſtadium* (loca, putà, firmiora munimentîs, ac reſtitura vaſtatoribus,) *irrumperet : quàm imbelle, vacúmq; præſidiîs, Alſtedium.* (5) Quibus ille verbis, & non-audentes irridet; &, irriſionibus ad audendum irritatos, animat, ac, ritè facturos, proclamat. Litteris quoque, quibus, ad Argentinenſes datîs, Carolſtadium exagitat, ultrò gloriatur ; *Plus ſe ſcriptîs ſuîs, in vulgus ſparsîs, Imaginum honori retentioníve detraxiſſe ; quàm ille, tumultuosîs ſuîs incurſibus, & earum excidiîs, unquam præſtiturus eſſet.* (6) nec tamen interim (ut mirè verſatilis erat) eodem ipſo ſermonis procurſu, ſe continet ; quin fateatur, *In lege Gratiæ, Chriſtianæ libertati, tam Sabbati ritum, quàm Imaginum uſum, arbitrarium eſſe ; nec abrogatum.*

III. Ex his porrò ſui doctoris à ſeipſo diſſidiîs, enatum iſtud eſt, quod hodie videmus,

Berlinenſes Paſtores.

demus, *Proteſtantium* aliorum ab aliis diverſum, de retinendis aut exterminandîs *Imaginibus ſacrîs*, iter, ac decretum. Unde *nonnullarum*, etſi Lutheri partes ſectantium, *civitatum* templa cernas, & ſtatuîs, & tabulis pictîs argumenti pii, perinde nunc etiam, atque ſub Pontificiis quondam, exornata ſtare; nec facilè quidquam, ex iis, ſede ſuâ ſitúve motum: Lutheri, de talibus, molliore ſenſu civium animis jam olim infixô; nec poſtea revulsô. *Quaſdam* alias autem, & in Ambergæ noſtræ viciniâ, reperîmus *urbes*, & longinquiùs remotas; quarum quis incolas, *Lutheranorum* appellare *Puritanos* (ſicut in Scotia Calvinianorum ſunt) queat, & audeat. qui, cùm rigidiſſimum quodque ſui Câlyphæ, contra Romanenſes, edictum, tanquam *Draconinam*, & ſanguine ſcriptam legem, recipiant, exercendúmque ſtatuant: in eo proſcriptorum rituum genere, vel inprimis *imagines*, etiam argumenti religioſiſſimi, perſequendas ſibi ſumunt: adeò quidem, ut ingreſsus quispiam eorum obvium quodque fanum, non *Crucem* illic ullam, non in crucem acti Servatoris ſignum, aut effigiem, deprehendat: in

Digitized by Google

in ſumma! nuditatem murorum, parietum, laquearium, valvarúmque maximam, & frigidiſſimam: qualésque ferè, vel Turcarum Moſkææ ſtant; aut Judæorum exſecrabiles ſynagogæ, contaminatæ ſputîs, (& ampliùs contaminandæ:) vel, olidæ cruore fusô, carnariæ tabernæ. Vix tandem alicubi *menſa* reperiatur, *altaris* locum ac vicem ſupplens: cuj tabula *Chriſti*, *poſtremùm cœnantis*, immineat. quæ tota delubrorum eſt ejuſmodi *pinacothéca*. (7)

IV. Longè diverſa, præciſæque ſeveritatis, via *Calvino* fuit, ac *Zvvinglii* poſteris Helveticis. *Illi* quidem; dum, *Inſanire manifeſtè* proclamat *eos, qui Cherubinorum exemplô biblicô, Dei Sanctorúmq; defendere ſimulacra conentur.* (8) *Iſtis* verò; cùm in ſua Miniſtrorum-Helvetiæ Confeſſione ſectariâ, (9) *Rejicere ſe*, clamant, *non modò Gentium idola; ſed & Chriſtianorum ſimulacra.* Verba ſunt hæc, utriuſque *Sacramentariæ* factionis, ſicut attuli, genuina: quibus, nullâ ſpe clementiæ, ſacris ex ædibus *Imaginum* piarum omni generi migratio violens, (10) & exilium præceps, indicitur.

V. Eum porrò rigorem, & *verbîs* ex-preſ-

Berlinenſes Paſtores.

Digitized by Google

preſſit, anni ſuperioris Edictô peremptorio promulgatô terris ſuis, & hôc annô *factis* exſequi perrexit, *Joannes* etiam *Sigiſmundus*, Elector Brandenburgicus: Lutherô deſertô Calvini *recens* (ut in loco diximus) diſcipulus, & introductor. Habet hoc porrò *Calvinianorum* (qui ſe *Reformatæ* Religionis Chriſtianos appellant) ardor: ut, imperiô, vel duce rabidæ multitudinis, acceptô, Deoſacratas ædes irrumpant: ſtatuas & ſigna convellant: tabulas pictas comminuant: Cruces, & pendentes ex iis Chriſti ſimilitudines, flammîs aboleant: ut illius, pro ſalute mortalium peracto, *ſacrificio pacifico*, ſuîs dignum furiîs *holocauſtum* rependant. Impendebat autem ejuſcemodi vaſtitatis tempeſtas, & *Berlino*; Brandenburgicarum urbium, propter *Electorum* avitam ſedem arcémq;, cumprimis conſpicuæ, nobilíque; licèt haud perinde grandi, ſed ſuô modo tamen regionis illius quodammodo *margarita*. quod ipſum, & *nomine* præ ſe ferre, videri poſſit: cùm idem, quod *unio* Latinis, Græcíſque *margarites* eſt, *Berlinum* (11) Germanis ſonet.

VI. Eſt autem (ut paucîs eam, quæ ſequitur, narrationem dilucidiorem efficiam) *Berlin*

Digitized by Google

Berlinum, de quo loquor, *Vetus* (12) *Márchia* Brandenburgicæ, cognomentô *Media*, necnon *biceps*, urbs: quam mediam perlábens *Suevus* fluvius, (hodie *Sprea* (13) vulgò dictus,) ità partitur; ut oppido ripæ dextræ, nomen *Berlini* relinquat: ſiniſtræ verò ſuperimpoſitum, *Coloniam* appellet *Brandenburgicam*; Ubiorum-*Coloniæ* quoddam, quaſi nominis ramentum. *Coloniæ* verò potiùs, quàm *Berlini*, noſtrâ memoriâ Brandenburgicorum ſedem Electorum, ſupremámque Curiam, defigi cœpiſſe; tum *deſcriptor Urbium* recentiſſimus, (14) eſt auctor: tum illud eſt indicio; quòd, hujus ipſius, in quo deſcribendo diſtinemur, temporis Septemvir-Marchio, *Joannes Sigiſmundus*, anni proximè ſuperioris *Edictum* illud, de Calvini placitis introducendîs, (de quo dictum Septennii Secundi poſtremîs in Actis eſt,) expedîſſe ſe *Coloniæ*, profiteatur, ad *Spream* ſitæ (15). Quæ tamen non obſtant, quò minùs oppidorum horum, utì flumen unum, ſic & nominis ſit plerumque communio: dicatúrque (parte principalî, minùs principalem ad ſe trahente, modôque quodam inumbrante); quidquid utervis locus (Berlinum, aut Colonia,)

Berlinenſes Paſtores.

lonia,) fecerit, aut ſuſtinuerit, *Berlini* generatim eveniſse: cùm interim & *Coloniæ* potuerit, vel ſolummodo, vel ſimùl, accidiſse.

Cæterùm id, quod *Berlinum* jam indè primîs ſuîs ab initiis nominatur, urbs eſt alioqui, velut ſubindicavi, magnitudinis mediocris (16); ædificiorum ſtructurâ, cultu, ſpeciéque, ferè plebejâ: nec pluribus, quàm tribus, inſtructa portîs; mœnibus, vetuſtate quidem viétis, parúmque ſpeciosîs, ſed foſſarum ambitu geminatô ſuccinctîs, ac præmunitis. Platéæ Berlinenſes, & ſpatioſæ latæque paſſim ſunt; & mundæ: quorum hoc quidem ad ſalubritatem aëris publicam; illud autem, ad congreſsum concurſúmque (ſiquando res ferat) armatorum liberiorem, conducit. Quod autem, ut in *Anglia* quondam, Virgilii Polydori ſæculô, mulierculas præſertim alliciebat; idem & alibi terrarum utrumque ſexum, ad otioſas magnâ diei parte ſeſſitationes, & prætereuntium contemplationem, invitare ſolet. Id igitur *Berlini* quoque conditores inſtituerunt; ut, nullo temporis generíſque diſcrimine, qui vellent, quotiéſque vellent, incolæ civitatis, ſeſe mutuò ſpectarent, ac ſpectarentur. Eam in rem,

rem, ante domos foréſque civium univerſas, proſtantia ſedilia, ſcamnáque parietibus conſerta, patent; nullæque non ædes, in fronte ſuî, projecturîs, ad ſpectandum ſuperiorē de loco procurrentibus, vulgóq; feneſtratîs, exornatæ ſtant: magnô curioſitatis, tum illiciô, tum adjumentô. præterquam, quòd tot oblongorum, ante cunctas paſſim domos, ſedilium commoditas, multitudinum coitionibus, & rumorum comportationibus, ſerviebat; unde celeriores, ad tumultum ac ſeditiones, ſuſcitari motus, contingeret. *Profanorum* tamen, & ferè privatorum duntaxat, erat hæc domiciliorum conſuetudo. *ſacrorum* autem, major aliquantò gravitas ac reverentia: major &, ſedium ædiúmq; Principalis familiæ. Templa quidem *celebriora* gemina: quorum alterum eſt, ſacroſanctæ TRIADIS titulô; *baſilica* quondam urbis princeps, & aliquouſque *collegii Canonicorum Cathedralis-ædes*: arîs, ſignîs, & epitaphiis, ingentis tum pretii, tum ſplendoris, exornata; talíſque, *Proteſtantium* quoque tempeſtate, pacatè, violantéque nemine, tolerata. Præter hoc autem, & *alterum* exſtructum templum erat, Divi *Petri*, principis Apoſtolorum,

K

Berlinenſes Paſtores.

lorum, memoriæ: cuj foris adjunctum, & ambitu muri cinctum, ſepulcretum; humandis *Chriſtianorum* cadaveribus aſſignatum.

Habebat porrò, trans pontem Spreámq; flumen, *Colonia*, (Berlini pars altera,) nobilem, inprimiſq; firmam, Electorum Brandenburgicorum ſedem: à *Friderico* quondam *Primô* ſtrui cœptam, rebellioníque (ſiqua fortè quondam inſurgeret) Berlinenſium oppoſitam, *Arcem*: à *Joachimo* verò *Secundo*, denuò magnificentiùs, & ingentibus impendiîs, à fundamentis ad culmen, operíſque perfectionem, eductam. Quæ verò, quantáque vaſtitas, ipsâmet *Berlinenſium* manu, *Suecorum Stallbanſianorum* metu, tam *Electoris* poſteà munitiones illas, & propugnacula, quàm tria *Coloniæ Spreanæ* ſuburbia, depopulata fuerit: id partim *Urbium* comportator noviſſimus expreſſit: (17) partim *Anni quadrageſimi primi* (quisquis ea demum exſequetur) *Acta* divulgabunt. Quæ ſanè, cæteráque compluria, *transmarinorum* armorum mala, quibus *Marchionatus* Brandenburgicus (terra, *ſexaginta* facilè *milliariûm Germanicorum* longitudine protenſa,) conflictatus eſt, tam ingentia fuerunt: ut à *ſpectro* quoque, (quod, ab

ab ævo longo, ſemper *Brandenburgicæ ſtirpis* funera, *muliebrî* lugentium habitu, præcedere, quodammodóq; denuntiare, fertur,) haud nequicquam annîs, priuſquam bellorum eæ calamitates ingruerent, minùs *duobus*, antequam verò *Coloniam Berlinenſem* tandem inflammarent, *tredecim* interpoſitìs, *prænuntiata* videri poſſint. Illa namque, qualiscunque *præfica*, ſemper aliàs *muta* deprehenſa, bienniô ferè priùs, quàm in Pomeraniam, & Brandenburgicos fines, *Guſtavus*, *Sueciæ rex*, irrumperet, vocibus clarîs, (tanquam cœlô Dei *vindicem Juſtitiam* devocaret,) pronuntiâſſe perhibetur: VENI! JUDICA VIVOS, ET MORTUOS! (18) Id Judicium *hîc* cœpiſſe, credi poſſit, à belli cladibus: in altero mundo poſtmodo rigidiùs, ab irato Numine, proſequendum, ac perpetuandum.

VII. Multùm interim, ad maturandas improbitatis pœnas, præſentísque temporis flagella congreganda, contulerunt utique; pravis ſuperiorum annorum erroribus, in Religionis negotio, nunc ſubſtitutæ mutationes; pérque vim obtruſæ, multò pernicioſiores ſacrorum corruptelæ; tyrannide *Calviniſmi*

Berlinenſes Paſtores.

terris illis invectâ. Quam ut conſtabiliret *Elector* ille, quem frequenter nominavimus, & cujus hîc etiam oris ac vultûs *effigiem* apponimus; quoscunque ſuarum in religionibus novationum *Articulos* (utì vocabant) ab anni ſuperioris exeunte Februario condiderat, conditósque per omnes ditionum ſuarum terras in uſum deducendos curaverat: eos hoc annô, demum & *Berlinenſibus*, qui præ cæteris adhuc pæne ſoli, pertinaciúsq;, refragari perſeverabant, obtruſit: ac, poſt *miniſtros-Verbi* Calvinianos jam immiſsos, impoſuit exercendos.

Principium autem *Exercitii peregrini* fieri per *Reformatæ* factionis ductores ac ſatellites placuit, à *deformatione* templorum, ſub verni ferè temporis initia progreſsúmque; mandante Principe, *Joanne Sigiſmundo*. Cæterùm, hic interim, aliò trahentibus eum, (utpote, *Cliviensis* hæreditatis *competitorem*,) pacis ac belli negotiis, *Berlinô* procul abierat: &, dum urbis turbæ ferverent, etiamnum aberat, geſtorum ignarus.

Reliquerat autem diſcedens, loco ſuo ſeſsurum in arce Coloniæ Spreanæ, ceu frænum Berlinenſium, (ſiqui concitarentur,) mo-


Ad Pagina 144
Jacob. Loets ab Archos
Joan. Alexand. Bamen Sc.
IOANN. SIGISMUNDUS, ELECTOR
Brandeburgicus.

motuum, *Joannem Georgium* (19), Marchionem Brandenburgicum, fratrem; cognomentô poſſeſſionéque *Jagerndorffium*: Epiſcopum interim Argentoratenſem, à ſuis dictum, & habitum; ac *Magiſtrum* ſimùl Ordinis *Equitum Joannitarum*. cuj nuptam anno Sæculi noſtri decimô reperîmus, *Evam Chriſtinam*, Fridericô, Duce Wirtenbergico, genitam. (20) Hôc igitur, utì dictum eſt, tantiſper Vices obeunte Principis; & aliunde mandatîs illis, à Joanne Sigiſmundo Berlini relictîs, negotium *Reformationis*, manu Miniſtrorum, urgentibus; die conſtitutô, conglobantur *iconoclaſtæ*. Fit impetus in ſacrata Deo divîsque loca: primùm omnium autem, in baſilicam, urbis Berlini primariam. Res agitur contentione magnâ; ſecuribus, aſciîs, malleîs, & omni demolientium vî. Baptiſterium, opus ſaxeum, diruitur. Epitaphia, parietibus affixa, revelluntur. Unà quoque, gentilitia majorum inſignia, cum vivis defunctorum formîs & vultibus, abolentur. Cruces, & in crucem acti Chriſti ſimulacra, conferuntur unum in cumulum; cum omni, quod uſquam, religionem ſpirans, aut pictum, aut ſculptum, aut fuſum ære, vel argen-

Berlinenſes Paſtores.

argentô, vel aurô, reperiebatur. Altaria deniqu*e*, quorum, ex antiquiſſima majorum pietate, magnus non modò numerus, ſed eximius ſplendor erat, & pretium ac venuſtas (21), ad unum omnia, cum tabulis ſuîs & ornamentis, ſternuntur: & quid, niſi rogum, ex ingenio Geuſiorum in Belgio, vel Hugenotorum in Galliis, exſpectabant? Sanéque mitiùs utique, cum hac omni ſacrorum ſupellectile, vix actum tunc eſset. *Furor enim, civilitatem ignorat.*

Paulillò crudeliùs interim ſi cum Templis ac ſtatuis actum tunc fuiſset; dicaciorum quorundam nec lingua, neque ſtylus, ſibi temperâſsent, quò minùs Electorem tunc illum proclamâſsent, Sacrarum íconum Copronymum novum, aut Tabularum piarum *Neronem* (etſi ſanè, *Quinquennî* nec ipſum annoſiorem futurum:) quippe, poſt hæc geſta, non plenum annorum *luſtrum* in terris agente Joanne Sigiſmundo: quem Anni M. DC. XIX. December, finem ſpectans, & ipſum ſecum finivit. (††)

VIII. Sed rebus illis jam antè ſaluti, *mulier una, contra viros omnes*, fuerat. Erat huic *Joanni Sigiſmundo* Brandenburgico nupta

pta, ſtirpis ipſa quoque Brandenburgicæ, Boruſſiæ (22) Ducis, Alberti Friderici, filia: ſi Rittershuſianæ Genealogiæ tabulis credas, *vicennî* tunc non multò major in conjugio, ſed ingens mentis, herôis. (23) Si Gabrielis Bucelini *Notitiam Principum Imperii* conſuleres; univerſim, Quadraginta jam propemodum annorum. Huic, *Anna* nomen fuit. quam, ſicut à patriis *Proteſtantium* inſtitutis, ad *Calvini* ſectam, nunquam pertrahere maritus *Elector* valuit; ità, ſuis hærentem opinionibus, & gynæcêi laboribus, diſcedens ipſe, tunc quoque domì reliquerat: itinerum alioquin ejuſcemodi, maximéq; longinquiorum, haud utique cupidam, aut curioſam.

Hæc igitur, ſimulac id agi laboraríque ſenſit, ut jam non Romanenſium tantùm, ſed & ipſius Lutheraniſmi mitioris, univerſæ reliquiæ ſtirpitus exſcinderentur: hactenus fúrere Calvinianos vaſtatores eſt paſſa, (ne, penitùs nihil permittendo, contra rem & imperium venire mariti, videretur) ut ea, quorum demoliendorum mandatum acceperant, locô ſuô moverent. In reliquum, auctoritate, quâ Principem Imperii matronam

Berlinenſes Paſtores.

illi ſatellitio mercenario præcellere fas erat, ulteriùs procedere vecordiam *iconomachorum*, ac dejecta prorſus diſperdere, vetuit. Juſſit autem, quidquid ex ejus quaſi naufragii tabulis, ac membris, piis ciendis affectibus potens & efficax appareret; quidquid item, aut elegantiâ, vel artificio, pretiôque, præcipuum ſupereſſet; ut id omne, (contemptô clamantium reclamantiúmque *Verbi-Miniſtrorum* fremitu,) comportaretur in deſtinatum à ſe, probéque communitum & obſeratum penetrale: non magis in cuſtodiam illius *eccleſiaſtici theſauri*, quàm in ſpem meliorum aliquando temporum, ſeponendum. Quo diligenter, à miniſtris *Electrici* fidioribus, effectô; ſupellex illa ſacra tunc quidem cladem ultimam effúgit.

Non effugerunt autem perinde digna ſê mala, periculáque præſentis etiam temporis, impietatis *iconoclaſticæ* duces, & verboſi tubicines, *Calviniani* declamatores. qui magnâ paſſim plebis erant in invidia; tum alias ob cauſſas complures, tum è quotidianô quoque nudati templi *Cathedralis* aſpectu, gemitibus interpolari ſolitô. Nec id injuriâ. Nam tale quid accidîſſe *Berlinenſibus* tunc viſum

Digitized by Google

viſum erat, quale *Syracuſanis* etiam quondam, poſt ſacrilegas fanorum, à *C. Verre* factas, direptiones: & multò quiddam intolerabilius. Etenim, quemadmodum ante tempus id, ut quidque vel elegantiâ pulcritudinéque, vel æſtimatione raritatéque, ſpectatu digniſſimum *adesſet*, incolæ *Berlinenſes* monſtrare peregrinis hilariter conſueverant: ità poſt hæc, conversâ demonſtrationis formâ, quid ubivis in aris, in parietibus, in ſacrarii thecis, ablatum, avulſum, everſum *abesſet*, dolentes referebant: & tam audacis improbitatis adminiſtros exſecrabantur. Hæc in domibus, in compitis, in circulis, & conſeſſibus, ac foris publicis, fiebant. Et indignationi plebis, faces inſuper atque flammam adjicere, nec *Lutheranæ* factionis concionatores (quotquot adhuc ſub *Electricis* præſidio ſupererant), multóque minimè *Calviniani* rhetores, prætermittebant.

Hos poſtremos, utì cumprimis ad majorem inſolentiam inflabat *Electoris* favor, ac tutela; ſic ad animi dolorem, & vindictæ ſtudium, quàm plurimùm incendebat adverſariæ partis ab *Electrice* defenſio: tum ejuſdem viraginis, in *Lutheri* doctrina retinendâ,

K 5

Berlinenſes Paſtores.

nendâ, pertinax obfirmatio; noviſſiméque, templo detractarum *imaginum*, ac ſignorum, *plena ſuperſtitionis* (utì loquebantur) *in aſylum ſuum ſubductio*.

Quærebant autem (ſicut apparebat) pars utraque, ſuam pugnandi de pulpitis, ac propugnandi, ſpecioſam opportunitatem: &, quibus ulciſcendi ſuî non deerat animus, ii tempori duntaxat ultionis inſidiabantur, & ardenter imminebant. Id offerri denique quàm commodiſſimnm eſt viſum, alterô poſt *Paſcha* dominicô die; quo Chriſtianorum conventibus *Evangelium* in templis prælegitur, & explanatur, *DE PASTORE BONO*, déque paſtore *mercenariô*: quorum hic quidem, ut ſe ſervet, lupum fugit; ille verô, quò gregem conſervet, fugæ mortem ſuam præfert; utì ſanè *CHRISTUS* fecit.

Illo tum ergò, quem dixi, die, cùm in ſuos utrimque ſuggeſtus conſcenſum eſſet; ſiquando vehementer unquam aliàs ſuperiori tempore, tunc certè multò vehementiùs rixoſiúsque depugnari verbîs cœptum eſt, & ab alteris in alteros inſurgi. *Calviniani*, magiſtros *Lutheranæ* plebis (& ex tranſverſo, non diſſimulanter, patronam eorum, *Ele-*

Electricem) idololatriæ notîs aſpergere. *Non* deletas *ab eis, ut Deus, lex, & Princeps, mandârit, ſed* dilatas *tantùm, ſtatuarum & idolorum abominationes*, cavillari. Mercedibus *conductas, & favoribus emptas operas, non fidos fortésque gregis cuſtodes, eſſe* Miniſterium ſemi-Luthéricum. *Se contrà, ſe ſolos, ut* Paſtores *verè* Bonos, *in ſtatione ſemper, in excubiis, ac, ſi quando res ferat, in acie quoque, contra* lupum-Papam, *contráque ſubſidiarios lupi, mollicellos Luthericolas, pro ſuis ovibus conſiſtere; deincépsque conſtituros. contra quam conſtantiam, profecturi nihil unquam ſint, nec illi, gazophylacio clauſi munitiq;*, Beliáles, *ac* Beli, *mortui* Semidei: *nec inanes & mutæ pictura, ſtolidi vulgi, fœminarúmq;, devotula deſideriola: nec ullus denique ſimulacrorum protector, aut propugnatrix.* VERBUM, (*ajebant*) & VERITAS DOMINI, MANENT, *ac manebunt, in ſæcula ſempiterna!* Sic Sectæ Reformatæ Cauſſidici tonabant.

Non tamen interim neglexêre ſe, cauſsámque ſuam, concionatores adverſæ partis: ſed vi magnâ, nec ſe *mercenarios*; nec Calvinianos doctores, *Paſtores* eſſe *Bonos*; nec Imaginum ſtatuarúmque retentionem nudam, eſſe ſcelus

Berlinenſes Paſtores.

ſcelus Idolomaniæ, contendebant. visíque populo ſunt *declamationes* eorum probatiores; non, quia *fortiùs*, quàm eorum adverſarii, *clamâſſent*; ſed quoniam alteri *contumeliosiùs*, ac majore cum invidia pleræq; multitudinis, & Aulæ, *litigâſſent*.

IX. Sic diſceſſum è templis in domos, ad prandendum, eſt; ſupérque menſas (ut plerumque fit) paſtores, mercenarii, lupi, gregésque, repetitâ contentionum mentione, ruminati; per ora veſcentium ambulabant. Poſt meridiem, ut quique vel in cauponis contuberniísque ſeſe congregâſſent; vel in circulos publicè conſtitiſſent; aut pro ſingularum ædium foribus confabulandi gratiâ conſediſſent; acta dictáque temporis antemeridiani ſermonibus agitabant. Et, quoniam urbis *Berlini* pleraque multitudo *Proteſtantium* adhuc partis, & *Auguſtanæ Confeſſionis primævæ*, ſe ferebat; cæterorum autem ei permagna pars occultè ſtudebant: extractis in veſperam uſque, *de Calvinianorum maledicentia*, querelîs; vulgò voces, ac ſententiæ volitabant minaces: *Enimverò, non ferendam ulteriùs ejus, quæ ſeſe, verborum tenus, REFORMATAM venditaret*, religionis *arrogan-*

gantiam ; re tamen verâ, Peſtilentiæ Cathedram: *quando tam inſolenter & aſperè tonaret (ut eô die feciſset) in* Evangelii puri *cultores, expoſitores, templa, décora templorum, & Tutelam. Vix eſſe metuendum* Civitati; *ſi, tot ipſa modis læſa publicè, lædentibus invicem, & in veſtigio, publica vindicta genus aliquod (duntaxat tamen incruentum), reponeret. Nequaquam* (ajebant) *formidandum Urbi ; ne, poſt reditum*, Elector *in eam graviùs animadvertendum judicaret. cùm præſertim offenſæ communitatis, connexa pariter indignitas eſset ea, quâ perſtricta ſanctitas etiam* Electricis, *& ejus Auctoritas, eſset. Quòd ſi tamen fortè ſuos in cives ſtatuendum eſse durius quiddam, pro vindiciis advenarum rabularum, Princeps decreturus eſset* : age ſanè! (*conclamabant audaciores*) moriamur pro cauſsâ bona, cum Paſtoribus bonis! tantummodo, priùs inulti, ne moriamur.

In hæc, & inter hæc, dicta, cœnatum abeunt; ſpirantes interim, augentésque ſemper, iras in vindictam. A cœna dennò mox omnes, noctеſcente jam (ut anni tempus erat) cœlô, plerique verò non inermes, in publicum proſiliunt; & agminatim manipulus

Berlinenſes Paſtores.

lus alius alium exhortantes animantéſq; ; *Sinite nos hunc* (ajunt), *antequam moriamur, furorem, vel obiter adhuc furere: citra tamen homicidium!* Dictu facile; ſed in *Ira*, *ſeditionéq;*, præſtitu difficillimum: ut, *quæ nec frænum, nec modum, habeant.*

X. Hora jam aderat nocturna nona; tanquam ea demum, inchoando tumultui, per diem decreto, tempeſtiva: cùm cives, & oppidanum omne vulgus, velut ex edicto, conglobantur. Sclopîs pars, & pars formæ longioris fiſtulîs æneîs, alii gladiis ſolîs, aut haſtulis & ſtipitibus, armati; plerique ſaxis etiam, obviiſque ſilicibus oneratô ſinu, veſtiúmque receſſibus: palari per vicos urbis, & vias: replere fremitu ſtridoréque platéas, & angiportus: &, ut in quamque domum Eccleſiaſtarum *Reformatæ factionis* incidiſsent; earum feneſtras, & meniana, ſaxîs impetere. nec unâ ſimplicéque ſilicum jaculatione contenti; repetere domos, & incurſum, ac feneſtras: & iteratis reiteratîsque ſæpius jactibus, rotulam ſpecularem nullam intactam præterire. vocibus denique, ferinam potiùs inſaniam, quàm humanam, imitantibus, omnia complere; donec, magnitudine veſaniâque con-

Digitized by Google

conclamationum, etiam trans pontem & Spream amnem perlatâ, *Marchio* proprætor excitatus in arce Colonienſi, mitteret è ſatellitio ſuo, qui tumultûs cauſſam ſciſcitarentur. Eâ cognitâ, *Marchio* nihil ad celeritatem ſibi reliqui faciens, continuò raptîs armîs, ac, præter ſtipatores ſuos, etiam equitum aſſumptâ turmâ, Berlinum advolat. *Cauſſas* tanti tumultûs, ut nequaquam eo motu fluctibúsque dignas, *extenuare* meditantem; fugâ ſeditioſi, ſed inſidiosâ, prævertunt. In templi namque *Petrai*, cujus initiò memini, cœmeterium unô ſimul omnes impetu cursúque ſeſe recipientes; ejus loci murô, valli vice, próque munimentis, uti parabant; & eódem cæteram etiam urbis multitudinem, ad vires ſuas contra manum potentiorem confirmandas, accerſendam conclamant. Iis turbis interventu ſuô diſcludendis intentus, cum omni ſuorum copia, ſequitur eodem Marchio. ſed, à conjuratis ilicet *æris Campani* concuſſione, de turri templi proximi, ſignô coitionis datô; concurritur ex omnibus undique Berlini vicîs, etiam antea minùs inquietîs. catervatímq; cives, & priùs etiam, quàm ſepulcreti ſeptum Marchio cum ſuis

ſuis introrumpat, omne cœmeterium, & ædem illius, ac turrim, implent. Ibi tum, parantem dicere *Principem*, amicîsq; verbis à *ſeditione, minimè neceſſariâ, plurimùm autem nociturâ*, dehortari tentantem; interpellant, ac proturbant, qui de fæce plebis cæterîs petulantiores in turba ſtabant: ac neque probrîs quidem, atque maledictis, in Marchionem jaciendîs, temperant. Unde ſenſim utrimque clamor, & indignatio, creſcere. vulgò denique fieri lapidationes. à prætorianis Principis, & equitatu, ferrum ſtringi; laxari ſclopeta; fiſtulæque glandibus ignitîs exonerari. Furor idem; ac tantò *validior*, quantò *plurium*, ab altera parte. Cadunt, è Marchionis turma peditibúſque, *decem*; è Berlinenſibus haud plures quidem *tribus*; ſed complures utrobique ſauciantur. Princeps ipſe, ſaxi conjectu dextrâ læſâ tibiâ, cum ſuis ad extremum, vi ſuperante multitudinis, pro *victo* diſcedit; ac *Coloniam* ſuam, *arcémq;*, trepidè recipere, ſatìs, & in lucris, habet. At ex eo jam inflatior populus, útque *manu* ſuperior, ſic & *cauſſâ*, ſibi viſus: relictô, quod contra promiſſa cruentârat, cœmeteriô ſuô; confertim in plateas

Digitized by Google

teas urbis, & compita, recurrit. quod noctis reliquum erat, graſſatione per publicum; inſaniâ vociferationum, contra *Paſtores Malos* ac *mercenarios*; lapidationibus aſſiduîs tectorum, valvarum, & ſpecularium, circùm domos *Prædicantium* Calvinicolarum oberrando, conſumit. Cùm autem, ex his ipſis *Viris* (ſi Superis placet) *bonis*, ſelectiores in Ædibus aliquantò laxioribus, & habitationi plurium ſimùl, ab *Electore* deſtinatis, verſarentur; ibíque, cum familiis ſuis, communî quidem ſub culmine, ſed diſtinctîs conclavibus, habitarent aliquammulti, tanquam *Seminarium Miniſterii Reformantium* inchoantes: adversùm eos omnis ſeditioſorum multitudo pleno citatôq; gradu contendit; tanquam *aviarium* aliquod *harpyiarum*, cum ſuis pariter *nidis*, everſura. Cædunt fores ſaxîs; effringunt ſeras, ac poſtes; expugnant ædes; feneſtrarum reliquias comminuunt: in muſéa concionatorum, ipsáq; (pròh pudor!) cubilia, penetrant. In *illis*, quod *librorum* inventum eſt, diripiunt, & aſportant: in *iſtis* verò, quod *liberorum* & genitorum lateret, quærunt; ut eos malè, nec fortaſſe citra perniciem, multent.

Berlinenſes Paſtores.

At iſti, cautiores, & idipſum jam antè ſibi præmetuentes; prævorterant: fidioribúsque ſe latebrîs occultaturi, pedibus, tanquam *pennîs*, ablati, cum liberis & conjugibus *avolârant*: tumultuantium manibus, pro ſe ſuî caſſam umbram; redituro verò paullò pòſt Principi, cauſsæ cognitionem, ac vindictam, relinquentes. (24)

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(1) *Conſtantinus, cognomentô Copronymus, Orientis Imperator, vetuit Edictô, Divorum Imagines, ac ſtatuas, & proponi palàm, & propoſitas honorari. Manichæi verò, qui Christo phantaſticum duntaxat corpus concedebant, negabant; illius phantaſmatis ullam effigiem, aut colendam, aut habendam, aut omnino faciendam. Auctores in teſtimonii firmamentum adducit complures, Jodocus Coccius, Theſauri Eccleſiaſtici Tomo 1. lib. 5. artic. 15. titulô,* Negant. (2) *Vide inferiùs Notam 9. in corpore: & in Teſtimoniis.* (3) *Martinus Lutherus, in epiſtola, quam annô 1524. dedit ad Duces Saxoniæ, Fridericum Electorem, & Joannem, Saxoniæ Ducem, Thuringiæ Landgravium,*

um, *Miſniæ Marchionem*, De Spiritu ſeditioſo. *Aliâ item epiſtolâ*, *ad Chriſtianos Argentoratenſes*, *contra* Spiritum (*ut ipſe loquitur*) Schwermerorum: *nominatim verò*, *contra Carolſtadium*. (4) *Apud Jodocum Coccium*, *in Theſauro Eccleſiaſtico*, *Tom. 1. lib. 5. artic. 15. tit.* Negant. §. Andreas Carolſtadius. (5) *Lutheri illic verba leguntur iſta*. Es mueß freylich ein ſchlechter Geiſt ſeyn / der ſeine Frucht nit anderſt beweiſen kan; dann mit Kirchen- vnd Clöſter-zerbrechen / vnd Heyligen-verbrennen. welches auch wol thuen können die allerärgiſten Bueben auf Erden: ſonderlich / wo ſie ſicher ſeynd / vnd ohn Widerſtand. Da hielt ich aber mehr von / wenn der Geiſt von Alſtett gen Dreſſen / oder Berlin / oder Jngolſtatt / fuhre: vnd ſtürmet / vnd bräche daſelbſt Clöſter / vnd verbrennte Heyligen. (6) Alſo / (*inquit illic Lutherus*) mit dem Bildſtürmen / möchte ich ſein (des *Carolſtadii*) Toben leichtlich tragen; weil auch Ich / mit meim ſchreiben / mehr abbrochen habe den Bilden / dann er mit ſeim ſtürmen vnd Schwermen immer thuen wird. Aber / daß man die Chriſten auf ſolch Werck hetzet vnd treibet / als müſſe mans thuen / oder ſey

Berlinenſes Paſtores.

kein Chriſt; Vnd will die Chriſtliche Freyheit mit Geſetz vnd Gewiſſen fangen: Das iſt gar nit zu leyden. Dann/ wir wiſſen/ daß auß keim Werck ein Chriſten wird: Vnd ſolche äuſſerliche Ding/ als Bilde/ vnd Sabbath/ im Neuen Teſtament frey ſeynd. &c. *ex uno ſcilicet eodémq; ore, calidum & frigidum: Imagines conceſſa, ac rejecta. Quam ipſam Tritónis hujus mutabilitatem mirificam, hôc, quo iſta concinnamus, annô 1672. obliquè perſtrinxit, etiam auctor Notarum, ſeu* Warhaffter Widerlegung der vngegründten Vrſachen *Andreæ VVigandi (deſertoris Societatis JESU, & Eccleſiæ Catholicæ; quam ejuravit annô ſuperiore Jenæ) in Nota 8. pag. 58. edit. Mogunt. dum ſcribit;* Lutherus iſt nit einig mit ſich ſelbſten geweſen: bald Hott/ bald Wüſt: bald Ja/ bald Nein/ geſchriben. (7) *Penetrale pictarum tabularum. Arbiter, paullò ante cæptam Eumolpi mentionem;* In pinacothécam pervéni, variô genere tabularum mirabilem. *&c.* (8) *Libro 1. Inſtitut. cap. XI. §. 3.* (9) *Capite 4. apud Jodoc. Coccium, tomô 1. theſauri lib. 5. cit. artic. 15. in fine.* (10) *Vocabulum Horatianum.* (11) *Indè fit, ut à quibuſdam per* Pi *quoque,* Perlinum *ſcribatur:*

cum

cùm maternâ linguâ Teutonum, *tam* Perlin/ *quàm* Berlin/ margaritam *notet* : *Italis & Hiſpanis*, *Perla*, *Gallis Perle*, *Belgis* Peerle/ *dictam*. *etſi ſanè*, *per ſecundam alphabeti litteram ſcripta dictio*, Berlin/*ſeu potiùs* Beerlin/ *geminatô*, *e* ; parvam *quoq;* Urſam *notet* : *ac Saurius*, *in Opere de Urbibus*, *pag. 128. originem nominis*, *Berlino inditi*, *referre videatur ad Albertum I. Electorem Brandenburgicum*, *cognomentô* Urſum. *Interim*, *haud diſſimulaverim* ; *vocem Germanicam* Berlin/ *vel* Beerlin/ *cùm* margaritam *ſignificat*, *ſyllabam poſtremam*, *in pronuntiatione*, *habere barytonam*, *ſeu* accentu gravi *prolatam* : *cùm autem* Urbem ; *efferri notariq;*, *ut oxytonam* : *ideóque*, *naturâ ſaltem*, acui. *Sic* Bérlin, *unionem* ; Berlìn *verò*, *ſeu* Berlín, *oppidum*, *ſignat*. (12) *Eſt enim*, *Jod. Hondio* (*in tabula Brandenburgi*) *teſte*, Berlinum *etiam* Novum, *quod &* Berlinícum *dicitur*, *in* Nova Marchia (*ut appellant*) Brandenburgicâ. *Sed res præſens*, *geſta eſt in urbe* Berlini Veteris. (13) *Gerard. Mercator*, *in* Typo Germaniæ Antiquæ, *non Suevum*, *ſed* Suebum, *nominat amnem hunc* : *inter quem*, *& fluvium Albim*, *Sénnones collocat* ; *quos Hondius*, *in tabula Branden-*

Berlinenſes Paſtores.

burgi, Sémnones-Suevos *appellat: ac fatetur; eas terras, in quibus hodie Brandenburgenſes ſunt, olim incoluiſſe Suevorum gentem.* (14) *Abrahamus Saurius, in Berlino.* (15) *Continuator antiquior, Parte 4. pag. 196. col. 1.* Zu Vrkund / haben wir / vnſer *Secret* hiefür aufzudrucken / wolwiſſender ding anbefohlen. Welches geſchehen in vnſerem Hofläger / zu Cölln an der Sprew / am 24. Tag des Monats *Februarii*, im 1614. Jahr. (16) *Saurius cit. in Vrbibus.* Es iſt die Statt Berlin nit ſonderlich groß. *&c. pag. 128. ubi & ea, quæ mox ſequuntur in corpore narrationis, tradit.* (17) *Idem, ibid.* (18) *Accidit id Decembri menſe, anni 1628. ut affirmat Saurius, locô, modò citatô. Annô verò 1630. Stettinum, & alia loca, Marchiæ conſerta, Sueciæ rex occupavit. de quibus agunt Annales Boici, Parte 3. libro 15. à num. 62. 63. &c.* (19) *Nicol. Rittershuſius, in genealogia Marchionum & Electorum Brandenburgicorum*, duos, *qui hoc tempore (ſcilicet annô 1615. & pluribus antè ac pòſt annis) vixerunt*, Joannes Georgios *ponit.* Unum *quidem, Joannis Georgii Senioris, & Electoris, filium, patri cognominem: qui natus annô 1598. die 4. Auguſti, hôc annô 1615. non*

potuit

potuit ſeptendecennî eſſe major. Alterum verò affert, Joannem Georgium, Joachimi Friderici, Electoris, filium; natum 16. Decembris, annô 1577. & mortuum annô 1624. fratrem Joannis Sigiſmundi. Qui proinde Joannes Georgius annô 1615. fuit vir, annorum triginta octo: Quis ergò jam credat, Electorem, Joannem Sigiſmundum, vices ſuas mandâſſe puero potiùs ſeptendecenni, agnato licèt, ac propinquo ſuo; quàm fratri, vitæ triginta jam octo annos habenti? (20) Hæc omnia liquent, & ſibi conſtant, è citata tabula Genealogica Rittershuſii: ſi (ut neceſſarium videtur) admittamus, Vicarium Joannis Sigiſmundi, fuiſſe fratrem potiùs illius, quàm cognatum ejus, adoleſcentulum; tantæ functioni minùs adhuc parem, ac maturum. (21) Alle Altär (inquit Continuator antiquior, Parte 4. pag. 265. col. 2. poſt princ.) ſehr ſchön / vnd köſtlich. (††) Nicol. Rittershuſ. in tab. genealogicâ Marchionum Brandeb. Elect. & Bucelin. in Notitia S. R. I. Principp. quantùm ad Annum. (22) Sic nominatur, etiam ab Atlante, in tabulam Boruſsiæ; quæ aliter, & vulgò, Pruſsia. germ. Preuſſen. (23) Annam hanc, Joannis Sigiſmundi factam eſſe Conjugem, annô 1594. die 20. Octobr. Nicol. Ritters-

Berlinenſes Paſtores.

Rittershuſ. indicat in Genealogica tabula Brandeburgicorum Electorum. *P. Gabriel Bucelinus*, Annam hanc Marchioniſſam, Joannis Sigiſmundi, Electoris, conjugem, natam tradit annô 1576. Unde, uſq; ad annum 1615. prodeunt Anni triginta novem. Defunctam autem, concorditer uterq; ponit, annô 1625. (24) Continuator antiquior, Parte 4. pag. 265. columnâ ſecundâ.

METRUM.

A Rediviv̄o ierat lux jam bis ſeptima Chriſto (1);
PASTOREM recolunt cùm ſacra roſtra BONUM.
Ēn! Berliniacis intruſa Lemannica (2) templis
Factio, Calvini ſpargere docta ſcobem,
Deſpuit hircinis Lutheri hædilia ſannîs;
Romuleique gregis Paſcua, clamat, haram:
Se penès, ac ſolos, veri moderamen Ovilis,
Paſcuáq; & fontes eſſe, ſacrúmq; gregem.
Idq;, ſub Islebīdis quamvis tolerata Sophiſtis,
Nunc nudata ſuô Templa nitore, probant.
(Nàmque eà nudârant ipſi.) Furioſa Genevæ (3)
Aſcia, diruerat ſigna, ſigilla, cruces:
Templáque ut ejiceret templis; Altaria, donis
Fulgida, non poterant jus retinere tholi.
SED, ſua nempe Sacris nonnunquam & dextra profanæ
Arma, vel invitô porrigit auxiliô.

NEC

NEC Sceleri, placet omne ſcelus; Majórque, minoris
In ſeſe, impietas, efficit arma pia.
Nox aderat, campôq; æther ſtellante patebat:
Islebica armatô turbine Secta coit.
Fit globus: indè agmen, densísque exercitus haſtis:
Clamor in hoſtiles, & vaga ſaxa, lares.
Sæva, Lemannigenûm fragiles petit, ira, feneſtras
Præconum. Hi capiti, conjugibúsque, timent.
Ergò fugam unà omnes capiunt. fugientibus adſtat;
Ac, turmâ validam, Marchio portat opem.
Civica ſed rabies, & opem tutoris, & ipſum,
Cum profugo cœtu, pellit in arcta Ducem.
Jámque adeò (ſecus, ac cathedræ ventoſa minacis
Fulmina jactârant, bucolicæq; tubæ,)
Non ſolus mercede-emptus dat terga miniſter,
Quem ſua ſors pavidum, laxáque cura, facit:
Paſtores, & oves, & Dux gregis acer, & ipſi,
(Quis putet hoc?) fugiunt in loca tuta, Lupi.

NOTÆ.

(1) *Sabbatum ante Dominicam* Miſericordia, *adeóq; dies 14. à Dominica Reſurrectionis, pridie horum geſtorum jam effluxerat.* (2) Genevæ, *qua facilè caput eſt urbium & oppidorum, ad lacum Lemannum ſitorum, habitârat & docuerat (uti notiſſimum eſt)* Joannes Calvinus. *Et ex ea urbe, ceu lacûs Lemannici ſpeculâ Pharôq;, dici poſſunt ſuô quodam*

Berlinenſes Paſtores.

modô oriundi omnes didaſcali Cerycésq; Calviniani : *propter eáq;* Lemannica *progenies.* (3) *Genevatium Miniſtellorum, aut Genevæ quondam ſtudiis imbutorum :* urbs, *pro* urbis incolis, *aut alumnîs, μετωνυμικῶς: juxta notam, proximè antegreſsam.*

ANNUS

Septennium III. Annus 1615.

Annus M.DC.XVI.

Anni M. DC. XVI. Geſtorum *SYNOPSIS.*

I. ANnus hic, illud, cujus in ſuperioribus oſtenta præceſſerant, bellum expertus eſt; incurſibus præliiſque memorabile, quæ *Ferdinandum Archiducem*, & *Rempublicam Venetam*, inter ſeſe colliſerunt. Ejus belli genuinas origines, ac progreſſus, hôc Annalî memorari, rerum temporiſque poſcit ordo. ſed exitum, annus ſequens propemodum expediet.

II. Eſt ad maris Adriatici ſeptentrionale littus, introrſum quidem in Auſtrum recedens, ſed ad Boream latius terrarum ſpatium aperiens, Sinus: cujus regio terreſtris, Solis ortum & occaſum meridiémq; versùs, marî ſepta; latitudinis ſexaginta paſſuum millia, circuitûs verò totius, centum viginti quinque millia, continere fertur (1). *Japydiam*

diam olim, & cultores ejus *Jápydas* appellatos, nonnulli produnt. (2) poſteriores, & quidem veteris jam Romæ temporibus, *Iſtriam Iſtróſq;* nominârunt: (3) hodiéque ſic plerique ſcriptores appellare pergunt.

Quòd autem in narrationibus hujus regionis rerum, ac finitimorum terræ tractuum, confuſionem haud rariſſimè pariat, ut, unô pro loco regionéve, regio vel locus menti ſubjiciatur alius; in cauſſa (ſicuti reor) eſt, vel ignoratio, vel minùs exacta terrarum inter ſe diſtinctio, quæ propiùs, aut eminus, *Iſtriam* aut circumjacent, aut contingunt. Qua namque parte reſpicit occidentem æſtivi ſolſtitii; Tergeſtini ſinûs, & oræ, viciniam habet, cum Duîni, Montisfalconis, Gradiſcæ, Goritiæque tractu: longinquiúsque nonnihilô, Foro-Julii regionem.

Ab Aquilone, terrîs Liburnorum, & Illyridis; itémque Karſtiâ, *Carniola* (quam *Inferiorem* vocant,) & Windorum Márchiâ, vallatur: infra quam, accolæ ſunt *CZirknicz enſis* illius, ampli, mirandíq; lacûs; quem narrant, quotannis unum eundémque, ſuô velut è gremio proferre, piſcatûs, venatûs, & meſſis, opportunam copiam. (4) Hujc

autem,

autem, interiùs ab Auſtri plaga, quaſi vallum ac munimentum, in ſemicirculi formam, ingens & montoſa *ſylva* præpanditur, *Pyrorum* jam olim dici ſolita. (5)

Quæ porrò pars *Iſtriæ* pertinet ad Orientis plagam, & ſinu, quem *Carnerium* dicunt, (6) alluitur: à loco, cuj *Divi Viti* fecêre nomen, ad Inſulam Arben uſque, non ea modò terræ ſpatia, quæ paullùm ab Adria Boream versùs receſſerunt, ſed maritima quoque, littoraléſque receſſus, habere videtur *horridulos*; &, indigenarum ab ingeniis, indoléque locorum, ſubaſperiores. Minimum eſt illud, & in *vocabulo* fortaſſe potiùs, quàm accolarum *moribus*, ſitum crimen; quòd, in vicinia *ſylvæ*, quam dixi *Pyrorum*, nemus, neſcio quod, in Orientem vergens, HORTUM appellant DIABOLI (7).

Cingunt eum locum, ab occaſu, meridie, Solis ortu, partéque Septentrionis, Cauris oppoſitâ, vertices Alpeſtres, & aſpera montium juga. quà verò vacuum cautibus, montanîſque tractibus, ſpatium aperitur, ad Euroaquilones; illic ſe ſaltus interponunt, ac ſylvæ. Manant autem, montium è radicibus, tum alii minorum nominum amnes,

ac

ac rivi : tum aquoſior , notiórque cæterîs, *Kulpa* fluvius ; qui Chraſtowitzii deniquè, ſupra Zagrabiam, in *Savum* effunditur.

Cur porrò locum , quem dixi , tam deteſtandô nomine, *Diaboli* cenſuerint *Hortum* appellandum ; cauſsam nôrint , qui primi ſic appellârunt : & qui tractum illum hodiéq; , vel inſident , vel accolunt. Ii , cujuſmodi morum aut ingenii ſint , quoniam non habeo compertum , nec , quod judicem , aſſequor ; rem in medio relinquo. Sed locorum tamen, pagorúmque, qui foris *Hortum Diaboli* circumſtant, vocabula plus aliquantò barbariei, ferociæq;, quàm civilitatis ac manſuetudinis , promittere videri poſsunt. Et ferè ſunt iſta : Sagor, Treſenicka , Gorſchcanyum, Oſſinitza , Grabetkyum , Wróla , Cóſtela ; quæque mediô ferè , quà rupes intermiſsæ ſylvis locum dant , ſitu poſita , cæteris quodammodo præſidet, & introrſum *Horto Diabolorum* imminet , *Riegkha* ; tanquam univerſæ ſolitudinis illius excubiæ. Verùm , de *nominibus* (utpote , quæ gratuita ſæpè ſint , & otioſa,) ne labore ſterili fatigemur ; eſto ſanè locus ille, per me , *Paradiſus* etiam *Cherubinorum* (8) , & non *Heſperidum*

vidum draconinus hortus : potiúsque *Spiritus* in eo, vel circùm eum, *divinus*, quàm *Sathanicus*, habitet! E *fructibus* interim, qui ſe diffundunt in illius pometi fundum ac viciniam, conjectura ducitor: utriúſnam *Spiritûs*, è duobus illis, nomen, id nemus promereatur?

Spiritûs certè *Divini*, cœleſtíſque Paradiſi, *fructus* in mortalibus ſunt; *Charitas, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides & modeſtia: caſtitas & continentia.* (9) *Spiritûs*, è contrario, *ſubterranei* poma *Pentapolitanæ* ſunt; *Inimicitiæ, contentiones, æmulationes, rixæ, diſſenſiones, iræ, ſectæ, furta, rapacitas, comeſſationes, ebrietas, homicidia.* (10) Noſtrâ porrò memoriâ (nam hanc ſolam hîc, & non ſuperiorum temporum, exſequimur) ut Iſtrorum, Liburnorum, Morlaccorum, ac Dalmatarum, bonâ veniâ liberè loquamur; *fructuum* poſterioris, quàm prioris illius placidíque *Spiritûs*, à populis, *Horto Diaboli* vicinioribus, (maximè verò maritimîs, & inſulanîs,) multò plura, conſtat, eſſe ſpecimina prolata.

III. Fuit annîs iis, in quibus ſcriptione verſamur, (opinórque, necdum extinctum eſſe,)

eſse,) mortalium genus quoddam, ex Iſtris, an Liburnis, aut aliis Illyribus, an Adriaticis deniq; potiùs inſulis, oriundum? (nec enim admodum, in *hiſpidis Adæ filiis*, cujúsnam argillæ quiſque ſit, intereſt,) quos homines, uſus loquendi recentior *Uſcóchos* (11) appellabat. Horum *Uſcochorum* pars magna, ponè maris Adriatici lævam oram, diverſîs certîsque ſedibus pacatè ſe quietéq; tenebant; nec ullam ullius de ſe querelæ cauſsam ſociis, aut finitimis, præbebant: eò, quòd, uxoribus ſuis ac liberis conviventes, artibus honeſtîs ſe familiásq; ſuas ſuſtentarent; (12) nec quenquam per nefas injuriámque laceſſerent. Contrà verò morem iſtorum, erant gentis ejus alii; nec eorum exigua multitudo: qui vagi, ſedibus ſuîs extorres, & legum vinculîs exſoluti, terrâ marîque prædas agebant: &, ab aliquot retrò jam annis, Iſtriæ, Carnorúmque ditionis viciniam, ac maritima cumprimis ea loca, quæ vel *Venetorum* erant, vel *Turcarum*, populabantur:

Et *Adriam* quidem, ut piratæ, myoparonibus ac Liburnicîs pervolitabant. continentis verò tractum omnem, Adriæ ſiniſtro littori propinquiorem, ferrô, rapinîs, capti-

vita-

vitate, flammâque, devaſtabant. Ac *Chriſtiani* quidem ipſi, profeſſione ſacrorum, cùm eſsent; contrà Chriſtianos tamen æquè, Turcâsque, pæne truculentiùs Turcis ipsísmet arma ferentes, ſæviebant; vocis quoque ſonô, linguarúmque mixturâ, ſimplicioribus formidabiles; ut, qui ferè, præter *Italicum* idioma, vel *ſemi-latinum*, multis agnatum, Sclavonicè quoque, Croaticéque, vel Dalmaticè, loquerentur; & utcunque præterea *Teutonicè*, quoties *Zengam* (de qua pôſt dicam, & quem in locum ſæpe prædam convehebant,) ſeſe reciperent: ubi, ſub *Auſtriaco* prætore, militare præſidium inerat, Germanici militis haud unquam facilè prorſus expers. (13)

Cæterùm, prædones hos ad piraticam, & latrociniorum audaciam, invitare traheréque videbantur *occaſiones* (*quæ furem* ſicariúmque *faciunt*) nec paucæ; nec longè petendæ. *Domeſtica* primùm *Egeſtas*; *è fuga laboris*, otiiq; dulcedine, *pronaſci ſolita*. Deinde, *ſimiles ſimilibus facilè coaleſcentes*; ac vagi, ſuísque terrîs extorres, vagis item, & extorribus, adhærentes. Ejectorum item, propter delicta; proſcriptorum, ob homicidia;

dia; profugorum, æris alieni cauſsâ, multitudo grandis illic agebat: quæ ſeſe, vicinîs pariter ac remotioribus è terris & inſulîs, undique conglobârat; & huic tali, qualem deſcripſimus, *Uſcochórum* degenerum colluvioni ſociârat. Accedebat his; portuum, ac navalium, ad ſolvendas in altum, & ex alto reducendas, naves prædatorias, ſumma facultas: latebrarum, ad inſidias onerariis peregrinis tendendas, & ex iis nec opinatò prorumpendum, frequens paſſim & ingens opportunitas. *Inſulæ* quoque maris Adriatici, præſertim extimi, facilè *mille* numerô, (14) majores minoréſque: paratiſſima, prædâ gravidis actuariis, & phaſélis, tum receptacula, tum aſyla: quarum inſularum ferè principem tenent locum & famam; Carnerii ſinûs Perosína, Cherſos, Végia, Lezinis, Arbe, Sylva; quas multitudo ſubſequitur *Inſularum* incredibilis earum, quibus, ad Corcyræ viciniam uſque, Dalmatia prætenditur. Denique, latrocinari prædaríque ſuetis, Illyridem versùs, nec littoralia deeſſe, nec terreſtria, ſeu diverſoria poterant, ſeu ſpoliorum horrea: loca quidem maritimi ſitûs, minùs munita; non tamen & nullarum nuper opum,

opum, ac facultatum. Erant autem, *Klona*, *Valoſta*, *VVakovvixa*, *Bucariza*, *Crelínum*, *Chótora*, *Griſna*, *Probiéra*, *Noûta*, *Stavvigrádum*. è quibus plerumque locis, ac portubus, ſicut & ex inſulis, in naves, tam *Venetas*, quàm *Otomannicas*, impetum & inſultum *Uſcóchi* faciebant: ut & in terras eorum, qui Venetiis, & Conſtantinopoli, rerum potiebantur. His ingentia ſemper damna vaſtitatémque, nec unquam ferè citra *ſanguinem*, cædes, ac flammam, inferebant. Mala grandia! ſed, à Turcarum præſertim Sultano, mutuîs è diverſo cladibus, & ea quidem, *inſontium* in capitibus, vindicata. Nam *veri* malorum auctores, *Uſcóchi*, dilapſi tantiſper, pro ſe Chriſtianos imbelles alios, ſub acinace Turcico relinquebant. (15)

IV. Sed ad *Iſtriam*, quam nec ipſam penitùs intactam hi piratæ reliquêre, narratio revertatur. *Forojulienſium* quidem, & *Carnorum* terræ, quæ, ſuper *Iſtriam*, Aquilonem versùs jacentes, ab occaſu Solis ad Orientem in longitudinem porriguntur, ſpatiô ſui procursûs *Iſtriæ* longitudini præferuntur: & verò ſubinde, ſuî parte quadam, illi miſcentur. Neque tamen id efficiunt, ut

hinc quidquam *Iſtriæ* regioni de juſtæ magnitudinis dignitate decedat: ídque partim ob ea, quæ de menſura ſpatiorum ejus jam dicta ſuperiùs ſunt; partim, quòd ea terra *Regnum* antiquitus fuerit: cujus memoriam, illius vox & appellatio Germanica, retinet etiamnum inextinctam.(16) Quin & Roma vetus, *Iſtriam* ſuîs quondam armîs, expeditionéque, non indignam rata; cladem ibi tumultuariam militum trecentorum triginta ſeptem, accepit: acceptámque, mox octo circiter millium Iſtrorum occidione (17), temulentíque *regis* captivitate (18), victoribus refudit. Ad ſummam! nec hâc quidem, qua degimus ſcribimúsque, tempeſtate, tam exilis *Uſcóchis* Iſtria, támque parvîs circumciſa finibus, aut infrequens, eſt viſa; quin magnas irruptionibus ſuîs, ac frequentes, ex ea prædas, & ſperarent, & abigerent. Dignum quippe periculis ſuîs præmium, ejus direptionem cenſebant: non tam regionis *interioris* opum cupidine; quàm oræ *littoralis*, (ut plurimùm opulentioris) affectatione. Quantumvis enim, introrſum recedens *Iſtria*, ſit univerſim *aſperior*; anguſtorum callium, & itinerum; plurimùm quoque,

que, non tam montoſa, quàm aſſiduîs collibus inæqualis, ac ſuſpenſa, (quæ tamen ipſa ſoli facies triſtior, pecorum, vinetorum, olearum, ac fructuum delicatorum, inſignî fertilitate compenſatur:) *maris* interim *orâ* littoribúsque prædones ampliùs ineſcabantur. Nam & *tutiùs* illuc, *quoniam improviſiùs*, exſcendebant: ac metu minore deprehenſionis ſubitæ prædabantur: &, in oppreſſionis periculo, faciliùs è propinquo, quàm è regionis viſceribus, in mare ſe, tutáque loca, referebant. Eadem præterea, quæ mediterraneum, & interius ſolum, gignebat, (19) terræ bona, rapturis offerebat etiam margo regionis; mari, per univerſum propemodum Iſtriæ circuitum, incumbens. Quo certè maritimô tractu, terra continens uſqueadeo ſe per omnia beatiorem oſtentare nequit, in omni genere fertilitatis, & opum: ut maritimus ager ille, non & in plerisque, proventibus interioris ſoli parem, proferre copiam queat; (20) & intima contrà regio quibuſdam fructibus, vitæque ſubſidiîs, deſtituta jaceat: quibus tamen plagæ nonnullæ littorales abundant. Itaq; pecoroſa, maritima quoque ſunt: & portuum ingens cir-

cumquaque numerus, (21) mercium peregrinarum, ac portoriorum, opulens. Sic, *Humagii* (quod oppidum, pleramq; ſuî partem, marî cinctum ad Occaſum eſt) littoralis humus, haud minùs, ac *Piſînum*, frumentô, leguminúmque copiâ, redundat; quibus terra cætera multùm, & paſſim, eget: importatô victitare coacta. Sic, ad *Lemi* fluminis oſtium maritimum, *Salinarum* portus; *ſalíſq;* dives mercatus, & ad exteros exportatio. Nec tacendum, hoc in genere compendii lucrorum, ac negotiationis, *Vinum* eſt, cuj nomen Teútones noſtri (neſcio, quam ob cauſſam,) indiderunt à *Rheni lapſu*; quódque, non ſola quondam Cæſaris Octaviani prudens uxor, *Julia Livia*, libenter, & *ultra ſeptuageſimum ætatis annum*, bibere ſolebat; ſed etiam, in hæc uſque tempora, ſexûs utriuſq; mortales complures hauriunt avidè: nec *Uſcóchis* quidem ad id bibendum invitîs, ac tardîs; ſi copiam potandi caſus offerat. *Vinum* verò, laudamus hîc, non *artefactum* illud, aut condimentîs aromaticîs, decoctionibúsq; medicatîs, compoſitum (*ſimulacra* meri, *non merum*,) ſed verum, ac genuinum, naturæ partum. Hujus

jus *natale ſolum* , & plantarium , *Pucinum* eſt (22) , ſic veteribus nominatum : hodie mons , & caſtellum , *Proſeckium* vulgò dictum ; & vinetîs , ejúſque, quod dixi , generis vindemiis , ex ſe nobilitatum. *Proſeckianum* indè , vinis his *Rhejnfalicis* nomen hæret. (23)

V. Cæterùm, ad *Iſtrorum* oppida quod attinet , quanquam ea regioni mediterraneæ non penitùs inuſitata ſunt, cujuſmodi, *Mons de la Bota*, *Baſtia*, *San-Laurentiana* , *Piſinum Novum* , *Galigangna* : clariora tamen oræ maritimæ ſunt, clauſa mœnibus, loca. qualia ſunt , (ut obiter potiora percurramus ; nominandi ſeriem à Forojulii finibus, ad Carnerii , ſeu Flanatici ſinûs extremum procurſum , per circuitum ducendo ,) *Tergeſtum*, *Múgela* , *Juſtinopolis* (hodiernis, *Caput Iſtriæ* dicta), *Piránum* ; ac ſuper id, *Iſola* , cincta ferè littoralibus undîs , ſicut & *Juſtinopolis* undique ſuper hanc ; & inferiùs, peninſularum inſtar , *Humagium* , ac *Civitas*, appellata vulgò *Nova* ; *Vertenegiæ* pæne contigua.

Poſt has , ad mare ſitæ, memorabiliores urbes, *Parenzium* , *Pola*, *Medolinum* , *Albóna*, *Flumen* (24) ; inter quod ipſum oppidulum, ac

ac *Terſactum* (25), (Euroaquilonare municipium) annô Chriſti milleſimô, ducenteſimô, nonageſimo primô, conſédit, *Lauretana* poſtmodo nominata, *Nazarena* Matris-Virginis *domus*; *Angelorum* illuc miniſteriô transmarinîs è terris delata, nocte, quæ ſeptimum Idus Maji præcedebat. (26) Is locus, montana planities erat; imminens Adriæ Septentrionali littori: portum autem, & urbem Anconitanam, Adriatici maris Auſtrale littus inſidentem, eminus è regione reſpiciens. in quem etiam oræ maritimæ tractum, poſt ſeſquitriennium, & menſem unum ſuperadditum, (27) ædicula, quam dixi, ſacra, prodigiô novô transmigravit; ex Iſtriæ finibus, & Illyricîs, in Italiam & Picénum ablata: quam hodie quoque ſedem tenet. Iſtri verò, ſedis antiquæ fundum, ſacellíque priſci veſtigiis inædificatum (28) templum, veri translati ſacrarii monimentum, & ablati ſolatium, oſtentant.

Et hæc hactenus oppida ſunt, & urbes; pleræque mari junctæ, vel proximæ: Tergeſtinis à finibus, per ambitum, ad *Flumen* uſque; quod oppidum, ad oſtium *Tarſiæ* fluvii, maréque, poſitum, *Terſacto*, conti-

nentis

nentis oppidulo (29), ſicut antè dictum eſt, ex obliquo, neque procùl, objacet. Sunt autem *Iſtrici* cuncta, partim nominis, atque fundi; partim juris, ac tribunalis. Quæ verò poſt hæc in Ortum jacent, ad *Zengam* & *Arben* uſque; jam eſse *Dalmaticorum* finium, etſi non uniuſmodi jurisdictionis, incipiunt.

VI. Sed ex *Iſtricis* interim, per ordinem modò recenſitîs, oppidîs, etſi contemnendum nullum ſit; aut *Vſcóchis*, ad opportunitatem prædæ, non expetendum: alia tamen aliis antecellunt, vel dignitate, vel facultatibus; aut horum pariter utroque.

Qui *Tergeſtum*, Iſtriæ potiùs (ut nonnulli faciunt,) quàm *Forojulio*, (30) contribuunt; eam urbem *ſitu* primam inter *Iſtricas* ponere coguntur: alioquin autem, & *antiquitate nominis* cæteras antecedentem; & *Epiſcopatu* quoque jam olim inſignem; ac celebrium *Timávi fontium* (31) propinquitate memorabilem. *Tergeſto* ferè proxima, ſitûs ordine, ſed potentiâ prior potiórque, *Juſtinopolis* eſt; ad *Juſtinum*, Orientis imperatorem, ſui *nominis*, ſi non & *operis*, originem referens. Ea, proximè littus, exiguam in-

ſidens inſulam, mille non ampliùs paſsus longam, latitudine verò multò contractiorem; ſedem habet, undequaque fluctibus expoſitam; totam tamen, *unâ*, *ſolidâq;*, *petrâ* conſtantem. Ponte, forinſecus, (32) ad trium teli jactuum longitudinem protensô, continenti connectitur. Arx, oppidi medium occupans, vetuſta quidem, ſed adhuc firma; turribus quatuor circummunitur. Ab *Iſtriæ* porrò (quod ſuprà monui) *capite*, nomen hodie circumfert; (33) non ſanè turrium illarum, aut caſtelli, beneficiô; ſed, quòd à *Forojulio* meridianam cœli plagam petentibus, & *Iſtriam* à tractu Septentrionis ingreſſuris, in aditu ſe ſtatim frontéque regionis offerat. Nam *Múgela*, quæ Tergeſtum & Juſtinopolin interjacet, ideóque locum, hâc ſuperiorem, tenet; tamen nec ſpeciei tantum, neque dignitatis, obtinet.

Prætermiſsîs porrò, quæ poſt *Juſtinopolin* ad mare ſitæ ſunt, urbibus & oppidis; auctoritate nulli cedunt, *Parenzium*, & *Pola*. *Parenzium*, locô littoris Adriæ Borealis perquam amœnô, (34) peninſulam occupat; circumquaque ferè marî cinctam. (35) Ipſa quidem, haud quaquam tam à nitore formâ-

mâque (36), quàm ab antiquitate, quondámque civitatum *Iſtriæ* principatu, memoriam promerita; ſedem habet, & baſilicam, *Archiepiſcopatu* conſpicuam: (37) propugnacula, munitionésque firmas; turres, ac mœnia valida; portúmq; maris commodiſſimum, inter *Quieti Lemiq*, fluminum oſtia, mediô ferè ſitu. Dives illic mercium advectarum, & exportatarum, emporium; non poteſt non tentare maritimorum prædonum nocturnas incurſiones, & vota. *Pola* verò, multùm infrà Parenzium, ultráque Lemi fluminis oſtium, ad Ortum hibernum conſtituta; monti, perquam edito, conſcenſúque difficili, ſimùl quodammodo ſpeculæ cujuſdam operam, & urbis dignitatem, præſtat. Ex illa namque longè latéque, per Illyricum, & Adriam vaganti proſpectui, campus aperitur. Intrà ſe verò, *Pola*, ſuîs quondam operîs impendiîsque, quadratæ formæ prægrandibus è ſaxis *amphitheatrum* excitavit: quod annoſa (38) vetuſtas non modò non delevit, (ut tamen cuncta ferè cæterorum operum:) ſed propemodum totum adhuc ætati noſtræ tradidit indejectum. Aër illic, inclementior; non tamen ideo prædones abſterret; quippe,

pe, quibus rumor nauticus narrare de *tribus* Polæ *fontibus* ſoleat; non *Ignis* tantùm, & *Aquæ dulcis*, ſingulos *puteos*, ſed & tertium reperiri, *Pecuniâ* redundantem. (39) quo mihi videntur urbis ejus *opulentiam*, velut adagiô, ſignificatam velle.

Cæterùm, mediô planè, Parenzium inter, & Pòlam, ſitu, *Rovinium* eſt; peregrinorum Jeroſolymipetárum pleriſque *Rubinæ* nomine traductum: Italis, & indigenis, *Rovigno*. Cujúsnam is locus hodie conditionis & fortunæ ſit; affirmatè dicere, propter crebras rerum hâc tempeſtate mutationes, non audeo. Supra noſtram tamen, nec ità multam, ætatem ac memoriam, adhuc *urbs* ferebatur, in monte ſita; *Sedes* (ſicut & *Pola* tunc, & in hunc adhuc diem,) *epiſcopi*: cujus & in baſilica cathedrali, divæ virginis ac martyris *Euphémiæ* Chalcedonenſis corpus, adhuc incorruptum, in *ſarcóphago* monſtrabatur *marmoreo*. quem funeris ſacri loculum, prodigiosô per maria natatu, *portui* (nam & *portum* urbs, infra montem, habebat) invectum fuiſſe, referebant. (40)

Hodie *Rovinium*, ſeu dignitatem *oppidi* retineat; ſeu *municipii* nomine contentum, & por-

& portorii quæſtibus, ſit; agri certè *Roviniatis*, in continenti jacentis, opulentas habet & copioſas marmoris, (*Iſtrici* paſſim dici ſoliti) lapicidinas: cujus *marmoris* ingens in Italia pretium, & in ædificiis ſplendor, eſt. E lucris autem, à látomis & quæſtoribus quotidie congeri ſolitîs, compendium magnum; at rapacitatis, apud prædones, grandius irritamentum (41) aperitur.

VII. Hîs porrò ſic deſcriptîs; haud alienam inſtituto noſtro fuiſse recenſitionis hujus induſtriam, qua maximam *Iſtriæ* partem percurrimus: rerum, ibi ſæculô noſtrô geſtarum, expoſitio declarabit. Connexæ ſunt, (ut tabulæ quoque *geographicæ* palàm faciunt) *Iſtriæ Forojuliiq;* terræ; ſed dominîs, ac ditionibus, diviſæ: ſæpéque poſseſſiones, & jura fundorum, aliis alia velut intercurrentia, limitum variô transſultu miſcentur. Rerum autem potiuntur utplurimùm, gentes ibi geminæ. VENETA quidem, ab Auſtrali, Zephyronotíque, plagîs: à Septentrionibus autem, *Auſtriaci*. Partem utriuſque regionum harum *potiſſimam*, à Sereniſſima *Venetiarum* republicâ teneri; res, & ſcriptores, docent. (42) Ac de *Forojulio* qui-

quidem, poſteriùs nobis ſermo recurret; cujus in progreſſu, ſua nec *Auſtriacis* illic imperia, poſseſſionésque, deeſse, memorabo. Quod autem ad *Iſtriam* attinet: Sereniſſimorum ARCHIDUCUM hæreditarii juris ſunt, nec pauciſſima, nec aſpernandæ fertilitatis, terræ ſpatia; quæ magis ad Aquilonem, & *Carnorum* Alpes, recedunt. In his, *Tergeſtum* eſt, (43) & *Poſtoinum*; quod *Adelspergum* Germanis dicitur: Satrapia quoque *Mitterburgenſis*; vocabulô cenſúque *Comitatûs* inſignia, territoria. (44) Præterea, *Flumen* oppidum, ad Sinum Flanaticum (45): ubi domicilium nunc, etiam *Societas* JESU, ſub *Auſtriacæ* Provinciæ gubernaculis, habet. Ut alia plura, minoris famæ, paſſim per Iſtriam Borealem ſparſa, loca juris *Auſtriorum*, prætercam. At ea, quæ meridiei maríq; propinquior eſt, Iſtria, VENETIARUM imperio ſubeſt. Cujus indigenæ quidem, maximè verò continentis, exiguarum eſse facultatum perhibentur. (46) Sed ii, quòd à *Venetis* civiliter & clementer habeantur; nimirum invicem laboribus ſuis, & induſtriâ, meritò *patronorum* potiùs, quàm *ſuáſmet* fortunas, amplificant.

Verùm,

Digitized by Google

Verùm, *unam* quidem Iſtria, *nec* tamen ità *magnam*, è fructibus cenſibúsque ſuis, acceſſionem faceret ærario *Venetiarum*: tametſi, præter Iſtros, in Adriatico, vel ad oram ejus, aliud nihil, unde locupletarentur, poſſiderent. Sed ſunt (Dei, virtutíſque, felicitatíſque Venetæ, beneficiô,) tum *Adriaticô*, tum *Iöniô* quoque mari tenus, adhuc urbes, inſulæque, cum peninſulis, portubúsque, permultæ; quarum numerus, ac proventus, illius Reipublicæ populum augeat, & vectigalia.

Sunt enim, (ut vel obvias nominem,) ad Iſtriæ jacentes hibernum ortum, *Cherſos* (Crepſa priſcis): *Oſeros*, à Cherſo, meridiem versùs, tenuiſſimô diſſepta maris interfluxu. tum ſiniſtrô Cherſi latere ſtipata, *Vegia*: nec ità multùm infra Vegiam, in Eurónotum, *Arbe*. *Pagos* item, & *Brazza*, *Mélata*, *Cúrzola*, *Lieſéna*; diversô maris, jam in Iönium tendentis, ſitu. quæ cunctæ tamen, è *minorum* ferè ſunt Inſularum ordine. *Majores* autem ſuprà memoratîs Inſulîs, ſed in Iönio jam pleræque, ſunt: *Corcyra*, quæ Corfúnum hodie; *Cephalenia*; *Cythéra*, nunc Cérigo; *Zacynthos*, nautis vulgò

gò Zante. *quondam* denique, certéque Sæculi noſtratis adhuc pleráque parte, *Creta*; vulgò *Candia* : quæ nunc, (quod dolemus,) (47) ità *Turcarum eſt*; ut, minimâ, noviſſimâque lineâ, *Venetorum* dici queat.

Quæ verò *continentis*, & non *Inſularum* civitates, ad Adriam jacent; & poſt Iſtricas, Orientem versùs poſitas, urbes, *Venetiis* etiam nunc vectigales, ac ſubjectas ſe, profitentur: præter complures alias, in Sclavonia, Dalmatia, Liburnorúmque finibus, ſitas, hæ nominatim, ut celebriores, produntur. *Jádera*, nunc *Zara*, nitida quondam urbs, & firma; tametſi modica: (**) *Sibenícum*, quod priſcorum fuiſse *Sicum* (48) exiſtimatur. E regione Sibeníci, caſtellum; oppido nulli firmitate cedens, à *Divo Nicolao* vulgò dictum. *Tranum* item, *Salóna*, *Spalátum*, & *Cáthara*.

Porrò, quod ad *Portuum* frequentiam attinet: eſt eorum quidem, ad *Iſtriæ* littora, tum opportunitas inſignis; tum multitudo, quàm ad Adriam ulteriorem, pæne major, ut, *Portus*, à *Salvatore* nomen gerens; portus *Báſoli*, *Cervetius*, *Fubánus*, *Salinarius*, *Figarólus*, *Flori*, *Budanus*, *Longus*, Divæ *Mariæ*. non

non tamen eorum inops eſt; cætera maris ora, Corcyram uſque Candiámque procurrens; commodáſque navibus ſtationes, & lucra portuum-dominis, præbens. Quod hactenus indicâſse, ſummâ quadam locorum, & poſseſſionum, *Venetæ* ditionis, (49) circùm Adriam, perſtrictâ; ſatìs eſto. Nunc, ad USCOCHOS veniamus.

VIII. Horum (ſicut initiò ſubmonuimus) pars inquietior, & moribus incultior, poſtquam magnam ſuæ factionis multitudinem contraxerant; &, inter ſeſe tacitè ſacramentô dictô, rapinarum conjurationem fecerant: ab aliquanto jam, nec exiguô, temporis ſpatiô, continentem incurſionibus, & mare navigiîs, infeſtum habebant. Et in ea quidem, quæ *Turcarum* erant, utì *nihil* irruptionibus peccare ſibi videbantur; ità fortaſse *minùs aliquantò* peccabant: niſi tamen, infeſtando noxiam gentem, eádem operâ periculum & *innoxiis*, ex tranſverſo, creâſsent. QUOMODO verò *poſsunt* vulgò *placere*, *bona* quoque; *quæ poſt ſe trahunt multa*, *magnáq;*, *mala?* Præter clades autem, hoſtibus Chriſtiani nominis hæreditariis illatas, inflixerunt *Vſcóchi* ſuas Chri-

N ſtia-

Anni Acta.

ſtianis etiam, & longè plures; & non ſemper mitiores. Nam *Venetorum*, ſi non omnes, quos ſuperiùs percurri, *pleroſq;* tamen, portus, & urbes, invaſerant; arcésque maritimas perfregerant: & Inſulas promiſcuè penetrârant; oppidáque diripuerant. Multos continentis pagos, villarum frugiferos tractus, & agrorum cultiſſima quæque, (50) fœdè pervaſtârant. naves plurimas, citra diſcrimen ullum, (*amicorum*, an *hoſtium*, eſſent?) expugnârant: prædam, & captivos, haud parciùs, aut cunctantiùs, à *Venetis*, quàm à *Mahometanis*, abegerant. Spoliorum verò pleraque, tanquam olim piratæ Cilices in *Phaſélidem* Pamphylicam, (51) ſic iſti *Zengam* Sclavonicam, convehere conſuêrant: ibíque (quod è *Latomo* conſtat) unius aliquando navis Venetæ mercibus inter ſeſe partiendis, *trium* ſolidarum inſumere ſpatium *horarum*, deprehendebantur.

IX. Eſt autem ZENGA, Cranorum ad Principatum ſpectans; ultra Cranos tamen ad ortum hibernum (utì ſuperiùs indicavi) ſita: ſupra maris tractum illum, in quo, meridiem versùs, Arbe Sylváq; jacent, inſulæ. Maritimorum Adriæ præſidiorum, inter

inter extremam Orientis Iſtriam, & occiduam Morláchiam, medium tenet locum; at exiguum. Sed nempe, *Parva quoque ſubinde terrori ſunt molibus, multò majoribus; ſi validè munita.* Puſillum *Zenga*, firmîs tamen murîs clauſtríſque tutum, oppidum; indè quidem, maritimos habet pro vallo fluctus; aliunde verò, ſcopulorum fiſſurîs, & horridâ profunditate, protegitur: fundô, ſolôque cæteroquin etiam ipſo, multùm aſperô luridôque, triſtis, & inamabilis. (52) *Arx* eſt intrà muros oppiduli: nec tamen una, ſolitariáve. Nam forìs, & à caſtello defenditur, Alpeſtribus impoſitô jugis: & intus à fortiſſimorum, ibidem ſemper excubante, militarî præſidiô; *Cranicorum* Ordinum impendiîs ali ſuetô.

Sunt autem incolæ, tametſi (quod alibi dixi) nonnullâ *Germanicorum* mixturâ, majorem tamen partem *Dalmatæ*: paucíque, non ſaltem trilingues. (53) Agunt interim illic, & in geminis illis arcibus, & in oppido, *triarii* maximè: qui, nunc terrâ militantes, aliàs, ad incerta temporum caſuúmque momenta, marî; præſidiarium claſſiariô mutant, & hunc illô; per alternationem, quodam-

dammodo deſultoriam, in utramque neceſſitatem exercitati. Lex nimirum eſt ea loci. *Zengæ* namque, maritimæ totius oræ (quanta quidem ad *Auſtriacos* pertinet) claſſium & expeditionum *Prætura ſuprema* (54) ſuam tenet ſedem: & ab ea, tum Illyricus miles univerſus, ſub *Archiducibus* ſtipendia faciens; tum *Uſcóchicus* quoque, legitimô ſacramentô rogatus, accipiebat imperia. Cæterùm, à Græcienſi Sereniſſimorum Archiducum Curia, jura ſuprema petebantur, & auſpicia: quibus, cuncta regi componíq;, par fuerat; *ſi, quàm æqua ſunt Principum mandata, tam & accurata ſemper præfectorum eſſent, aut miniſtrorum, obſequia.*

X. Patuit hæc obedientiæ neglectæ labes, in hac præſertim *Uſcochorum* controverſia. Dum enim in ea, quam dixi, latrocinandi ferocia libidinéq; prædones illi perſeverant, & indies eam augent: *Achméte* Turcâ Chriſtianarum interim triremium cruentis oppreſſionibus ſuas injurias perſequente; Sereniſſima *Venetorum* Reſpublica, non priùs ad ultionem & arma, quàm ad leges, & juris viam, ſibi cenſuit eſſe decurrendum. *Oratores* igitur in Styriam expediunt; qui, Sere-

Digitized by Google

Sereniſſimum apud Archiducem, FERDINANDUM, (eum, qui poſt hæc, *Secundus* ejus nominis, imperavit) *Gracii* tunc agentem, ſuper immanibus *Uſcochorum* prædationibus expoſtulent: ablata repetant: ſarciri damna, rogent: in auctores animadverti, poſcant. Eam *Archidux* legationem, ut æquiſſima petentem, more ſuo, quàm poteſt, humaniſſimè compellat: ornatiſſimè tractat: ſuam, è locis tam remotis, rumorum inſcientiam excuſat; *Uſcochorum* acta damnat, & exſecratur. Ac, quoniam, haud quaquam ad univerſam nominis ejus gentem ea pertinere facinora, facilè conjiciebat: remiſsîs domum manſuetiſſimè legatîs, ad Prætorem ipſe Zenganum, &, præter hunc, ſeparatim inſuper ad eum, qui militiam *Uſcochorum* ſtipendiariam regebat, vehementia mittit, & acria, mandata; quibus præcipiebat: *quoniam palàm ſit, Zengam, Uſcochorum non modò prædonum, ſed ſpoliorum quoque, receptaculum eſſe publicum, (id, quod eorum neutrius fugere ſcientiam queat, in tam aſſiduis piratarum delictis:) ne rapinarum inſuper etiam conſcientiam habere, ſocietate criminum, videri poſſent; in Uſcóchos, quínam eorum Rei nocentésq;*

Anni Acta.

téſq; ſint, accuratè quærerent: ac de deprehenſis, è rigore legum, ſupplicia ſumerent.

Hæc ità *mandata*; ſed *effecta* non ſunt: ſive miniſtrorum id incuriâ, diſſimulationéque; ſive certorum hominum indulgentiâ mercenariâ; ſeu demum, nocentium multitudine viribúsque, tribunalia proculcantibus, uſuvenerit. Magnô proinde juris-amantium, & inprimis *Archiducis*, animi dolore, ſceleſtæ colluvionis *Uſcochorum* malitia, non modò nihil remittebat: ſed, ardore ſtudiôque, *Venetorum* querelas ulciſcendi, quotidie vires capiebat, intolerabiliores; & jam *Archiducis* etiam imperiis indomabiles. Verùm, *ut domeſtici doloris ſenſus plerumque remediorum exterorum de fide dubitat; nemóq; facilè, tam ſtudioſè plagam creditur alienam ſanare, quàm ſuam:* ità *Ferdinandus*, dum per omnia ſatis officio, ſatis conſcientiæ facere, conatur; *Venetæ* denique non ſatisfecit exſpectationi. (55) Luit igitur alienæ noxiæ contumaciam: & *Venetiæ* tandem, defungi tot tantísque malîs cupientes, hôc ipſo, quem exſequimur, annô ſaga ſumunt: dum arma, non tanquam adversùs *Ferdinandum*, ſed potiſſimùm in prædones *Uſcochos*, corripien-

pienda, de Senatûs ampliſſimi ſententiâ decernunt. (56)

XI. *Hiemis* igitur *fine*, ſatisque jam claſſibus apertô mari, ſupremus Adriæ thalaſsarchus, *Veniétus*, ad quærendos ac profligandos *Uſcóchos*, triremes armatas aliquot, & eximiæ velocitatis naves oblongas viginti quinque, propellit in altum. hoſtem, non magis fugat, quàm non reperit: à congreſſu videlicet, ac pugnâ, multitudine navigiorum abſterritum; & in nota ſibi latibula refugientem. At exercitûs, terrâ bellaturi, Prætor, *Pompejus Juſtinianus*, Adriæ ſiniſtri continentem, cum peditum equitúmque magnîs copiis, (57) ingreſsus: tanquam *Uſcóchos* etiam ipſe quæſiturus; & quidem illic, ubi tunc nec erant, nec unquam fortaſse fuerant, *Forojulii* continuò terras irrumpit. Illic ea, quæ juris ac poſseſſionis *Auſtriacorum* erant, quibúsq; locis præſidia deerant, invadit; ineunte jam *vere*, mitíque cœlô multùm expeditiones ejus adjuvante. Cujus rei tamen fama, nuntiíque, celeriter Styriam, & Auſtriam univerſam, complent. Nullâ morâ, pedeſtres equeſtrésque, quantæ per temporis anguſtias poterant, *Græcii*,

finitimîsq; locîs, copiæ coguntur. delectus, per omnes *Archiducis* terras, habentur acres, & ſeveri. *Viennæ* quoque, repreſsîs ſuſpenſísve conquæſtibus aliîs omnibus, præterquam *Ferdinandaîs*, (58) miles in Illyricum & Iſtriam conſcribitur: &, quidquid ad manum jam, & in armis erat, ſubmittitur.

Sed jam Pompejus Juſtinianus *Medéa*, quem vocant, *Montem*, inter Carram ac Verſam fluvios ſitum; jam loca, quæ *Palmam*, & *Gradiſcam* interjacebant, occupârat: omniáq; circùm, quæ jurisdictionis *Auſtriacæ* fuerant, terræ ſpatia, fœdè vaſtare diriperéque cœperat; ad reliqua quoque, quæ, Forojulienſis regionis intrà limites, ad *Archiducem* ſpectabant, nullâ dilatione transſulturus. At ruentem hoſtium impetum, ac vix cœptum fortunæ ſucceſsum, in tempore retardavit, exercitûs *Ferdinandæi* ductor, *Trautmanſtorffius*; magnum in armis, eâ tempeſtate, nomen. Is, nihil ad celeritatem ſibi reliqui faciens; è Styria, ſuperatîs Dravô, Savô, Liſontiôque fluminibus, per Cranorum Alpes, ac valles, in Forojulii fauces penetrat; contra Sinum Adriæ Tergeſtinum, à Boreæ plaga, ſitas. Indè *Gradiſca* (priuſquam

quam adventûs ſui vel fama, vel metus, ad *Pompejanos* perveniret) magnam ſecum, armatámque, defenſorum manum inducit: &, in hoſtem, per propugnacula machinas, ínque mœnibus propugnatores & arma, conſtituit. Ibi, *Venetorum* vim opperiri, dum majores ſuorùm copiæ conveniant, decernit. *Gradiſcam* interea, quantùm per tempus licebat, emúnit.

XII. Eſt autem *Gradiſca*, (59) Forojulienſis quidem terræ, ſed *Auſtriacæ poſſeſſionis*, arx & caſtellum, in primis firmum: quantumvis ignobili tenuíq; cæteroquin oppidô ſuccinctum. quam tamen obſcuritatem illuſtrat, è contrario, copioséque ſupplet, omnî telorum & *panopliæ* genere quàm inſtructiſſimum, *armamentarium*: ædificia quoque, noſtrâ patrûmque memoriâ, nec adeò pauca, nec inelegantia; (60) cum inclyta *pontificalis* cathedræ baſilicâ. Cæterùm, caſtellum id, ac *munitionem*, primi jam olim exſtruxerant, &, ſtato præſidiô firmatum, adversùs Turcarum incurſiones tamdiu tenuerant, *Veneti*; donec bellô, quod cum eis geſſit, *Maximilianus Primus* Imperator, hanc eis extorſit, annô ſæculi ſuperioris *undecimô*:

Anni Acta.

tantò rebus ſuis accommodatiorem, quantò *Goritiæ* magìs propinquam; à qua non ampliùs quinque millibus paſſuum abeſt: (61) opportuna propterea ferendis, quoties res exigit, & ab ea viciſſim accipiendis, ſuppetiis. Multùm præterea juvatur, & defenditur, *Gradiſca*, Liſontii fluminis allapſu; mœnia, Solis ad ortum pænè ſtringentis; &, ob id, acceſſum hoſtibus, eâ quoque parte, difficiliorem reddentis. Semper autem hujc munitioni *vir fortis, ac primariæ nobilitatis*, Archiducum auctoritate, præficitur. Ejus porrò generis, animíque, tutor arci nec tunc defuerat; etiam antequam Gradiſcam *Trautmanſtorffius* intraret: &, eruptionibus aliquot, excurſionibúsque, ſuam audaciam præacuentes ii, qui præſidium illic agitabant; præfecti ductu, fortunam tentârant: parvulìs interdum, nonnunquam autem & acrioribus, adversùm hoſtem, velitationibus dimicando. Neutri verò, cladis omnis ac vulnerum expertem, referebant pedem. Nec pro *Gradiſca* tamen ſtatim, aut his erat, aut illis, contentio.

Sed, ut primùm *Pompejanis* in caſtris auditum eſt, de *Trautmanſtorffio*, cum Styriacis

riacis copiis, in eam ingreſsu: motîs ſine morâ caſtrîs, ad *Gradiſcam* univerſus *Venetorum* equitatus peditatûſque feſtinat: &, tractîs ſecum *tormentîs* currilibus, formâ moléque prægrandibus, *ſedecim*, eò venit tertiò Nonas Martias. Ibi caſtra ſtatim, è regione caſtelli, metantur *Itali*: machinîſque bellicîs exoneratîs, *Germanos* attonant; & ab his, ex adverſo, paria ſalutationis officia recipiunt. Hæc oppugnationis defenſioníſque videri præludia poterant. Sed ad ipſam rei ſummam, omni contentione premendam, ſeriò mox acceſsum eſt: & à *Pompejanis*, ex omnibus tormentis *ſedecim*, aſſiduè fulminari cœptum; à *Trautmanſtorffianis* reſponderi perrectum. Nimirum, in ſpem utrique venerant; ſuîs pro Principibus bene gerendæ rei: dum alteri ſarcire veterem ignominiam, alteri retinere ſuperioris temporis gloriam, allaborant. Veniſse tempus demum, *Italici* clamabant, quo, centum & quinque jam annos detentam à Teutonibus Gradiſcam, olim ſuam, *Venetiæ* denuò facturæ ſint ſuam. Obveniſse facultatem ſibi ſummam, *Styriaci reſpondebant*; ante centum ac plures annos glorioſè parta, tamdiu poſtea retenta, præſcriptio-

ptionéque Juris ſolidata, ſigillô Martis victoris obſignandi.

XIII. Jactabantur hæc alternîs: & interea, *caſtra* foris, intus *Gradiſca*, malis útraque ſuîs, conflictabantur. Præterquam enim, quòd ii, qui caſtellum ac mœnia tenebant, baliſtîs & ipſi ſuîs eminus *Venetis* nocebant: dies nullus, aut opportunitas, intermittebatur; quâ non, in *Italica* caſtra miles *Auſtriacus* erumpens, crebras hoſti, memorabiléſque, clades inferret: interdum autem & ipſe, nec leves, acciperet, ac reportaret. In oppido verò, caſtellíque circuitu, mœnia tectáque lacerabantur; ædificia ſumptuoſa compluria convellebantur; præque cæteris, templum oppidi primarium vaſtabatur: omnia demum oppidanorum conſternatio, luctúsque mulierum, implebat. Nec tamen aut ad pacem, aut ad armorum languidiorem uſum, vel hujus partis animi, vel alterius, inflectebantur: ſed ad nova potiùs, quibus alteros alteri perditum irent, conſilia ſe vertebant.

Venetiis quoque, cùm in ampliſſimorum conſeſſu Patrum, hinc quidem Hiſpaniarum regis legatus, *Andreas Manriques*, Mediolanô miſ-

Digitized by Google

miſsus ; indè verò , Româ non multò pòſt expeditus à *Paulo* Quinto, *Nuncius Apoſtolicus*, concordiam inter Sereniſſimam Rempublicam illam , & Archiducem Ferdinandum , ſuaderent : nulla Pacis mentio valuit. Oratori namque Romano, magno pondere verborum ad diſceſſionem ab armis exhortanti , negatum eſt ; ullam concordiæ tractationem ſuſcipi cum eo poſse , qui prædones *Uſcóchos* è locis , è quibus illi ſe toties , ad clades Venetis inferendas , effudiſsent , necdum ejeciſset ; neque commeritas ab eis pœnas expetîſset. Iis autem expulsîs, & multatîs ; poſse. Legato verò Mediolanenſi , verbîs regis ſui denuntianti, NISI Forojulienſibus Ferdinandi ditionibus , ulterioribúsque cædibus, in poſterum temperaretur, ac, quidquid controverſiarum inter Archiducem & Sereniſſimam Remp. enatum eſset, id Principum Italicorum pacificæ cognitioni dijudicandum permitteretur ; Inſubriæ Prætori mandatam à Philippo rege tutelam eſse fortunarum Archiducis , & opem armatam : reſponſum ab Adriaticis idem eſt , quod priùs & Romano, *verbîs*: reſponſum *rebus*, ac *factîs*, arma retinendo. Cúmque , ſecundùm hæc, auſpi-

auſpiciîs regis, ac miſsu Proregis, miles Hiſpanienſis auxiliatum Ferdinando properaret; jámque finibus Venetis, ac Forojulienſibus, immineret: invicem exercitûs ſui florem eodem expediêre *Venetiæ*. Quo factum eſt; ut Pacis utrimque cogitationes intercidèrent: & atroci bello *Forojulium* innataret. Hujus autem belli narrationem reliquam ut reddamus apertiorem; res ipſa nos hortari videtur: utì, vel ſtrictim, regionis ejus ſitum, ac, præſens ad negotium attinentia, loca percurramus. Quæ tamen ipſa, tam licèt ſuccinctè percurſa, ſi cujpiam fortaſſis adhuc ſuperfluere videbuntur, & contrahenda, (ſicut & ſuperiora): monendus is erit, Excurſum hunc nequaquam exſpatiandi libidini, ſed planè *Neceſſitati*, dari. ne ſcilicet, loca complura, procurſu narrationis inferiùs reditura, crebriùs, ubinam ſita ſint, ſubingerenda lectori cum tædio ſint. Hîc proin' unà ſimul, quò ſingula pertineant, commonſtrantur.

XIV. FOROJULIENSIS igitur regio, quam hodie corruptè Germani *Friaulium*, Itali *Friulium*, Veneti *Patriam*, (62) appellant, longitudine ſuî, Solis occidentis à pla-

à plaga, procurrit in plagam Orientis: terminatúrque fluminibus, indè quidem Liventiô; qui, Caurum versùs, originem ſuam ex Alpibus habet: hinc verò, Liſontiô; qui de Carnorum montibus in Adriam ab Aquilone deſcendit, ac priſcis *Sontius* dictus erat. A meridiano cœli tractu, marî protegitur Adriaticô; quà verò Septentrionem reſpicit, collibus: qui, gradatim altiùs altiúsq; ſcandentes, ad extremum, in editiſſimos Juliarum Alpium montes (63) evadunt. Eorum igitur montium ambitu, velut amphitheatri pluſquam ſemicirculô vallata, regio, niſi marî venientibus, aut urbe Tarviſiô, viatoribus, cæteros difficiliores exhibet acceſsus, & ingreſsus. Et *Gradiſcam*, ab occaſu quoque, petituris, ſuperandæ non modò fauces, anguſtiæque tranſituum, ſed *Liſontii* quoque fluminis aquæ, ſunt; non ſemper, nec ubique, pontibus inſtratæ. Cæteri *Forojulii*, ſiqui petantur, aditus; ii ferè facti naturâ non ſunt: ſed manu, pedibus, opere, faciendi; vel in penetrandîs Alpium arctîs convallibus; vel excelſiſſimîs montium cacuminibus aſcenſu-vincendîs.

Ipſa *Forojulienſium* terra, longitudinis ſuæ lati-

Anni Acta.

latitudiníſque ſpatiô, ſexdecim, plus minùs, Alemannica continet milliaria: quòd eſt, expedito viatori, plus aliquantò, quàm bidui, ſub æquinoctii tempus, iter. Porrò verò, *Regionis hujus* naturâ, vulgò negant, quidquam vel benignius facilè; vel beatius, reperiri. Cœlùm, aurámque ſaluberrimam; planitiem, à mari cœptam, ad initia collium Aquilonarium expanſam; in magnam ſatis camporum latitudinem: in longitudinem autem, â Gradiſcæ Goritiæque ſuburbanis agris, ad Tarviſinas uſque portas; irrigua rivîs prata, læta gramine, floribus amœna, paſcuîs opîma; proptereáque pecoroſa: generis omnis fructuum fertiles hortos; frugum divites agros; vini generoſiſſimi feraces vites; ferarum, ac materiei, copiâ refertas ſylvas, & ſaltus; metallorum, marmoris, & pretioſorum lapidum, fœcundos montes. ut idcirco, non nequicquam, tam felicis ſoli poſſidendi cauſsâ, bellatum & olim crebrò fuerit; &, proavorum noſtrorum ætate, noſtrâq; noviſſimè memoriâ, reſumpta ſint arma.

XV. Cæterùm, regioni nomen univerſæ, *Forojulium* urbs impoſuit; aliter, & *Forum Julii*, divisîs vocabulis, pronuntiari ſueta.

Foro

Foro verò *Julio* primus (ut ferunt), & appellationis originem, & fundamentorum, à ſuopte nomine *Julius* dedit *Cæſar*: cùm illàc aliquot olim legiones, adversùs Germanos militaturas, in Galliam transrhenanam duceret. Oppidum hoc, editô locô ſitum, ad *Natiſónem* amnem, & à Maximiliani I. Cæſaris exercitu, Sæculi ſuperioris anno *nonô*, fruſtrà tentatum, Itali nunc (incertum, utrorum in gloriam?) *Civitále d' Auſtria* (64) nominant. Quantuscunque porrò locus hic aut olim fuerit, aut hodie ſuperſit; habet oppida præterea regio *Forojulienſis* alia; quorum haud pauca longè plus celebritatis obtinent: pléraque ditionis nunc, jurísque, *Venetorum*. Ex his, *Utinum* eſt (65); provinciæ totius, hac tempeſtate, caput & arx, ad *Torrem* (66) amnem. Urbs, etſi nondum inter munitiſſimas, ampla tamen, ac prænitida: civium facilè ſedecim millibus habitata: quinque milliarium ambitu ſpatioſa: rebúsque neceſſariîs univerſis, ad uſum ac delicias, abundans. Eam vicariâ poteſtate regunt, Venetiis eò miſſi, præſides; quos *Locumtenentes* appellant. Hæc ità ſe nunc quidem habent.

Anni Acta.

Priſcîs autem moribus, ac temporibus, omni Forojulio præſidebat *Aquilegia*, colonia Latinorum antiquiſſima: jam paſſim *Aquileja* cæteris, ac noſtris *Aglar*, dicta. quæ, tametſi nunc incolarum infrequens, & ad ſolitudinem quodammodo redacta; quondam tamen multîs *Utinîs* grandior; à muris, & propugnaculis, famoſior, atque firmior; à templorum majeſtate, venerabilior; à theatrorum, & omnis cæteri generis ædificiorum ſplendore, magnificentior erat. Ad ſummam; *Illyricarum* gentium *emporium*: mœnium ambitu, duodecim millia paſsuum amplectens foris; intus autem aliquando centum viginti millia civium numerans. denique, tantæ præ cæteris, trans Adriam, urbibus exiſtimationis; ut eam inter primas ſibi ſumeret Hunnorum rex *Attila* ſubigendam: tantæ fortitudinis, ac magnanimitatis; ut obſeſsa, *triennii* ſolidi penuriam alimentorum ferre mallet; quàm *Attilam* dominum: tam conſtantis erga Romam Imperiúmque fidei; priùs ut ſuorum *triginta ſeptem millium cædem*, urbísque captivitatem, incendium, excidiúmque, quàm deditionis ullas leges ſubiret.

Cæte

Digitized by Google

Cæterùm, earum, quas nunc memoravimus, urbium utrâque recentior, & *Aquilegiâ-veterum* haud paullò minor, ſed operis ingeniô, ſtructuræque ſolertiâ, mirabilior, NOVA PALMA; locum inter Aquilegiam & Utinum ferè medium obtinet. Hæc, Annô Sæculi ſuperioris nonageſimô tertiô, Paſchále-Ciconiâ Duce Venetiarum, ceu *propugnaculum Italiæ, Forojuliiq; cumprimis, atque Chriſtianæ religionis* munimentum, ædificari cœpta; *celeriter*, hoc eſt, *annô proximè ſequente*, jam tota, qualis ac quanta deſignata fuerat, ſtetit. (67) Locô ſita planô; tota quanta circularem eſt in ambitum exſtructa, paſsuum ſexcentorum diametrô. Novem cingitur firmiſſimis propugnaculìs: quæ, ſuîs ſingula *Cœlitum* nominibus inſignita, ducentis ipſa paſſibus inter ſe diſtant: ſuas quoque ſingula platéas, introrſum ad oppidi meditullium procurrentes, intuentur; latas, directas, æqualitérque diſtributas. Eadem eſt autem & *arearum* totidem, (id eſt, *novem*) ſeu fororum; éadem vicorum majorum ac minorum per univerſum, eúmq; quadripartitum, circuitum; éadem domuum, inſularum urbicarum, hor-

Anni Acta.

torum, ac puteorum, ordinatiſſima ſeries, & æquabilitas. Portæ verò, non plures tribus: foſsæ foris; aut una potiùs foſsa perpetua, *Palmam* cingens: lata, profunda, (68) largéque ſimùl undoſa. Mediam urbis, orbiculatè ſpatioſam, planitiem, ſtagnum occupat; rotundô muri cinctu ſeptum: & in ſtagni medio, rotunda pariter, ſaxeáque ſtat turris; in ſupremo ſuî pinnata. Surrexiſse porrò, primâ ſuî ſtructurâ, fertur hæc urbs, *ducenties millies millenûm coronatorum* impendiô: *centies* autem *millenûm annuô ſumptu* ſtare, conſervaríque: magnîs utique, ſed illi tamen, viribus opibúsque validiſſimæ, Reipublicæ nequaquam intolerabilibus expensîs. quippe, cujus in ærarium, è ſolo *ſua-poſseſſionis* Forojulio, *vicena quina ducatorum millia* quotannis intrare perhibeantur. (69) Eam porrò, quam attuli, redituum vectigaliúmq; ſummam, & præter hanc, proventus annuos quorundam urbis incolarum *Hierarchicorum*, non ſolæ conferunt, Udéna metropolis, Aquileja, Palmáque; cum obnoxiis ſibi ſuburbanis agrîs: ſed, cum ſubjectis ſibi finitimíſque caſtellis, municipiîs, ac pagîs; arcibus præterea mediterraneîs, portubúsq; mariti-

Digitized by Google

ritimîs, urbes aliæ complures, & oppida: quæ *Venetis* parent. Cujuſmodi præcipuè ſunt: Urbs, & caſtellum, à *Divo Daniele* nomen gerens; oppidum item, à *Divo Vito* dictum: quorum utraque quidem, caput ac dominum habent (ut & Aquileja) *patriarcham* Aquilegienſem; ipſe verò *Patriarcha*, ſedem *Venetiîs*. (70)

Præter hæc, *Cáprulæ*, nunc Caorlæ; *Gradus* quoque, cincta maris undîs, oppidà; quondámque reliquiarum Aquilegienſis excidii refugia, *Venetiarúmq;* (quis tunc id divinâſset?) origines, ac ſeminaria. *Gradus* autem, oppidulum & inſula, ſedes eſt, etiam ipſa, (ſicut Aquileja) *Patriarchæ*: qui, *Gradenſis* idem, ac *Venetus*, ſacrorum Princeps eſt: titulô quidem, *Gradenſis*; re verò, titulôque pariter, & habitatione, *Venetus*.

Poſt has, quas attigimus, urbes oppidáque, ſunt in Forojuliô, *Maránum* quoque; ſuprà *Gradum*, propiùs Occaſum, in inſula fluviali caſtellum: olim quidem, (71) auſpiciîs Maximiliani Cæſaris, captum à copiis Auſtriacis; non multò pòſt tamen à milite Veneto cum gloria receptum. *Tiſána* præterea, Tajamentum ad amnem ſita; *Concor-*

Anni Acta.

dia, *Portus Gruarius*, *Valvaſsóna*, ſecundùm *Lumènem* flumen; ut & Venzóna, *Venetæ ditionis*, ad Aquilonem, *terminus* ſupremus; *Auſtriacæ* verò principium. *Spilimbergum*, ad Goſæ rivi confluentes; opere ſitúq; firmiſſimum. *Savorgnánum* quoque, *Caſtellum-Novum*, *Colorédum*, *Soſſinbergum*, *Triceſimum*, *Oſoppum*, Alpeſtre caſtellum: &, ultra Liſontium fluvium, Ortum versùs, *Mons Falconis*; inſigne cumprimis, & opulentum, oppidum: cum aliis compluribus, minùs celebratîs; ipsôque, de quo dictum ſuperiùs eſt, *Forojuliâ*: quod ſuum omni regioni cæteræ nomen dedit.

XVI. Hæc *Venetæ* poſseſſionis, in Forojulienſi terra, loca ſunt. *Auſtriacorum* autem *Archiducum*, Tergeſtum; ſeu Forojulienſium iſtud, ſeu finium Iſtricorum, ſit: Caſtellum item *Duinum*; oppidum *Divi Caſſiani*; quódque ſcriptor recentior (72) opinatur, *Portia* quoque; cum oppidis caſtellîsque nonnullîs aliis. Quibus omnibus dignitate famâque præeminent, *Gradiſca* partim, de qua memoravi ſuperiùs, & mox inferiùs plura memorabo: partim autem, & magìs, *Goritia*, tum *urbs*, tum *Comitatus*, urbi cognominis.

Eſt

Eſt autem urbs *Goritia*, quæ dynaſtiæ totius primas tenet, *Antiquitatis* (ut è ſaxis appáret) *opus*; ſitu tamen ac manu factam firmitatem, hac adhuc tempeſtate retinens: ſuperiore præſertim ſuî parte. Nam *bipartita*; locô quidem editiore, munitiſſimam extollit arcem, validô cumprimis præſidiô ſemper inſideri ſolitam: & à *Venetis* olim, (73) bellô *Maximilianaô*, fruſtrà pæne captam; quippe, poſterô mox annô, Cæſareanorum virtute, recuperatam. Infrà caſtellum autem, inferior Goritiæ pars, & urbs, ampliore diffuſa ſpatiô: tametſi neque noctibus clauſa, nec interdiu tranſituris invia; ſpeciem tamen ac dignitatem urbis reliquam omnem egregiè tuetur: opulens, & ædificiorum, tum profanorum elegantiâ, tum ſacrorum auctoritate, ſpectabilis. Eſt enim ibi curia provincialis; eſt prætoria domus; & in ea, provinciæ præfectus militaris: aliæ primorum, & frequentis nobilitatis, ædes conſpicuæ. Religioſarum autem ſedium ſunt; Cœnobium, Divi Franciſci ſectatorum, *obſervantiæ* rigidioris unum: Capuccinorum alterum: Ordinis militiæ Teutonicorum equitum, Domus una; Collegiúmque Socie-

Anni Actat.

tatis JESU: linguarum pariter, ac morum, expolitioni ſerviens. Cujus utriuſque pretium eſt operæ, non pœnitendum: ut, hîs inſtituta ſtudiîs, præcipuè juventus, & vivere Chriſtianè diſcat; & loqui, Latinè Græcéque potiùs, quàm, pro *Salavonico* (qui commodùm illic exſpirat) ſermone, miſtam aliam, è ſemi-romanis, ſemíque Gallicanis vocibus, orationem invehere. De *Goritia* ſunt hæc *Urbe* dicta.

Goritia verò *Comitatus*, non è vulgo, ſed, ut à ſcriptoribus cognominatur, *Principalis* (74), (quippe, qui ſuos antiquitus *Principes* habere ſolitus eſset, (75) ſub Archiducibus Auſtriæ conſtitutos;) nonnullis *Julii Cárnici* vetus fuiſse ſedes, & ditio, creditur. Ea, (ſiqua Carolo Stephano fides, è Ptolemæo,) Septentrionem versùs, Dravô flumine terminabatur: ab Auſtro verò, ſeu potiùs Zephyrónotô, limitibus Forojulianîs. Solum habet, pecori, frugibúsque, paſſim bonum: vinique præſertim, & copioſi ferax, & præſtantiſſimi. Sub *Forojulienſis* tamen (ut diximus) *regionis* appellationem, & hic terræ tractus intrat. reditus autem, ac jus poſseſſionis, ad *Archiduces*; & juriſdictio, judiciáq; decre-

decretoria, Græcienſis ad curiæ tribunal, ſpectant: quò fas eſt, & *provocare.* (76) Sed tempus, ac res, ad caſtra nos, & arma, revocant: quæ relicta *Gradiſcæ* ſunt.

XVII. Hanc *Pompejus Juſtinianus*, Adriaticarum (ut diximus) copiarum imperator, non arctè ſolùm obſidére, ſed & acriter oppugnare, tormentorum indefeſsâ jaculatione, perſeverabat. Caſtrorum quoque, propiùs, ac circùm mœnia, ſpatium, orbe quotidie pleniore creſcebat. quæ proinde molitiones priuſquam *Gradiſcam*, penitùs circumvallatam, ex omnibus partibus includerent, ac paullatim pabulatione *Styros*, & ſubvectione commeatûs, intercluderent: *Trautmansdorffius*, trans amnis Liſontii ſiniſtram ripam, locum inprimis editum anteoccupans; eum munitione validiſſimâ ſuperinſtructâ firmavit: & loricâ cinctum, inſedit. Cúmque militem illic, numerô ſufficientem, ſed virtute præſtantiorem, impoſuiſset: eâ providentiâ, tum rem ſibi frumentariam expedivit; & rerum cæterarum, bello ducendo neceſsariarum, importationibus è *Carniola*, vias patefecit: ac ſummatim, audacis facti conſiliô necopinô, *Venetum* exterruiſse viſus eſt.

Anni Acta.

eſt. Eo tamen, (ſiquis fuerat,) *metu*, ſeu victô, ſeu diſſimulatô, *Pompejani* magnam in ſpem veniebant, alio locô bene gerendæ rei; cornutámque, quæ pro *Gradiſcæ* fronte ſtabat, munitionem capiendi, *dimidiatæ Lunæ* figurâ ſinuoſam. In eam, tormenta caſtrenſia librabantur univerſa; continuâq; pilarum ingentium excuſſione, quatefieri visâ mole; conceperant impetum oppugnatores. Venitur ad incurſum: applicantur ſcalæ; tentatur aſcenſus; &, ſicubi labefacta ſaxa ſinebant, injectio manuum, & eniſus. Jámque cominus fieri pugna, dextrîs, ferrô, propulſibus; hîs irrumpere conantibus, illîs verò detrudentibus: multô denique ſanguine, laceratione, cæde corporum, alterîs in alteros ſævientibus: donec poſtremò, *Styrîs* manu locôque liquidò ſuperioribus, alteros irruptionis deſperatio fatigaret; &, (utriuſque licèt partis magnâ, parîq; ferè, clade,) *Pompejani* terga dare compellerentur.

Cùm autem permirum his accideret, Quânam obſeſſi tantâ fiduciâ nitentes, numerô propugnatorum, (ut fama ferret,) multùm inferiore, tam magnis *Venetorum*, ac tam animoſis copiis, invicti reſiſterent, &, númqui-

quibus novîs firmati ſubſidiis, audaciam veterem intendiſsent, inter ſeſe diſquirerent: è *Styriacis*, quos fortè, dimicationis inter æſtum captos, in caſtra ſecum abſtraxerant, cognoſcunt; Propugnatores *Gradiſcæ*, nec numerô paullatim, nec annonâ, nitratíque pulveris copiâ, multô minùs verò recentibus auxiliîs, abundare. *ſpem* autem horum omnium, obſeſſis áffatim ſupereſse: virósq; , præter hæc, in præſidio verſari, tametſi non plures *octingentîs*; Germanorum tamen florem, & in armis exercitatiſſimos: animîs autem ad propugnandi conſtantiam ità comparatos; ut, ſacramentô firmatâ fide, conjurârint: Nec *obſidentibus* priùs Gradiſcam, nec *octingentis obſeſſis* animam corpore, ceſſuram; quàm, Venetorum *octo millium* occidione, fata funeribus conditorium præparâſsent.

Neque tamen hæc enuntiatio, *Pompejanorum* imminuit alacritatem: ſed eos ab apertâ vi, clandeſtinas ad molitiones, avocavit. Subterraneîs enim foſſionibus egeſtâ continenter humô; vel ſubrepere caſtello, vel ruinam ei flammîs inferre, machinati; non interdiu laborem, non nocturnis horîs, inter-

intermittebant: ut cuniculi doloſîs, ſeu viîs, ſeu farturîs, *Germanorum* jactas in ſe minas difflarent. Sed non fefellêre conatus hi, vigilacem ad omnia, caſtellanorum ſollertiam, & indaginem: quâ deprehenſos Adriaticorum conatuum dolos, obviîs exadversùm ſuffoſſionibus profligabant; &, à latebroſis artibus hoſtem retroactum, in lucem denuò, vímque manifeſtam, retrahebant.

Improſperîs itaque, tum hîs, tum aliorum generum, ſucceſſibus iracundiores effecti *Pompejani*; reſumere munitionis, quam reliquerant, oppugnationem inſtituunt: &, alios alii cohortantes, aut perfringere propugnacula, conjurant; aut, pro gloria Reipublicæ, vitam projicere. Rurſus igitur, & pilîs tormentariîs prægrandibus aſſiduò *Gradiſca* verberatur: & ab hac, caſtra reverberantur. Rurſus caſtelli munimenta, mœnia, propugnaculum, incurritur, aſſilitur, arietatur: ab obſeſſis, munitiones defenduntur; aſsultus omnes retunduntur; hoſtes, eruptione factâ, vertuntur in fugam. Hæc quotidie, veris jejunô tempore, *Venetísq;* talium cæteroquin inſuetis, accidebant. Illi repellebant; & iſti retrocedebant: utì nunquam utro-

Digitized by Google

utrorumque ſinè ſanguine; ſic, (in ſumma,) non citra notabilem *Adriaticorum* cladem. Ut proinde, de certaminibus his, (etſi multîs alioqui narrationum ſuarum locîs fluxæ fidei, *ſcriptor) Cimbricus*, veritatis hîc tamen adactus vî, tradiderit, hîs ipſis, quæ pono, verbis; GRADISCAM ADVERSUS VENETOS MASCULE DEFENSAM A TRAUTMANSDORFIO fuiſse. (77)

XVIII. Sub hæc itaque *Pompejus Juſtinianus*, tot continuîs acceptîs incommodis permotus; ſimùl autem, & ſuorum perculſos animos, nonnihil morâ reſpirationéque confirmandos eſse, ratus, dum, recentibus interim ſubſidiîs advocatîs, legiones ac turmæ ſupplerentur: miſsô, ſub exeuntem Martium, (78) in arcem caduceatore, ſuper mutuis exigui temporis induciîs *Trautmanſtorfium* interpellat. Has autem eô, quasvis in conditiones, reſpuente; *Pompejus* poſterô ſummô diluculô pro caſtris peditatum omnem, equitatúmque ſuum, producens; aciem inſtructam *Gradiſcanorum* in conſpectu conſtituit: ſi fortè copiolas obſeſsas illas, ad dimicationem, adversùs tantum *Adriaticorum* poſset exercitum prolicere.

Sed

Anni Acta.

Sed, non *cautus* minùs, quàm *animoſus*, Trautmansdorffius, quíque nôſset, in tempore, locôque, repugnare laceſsentibus; pugnare verò, niſi compendiô, rationibus ſuis opportunô, non ſoleret: ſuos ab eruptione continuit. Igitur, fruſtra longiorem tracturus oſtentando moram, ubi ſpes pugnæ non major, quàm induciarum, appareret: mutare locum inauſpicatum *Pompejus* aliô, minùs adverſô locô, conſtituit: obſidionémque, ſuis adeò damnoſam, relinquere. Quod autem aliquantò jam antè ſecum cogitationibus agitârat; ſi, nec ab armis interquieſcere, nec hoſtium in apertô potiri campô, contingeret: id ille *factô* mox repræſentavit; vaſísque conclamatîs, ſub ipſum meridiem caſtrîs ſimul, & *Gradiſca* limitibus, exceſſit. Ibat autem raptim agmen: &, equitatûs feſtinatione perſultata terra, fragore densô fugam prodebat. Tunc ergò, cùm jam nullâ dolosâ ſimulatione, ſed omnî ſtudio contentionéque, dare terga *Pompejani* cernerentur; diductîs *Trautmansdorffius* quoque portîs, raptâque ſecum expeditiſſimorum manu, caſtellô prorumpens; fugientes inſequitur: ac, noviſſimum aſsecutus agmen, dum illic impe-

impedimentîs ſe ſperat, & præcipuè tormentîs illis *Venetorum* æneîs, potiturum, unde tam crebra nuper detrimenta ceperat: nihil horum ipſe, nec in via tunc, nec in caſtris deinde, cepit; poſtquam in ea, jam procul è conſpectu *Pompejanis* ablatîs, divertit. Non enim inconſiderantior Trautmansdorffiô *Juſtinianus*; cùm, è negatîs induciis, & fortaſse pugnam quoque detrectaturis *Styris*, facilem duceret, de diſcedendi neceſſitate, conjecturam: nocte pridianâ per ſilentium machinas jaculatorias grandes ad unam omnes eò curârat avehendas, quò mox ipſe deſtinârat exercitum deportare; ſi ſpe meliorum penitùs excidiſset. In acie ſtantem interea militem detinere, decreverat, vanam ſaltem ad ſpeciem offerendæ Styris pugnæ: dum ſpatium daretur tormentis bellicis, procùl, & per otium, amovendis.

Dejectus igitur exſpectatione ſpoliorum *Trautmansdorffius*, hoſte tamen ad tempus rejectô lætus, ad ſuos revertitur; invicem obſidionis laxamentô lætantes. Verùm, reſpirationis intervallum iſtud, nec ductor ipſe ſuum vertit in otium; nec in ſuorum ullam verti permiſit ſupervacuam indulgentiam.

Quod

Quod is fecit, ſeveritate laudabili; nec ex aliorum ſubinde belli-prætorum more, præſidiorúmque ſolutiore diſciplinâ: quâ fit, ut depulsô, ſeu verè, ſeu per inſidias, periculô, dux æquè miléſque, nullô redituri poſt paullum hoſtis metu, ſeſe vino, comeſſationibus, aliiſq; pravis ſtudiis, permittant: immemores, *Ignaviam caſtrenſem, quandam eſſe fortunæ malaciam; quæ nullâ re magìs navigationi, quàm deſidiâ ventorum, inſidiatur.* Hæc, aliáque talia, reputans animô *Trautmansdorffius*; & ipſe verſari ſemper in belli cogitationibus; & ad opera, caſtello tutando neceſſaria, militem adigere: tormentorum ictibus lacerata, reficere; collapſa reſtituere: valla reparare: dilabentes aggeres integrare: loricas disjectas reponere: muros, turréſque ſolidare: munimenta *priſtina* firmare; *nováq;* paſſim interponere: quippe, quorum materiem abunde præberent caſtrorum, à *Venetis* deſertorum, reliquiæ. (***) quas proinde providentiùs *Pompejani*, flammîs priùs injectîs, corrupiſſent; ſi per tempus, & fugæ ſtudium, licuiſſet, ac vacâſſet.

Hâc *Styrorum* igitur impigritate, factum celeriter eſt, ut *Gradiſca* faciem haud paullò melio-

meliorem reciperet, quàm, qualem ei, proximô Martii Martíſque tempore, damnorum ſqualor induxerat. qui ſqualor quantus eſſet; è ruinis paſſim ruderibúsque, murorum item ac domiciliorum hiatibus, eluxit. Idipſum è vaſti quoque ponderis, tot plumbeîs, aliorúmque generum, ſphæris, continenter immiſsîs, & ſæpiſſime non indemnibus, patuit; utpote, quarum, poſt ſolutam obſidionem, *octies mille* repertæ numeratæq; ſint. (79) Invenio quoque, qui tradat; Per eam, quâ tentata concuſsáque *Gradiſca* ſit, occaſionem, è tanta, quantam ſuperiùs indicavimus, viciniâ, frequenter è tormentis illis currilibus impetitam eminus etiam *Goritiam* urbem; & id in voto *Venetis*, exſpectationéq; fuiſse, caſtellô præſertim potiendi, perditámque quondam poſseſſionem recuperandi: ſi baliſtarum immanium illarum furor, quantùm *terram aërémq;* concuſſit, tantopere quoque propugnantium *corda* tremefeciſset. At, hîs imperterritîs, ac *Goritiæ* munimentîs impenetrabilibus; *Adriaticos* demum, re prorſus infectâ, receſſiſse conſtat: (80) quantum è *Gradiſca*, tantùm è *Goritiæ* finibus, atque conſpectu.

XIX. Verùm, hâc alterarum ab alteris partium diſparatione (81) mutuâ, non ideò quietiores (*Pompejanis* præſertim,) eſse res potuêre: qui ſe tamen, utì ſibi videbantur, in pacatiora reduxerant. Ne pace quietéq; fruerentur ullâ; *Trautmansdorffii* factum eſt, *agendi ſemper aliquid, aviditate*: quâ, cœptô ſemel bellandi negotiô, remiſsum in armis nihil eſse patiebatur; ſed hoſti, quoties is videri deſierat, ultro ſe priórque videndum offerebat. Per *Aprilem* igitur, non *Gradiſcâ* tantùm induſtriè permunitâ, ſicut dictum paullò ſuperiùs eſt, ſed præſidiô quoque luſtratô, recentibúsque ſupplementîs auctô; die *Maji duodecimô* copias ſuas, ad dimicandum promptiſſimas, eduxit: & in campis ad *Luciniſæam* conſtituit. Is locus eſt, inter *Verſam* rivum, & amnem *Liſontium*, ſuprà *Gradiſcam*; aliquantò tamen ab hac, quàm *Gortiâ*, remotior. Ibi miles *Germanus* inſtructâ ſtabat acie; militem *Italum*, haud ità procùl indè caſtris ſe tenentem, tubîs, ac tympanis, & ſæpe quoque vocibus, laceſsens. Sed videlicet, & *Adriatici* tunc, nôrant ex ſua, quàm hoſtium opportunitate prœliari malle: vicémq; *Gradiſca*

diſcanis reddituri, qui nuper & inducias, & certamen abnuerant; ad ſtandi ſatietatem eos interdiu, (cùm ad pugnandum nemo procederet,) & veſperì demum, rebus infectìs, ad abitum maturandum, adegerunt; cùm, ab inſecuturis inſidias, aut vim, metuendi, cauſſas graves haberent. Pugnæ nihilominus juſtæ plenæque clades, utrimque, citra controverſiam explevêre, velitares quotidie dimicationes; & equeſtria, non ſinè manipularibus expeditìs intermiſtìs, prœlia; parvula quidem, ut plurimùm, initiò; ſed cum tempore ſenſim increſcentia. *Multa* porrò *parva, ſed ferrô cædibúsq; geſta, contentiones*, *unam* tandem *æquant ingentem* aliquam *cladem: & ſingulorum crebra neces, univerſum truncant exercitum*; non ſemper ex facili reparabilem.

At hæc, etſi (quod diximus) *indies*, Venetos inter Auſtriacósque, fiebant; nec unquam vel incruentè, vel infuneſtè: mirum tamen, quo modô nunquam deficerent; multitudine cædentium, & cadentium, tanquam ex Cadméo quopiam (ut eſt in fabulis) agrô, redintegratâ? Sed nimirum, ſua ſemper, & *Trautmansdorffianis* ſupplementa, Car-

ni, Carinthii, Styri, Viennáque, (82) ſubmittebant: & *Adriatici*, præter proſcriptos ac captivos, (quos, ergaſtulîs exilióque ſolutos, undique ſub ſigna compoſuerant,) *Achmetis* præterea, Turcarum Imperatoris, bonâ veniâ, liberè poterant, quoſcunque degentes ſub ejus imperio Chriſtianos evocâſſent, ac militiæ reperiſſent idoneos, conſcribere. Copiam porrò, delectûs hujus habendi, Reipublicæ Venetæ *Turca* fecerat: quia cauſa belli, propter *Uſcochórum* prædandi licentiam ſuſcepti, *communis* utriſque (ſicut alibi dictum eſt) erat: (83) nemóque, reor, bonus, ac pius, id vitio Venetis tunc vertebat; ab Otomannida rege *ſic* juvari: cùm præſertim, non *Religionis* id, ſed *Regionis* duntaxat, bellum eſſet.

XX. Quòd igitur partis utriuſque ſupplementorum, ac ſuppetiarum, affluxu tantô res gereretur; mirum eſſe non debebat, *Inexhauſti* propemodum *militis* ambarum gentium fuiſſe caſtra. Sed interim (vulgatiſſimô bellorum plerorumque vitiô) multitudine ſuorum, ac viribus, neutri ſatìs moderanter, & è memoria *parſimoniæ Chriſtiani ſanguinis*, utebantur. Non *Auſtriaci*; quibus

Digitized by Google

bus multus ex *inhumanioris genii terris*, id eſt, Sclavonicis Liburnicîsque, miles: & Archiducis ſui, tanquam *numinis* alicujus, ulciſcendi ſtudium animô fixum ſedebat. Nec *Adriatici*: quippe, quorum in oculis, & cadavera, recèns ad *Gradiſcam* amiſsorum, (84) commilitonum; & ingentia, nec adhuc in eum uſque diem ceſsantia, per *Uſcóchos* illata damna, verſarentur.

Styriacorum igitur, & equitatus, & immiſtus huic pedes, aliàs quidem, ad urbis *Palmæ* propemodum portas, (85) duceni numerô, prædabantur. aliàs, & treceni ſimùl, & in interiora *Forojulii* penetrantes, infeſtum habebant omne, quod in manus eorum, & oculos, incidebat; capiendo, depopulando, flammîs ac cædibus evaſtando. Malum verò publicum augebat, immanè quantùm, *Zengæ* quoque, (ſub cujus ſignis erant & Uſcóchi,) *prætor*: qui, raptim aſsumptâ prædatoriâ ſuorum multitudine, *Parenzium*, Iſtrorum maritimum (de quo dictum ſuperiùs eſt) oppidum, irrumpens, & hoc, & loca pleraque finitima, direptionibus exhauriebat; incendiîs item, & omnî vaſtitate, deſolabat: luctu, lamentîs, fugâ civium, & exciſam

urbem, & omnia circumquaque loca, latè complebat.

Invicem autem, per æſtivos omnes autumníque menſes, *Adriatici*, tam in Iſtria, quàm Forojulio, circúmque Goritiam, quotidianas & concertationes cum Styris, & cædes, alternabant. unde plurimum utrimque ſanguinis atque ſtragis ſequebatur: ac *Pompejus* ipſe *Juſtinianus* in caſtris demum occubuit; plumbeâ trajectus Auſtrii jaculatoris pilâ. Dum autem hæc in caſtris fiunt; *Zorſius*, (86) equitatui pro Venetis in Iſtria præfectus, Italicorum tam peditum, quàm equitum, eductâ magnâ manu, *Líndaram* capit; caſtellum firmum, infra *Pisínum Novum*, ad lævam amnis *Quieti* ſitum. dèin, & *Sómari*, *Seherſaníq;*, ſuburbana pomœria, non ſine locuplete prædâ, ſed & cum *trecentorum* incolarum internecione, populatur. Quibus rebus accidèbat, ut & in Iſtria fierent, & in Forojulio, perpetuæ civium, agríque cultorum, emigrationes: &, in ſuorum cujuſque popularium caſtra, fugæ; quiritantium, ac deplorantium, fortunarum ſuarum everſas res, ac ſpes; deſertas in cinere ruderibúsq; ſedes patrias; in inopia, captivi-

ptivitatéque, liberos, & conjuges, ac proximas neceſſitudines alias, relictas. Qui cuncti, cum lacrymis, quantùm ſuorum gentilium implorabant opem, tantùm exterorum deteſtabantur atrocitatem: quémq; *gladiô* nequiverant præſentem, eum in abſentia *maledictis* trucidabant, hoſtem; Adriaticus Germanum, & Germanus Adriaticum.

XXI. Auctæ verò, proceſsu temporis, haud ſopitæ, communes utriſque, lamentationes ſunt, tantùm, quantùm utrobiq; belli mala: poſteaquam, & hinc, è vivis (ut retuli) ſublato *Pompejo*, Novembríq; mediô (87) Venetiis magnificè (88) funerato, ſuffectus in caſtris eſt, *coronatorum duodecim millium* annuô præmiô conductus, *Joannes Medices*: & illic *Trautmansdorffio*, vel ſuperinductus ab Archiduce, vel appoſitus, *Comes Tampiegrius*, acer bellô vir, cum magnis ſub ſe copiis, in caſtra Styriorum, ad *Goritiam*, advénit. Indè namque mox, non quies major, armorúmve remiſſio, ſed, quantæ vix antehac, *Auſtriorum* cum *Italis* aſſiduæ congreſſiones; & intertrimenta partium: donec ad aciem denique, prœliíque ſummam, proceſsum eſt.

Initium rei factum, à *Tampierio* : qui, die *Novembris undevigeſimô*, ſub primam noctis exactam vigiliam, ſuis omnibus, ut ad expeditionem nocturnam quàm celerrimè ſeſe compararent, indixit : & ut, expediti ſtantes, ſê motûs initium faciente, confeſtim & ipſi ſequerentur, imperavit. Ipſe, de tertia ferè cœptâ vigiliâ, cum copiis omnibus, & *Hejduccorum* equitatu, *Liſontium* amnem, ad *Gradiſcam*, transmittit : &, itinerum ducibus aſſumptîs, è caſtello *Gradiſca*, triginta ferentariîs, occaſionum omnium, calliúmque, ſcientiſſimîs ; inter *Verſam*, ac *Liſontium* amnes, ſilentiô maximô ſpatia locorum media penetrat : &, adhuc ante diluculi viciniam, ad *Romanſium*, locum, inter *Violexiam* & *Fratum* induſtriè (quantùm incolæ ſibi perſuaſerant) communitum, venit. Eum *Tampierius* locum, nihil cunctatus, adóritur, clamore militum inexſpectatô. tum, tubarum, tympanorum, equorúmque fremitu tumultúque, catapultarum quoque fragore, murorum concuſſione, globorúmque plumbeorum aſſiduô volatu, Venetos perterret.

Tenebant autem eo tempore *Romanſium*, hibernandi cauſsâ, *Dux Mutinæ*, quæſtór-

ſtórque Venetórum caſtrenſis; cum præſidio militari, non aſpernandô. Nova res illis, &, tanquam adhuc ſemiſopitis, monſtri ſimilis; ut, quibus hoſtis in vicino, per dies illos, nec viſus ullus, nec auditus eſset. Munimentorum tamen aggerûmque fiduciâ ſe ſolabantur. Sed oppugnationem interea *Tampierius* adurgebat; & miles, infeſtus æquè, prædæque cupidus, muros quatiebat, aggeres inſcendebat, vallum revellebat. *Romanſiáni* contrà, manu, ferrô, ſaxîs, ac glandibus, irrupturos arcére; munitiones tutari; vî vim repellere. nec in longum tamen. Nam, poſt paullum, *Tampierius*, ſuorum incitator, & *Hejduccorum* indomitus ardor, omnia perrupêre; municipiôq; potitus eques *Ungaricus*, nullo diſcrimine, quidquid vivum intus reperit, mori coëgit. à qua ſuprema neceſſitate cùm *Mutinenſis* quoque *Dux*, & contubernalis *Quæſtor*, minimô minùs abeſſent; fugâ tamen gladios *Hejduccorum* eluſerunt.

XXII. Hîs autem, ad animi votum, à *Tampierio* geſtîs, accidit; ut ei poſterus ſtatim dies majôris pugnæ, *quæq; victoriam ſequitur, gloriæ*, campum caſus oſtenderet;

&, ſi perſequi vellet, in manum daret. Is caſus verò fuit, quem ſubjungo.

Sua *Veneti* caſtra, poſt *Pompeji Juſtiniani* deceſsum, è *Goritiæ* tractu, tanquam fortunis ſuis malevolo funeſtôque, *Marianum* (ſic appellatum Alemannico ſcriptori locum, ſupra Gradenſem Adriam, Boream versùs ſitum,) transtulerant. (89) In hæc ergò, quæ dixi caſtra, recèns Juſtiniano ſuffectus exercitûs imperator, *Joannes Medices*, viceſimô Novembris die veniens; ingentî *Venetorum*, latéque-vocalî lætitiâ, ſimul autem & feſtô tubarum omnium concentu, balliſtarum majorum inter fragores, exceptus erat. Qui continuò, manibus & oculîs in opus ſuum intentus, foris intúsque caſtrorum omnem obivit ſitum. valla, foſsas, aggerem, & munitiones, diſpexit: militémque multâ cohortatione futuris certaminibus præparare contendit. Non fefellit *Tampierii*, Teutonicorúmque caſtrorum (etſi longiùs aliquantò diſtantium) aures, clara caſtrorum hoſtilium exultatio; tormentorúmque bellicorum exploſiones. Ac ſimul, præter hæc, *Medicæi* Ducis, inter ſingula luſtranda, præmeditationes, ſpatium adverſariis conceſserant, oppor-

opportunitatémque, gerendæ rei. Conclamant Téutones; *Ecquid ceſſamus? quippeni nos quoque, novi Venetorum imperatoris in adventum effundimur? eúmq;, tantâ gratulatione ſalutatum à ſuis, etiam ipſi ponderoſioribus antiphónis excipimus?* Dicta rebus, & res dictis, concordabant.

E caſtris igitur equitatus omnis erumpit: ac, ſuperatìs *Liſontiô*, *Zumiélo*, *Zuceſſóque*, fluminibus, ad *Adriatica* caſtrà, cunctis incogitantibus, penetrant. Clamant; *Adeſſe ſe, Magni-Ducis-Hetruriæ propinquos ſalutatum. Si ſint, quibus reſalutandi, cor & audacia ſit; ſanè prodirent! praſtò Germanos eſſe, ſi dimicandi mens Italis ſupereſſet.* Hæc illis dicentibus; mora (quod ſtupeas) per *Médicem* Italósq; nulla fit, adversùs hoſtem, quantumlibet inexſpectatum. Evolat caſtrìs equitatus *Venetorum* univerſus. alæ, turmæ, decuriæ *Medicæa*, decuriis, turmis, alis *Tampierianis* concurrunt. fit acris ardénsque primò pugna: póſt paullò, prœlium quoque, cruentum, ac pertinax. dúmq; diu ferè neutri quidquam alteris concedunt; in ancipiti videbantur ſtrages, ac victoria, futuræ. Noviſſimè tamen, more procellæ *Germanis* irruen-

ruentibus, & *Hejduccis* furioſè ſuperingruentibus; fatiſcentes *Adriatici*, retrocedunt: ac, magnâ ſuorum amiſsâ multitudine, palmam *Auſtriacis* (incolumibus tamen ſuorum legionibus, & caſtrîs,) relinquunt. (90)

Sed interim eaipſa, quam retuli, *victoriæ jactura*, non tam, è calamitate, detrimentôque captô, conſternationis occaſio, quàm è conatu tam animoſo, (licèt deceptô,) *virtutis aculeus Italicis in futura fuit*. Colligíque jam tunc, è tentato tam acriter ſucceſsu ſecundiore, potuit; verè de temporis hujus bello dictum à nonnemine, geſtorum Forojulienſium compoſitore, fuiſse (91): *Joannis Bembi, Venetiarum Ducis* (nam is tum erat, qui *Leonardo-Donati* ſucceſserat) *principatu, Venetis ſub Auſtriaci belli principia, nec animos, neque legiones, ſed Equitatum duntaxat, adverſariorum equitatui parem, gerendiq; belli peritos adminiſtros, defuiſse*.

XXIII. Sed, è diverſo, ſub hoc ipſum ferè tempus, Germano militi, *rebus bene gerendis maximè neceſsaria, Sobrietas* defuit; & eorum intemperantia, contra ſe, pro *Venetis* pugnavit; hâc, quam referam, ſerie rerum, & eventu.

Suprà

Digitized by Google

Suprà *Venzónam*, (quam, in ſuperioribus Forojulii deſcriptionibus, dixi, *finem* eſse terminúmque *Venetæ* poſseſſionis; ac principium *Auſtriacæ* ditionis, continuò ſecundùm eam, in *Carinthiam* inchoari,) locus eſt, Alpinarum faucium clauſtrum perquam munitum: cuj *Pontafellæ* nomen (92) ex eo; quòd è regione Pontebaſſi, *Fellam* amnem adjacentis, *Pontafella* (93) ſiniſtram adjaceat fluminis cujuſdam minoris, in *Fellam* mox illabentis; & ideò, non diverſi fortaſſis à *Fella* nominis. Ibi *Pons* eſt geminus; qui, Venzonâ Villáchum Carinthiacum, Dravíque tranſitum, petituris, transmittendus eſt; infra *Malborgettum*, ac *Parvum* (quod appellant) *Tarviſium*. *Pontebaſsæus*, inquam, & *Pontafellæus*: qui nomine tamen, ambobus communî, *Pontafellarum clauſtra* Latomo dicuntur: quòd ad *Fellam* ambo ſtructa ſint. Is porrò locus, ſitus eſt inter arcta montium, utrimque *Pontebaſsum*, ac *Pontafellam*, ab occaſu cingentium, & ortu; Boream verò verſùs, prorſus includentium. His tum ergo locorum anguſtiis occupandis intenti *Veneti*, quibus ſuam in poteſtatem redactîs, auxilia Carinthiorum, & Auſtriaca cætera, poſthac ab

ab Iſtria Forojulióque Ferdinandææ ditionis abſcinderent ; *Pontafellam* quà vi, quà dolîs, affectabant.

Non latuerunt autem *Auſtriacos* hæc eorum conſilia : quibus idcirco curæ fuit, miſsîs eò maturè validæ ſelectæque manûs ſubſidiîs, locum firmare ; Venetóſque faucium ingreſsu prohibere. Fiebant interim, & ab his, excurſiones in loca, *Pontafellæ* propinqua, non infrequentes ; quibus aditum tentabant : & ab alteris eruptiones, in eorum catervas & ſtativa ; non ſinè velitationibus interdum, obviâq; prædâ. Spoliorum porrò, quæ, præter aliquantum auri, pecoris, olei, pannique precioſi, malô fato *Venetis* excuſsêre *Styri*, pars magna pergratáque fuit, *meri Malvatici* copia memorabilis ; ſive ſuáſmet duntaxat in delicias, ſive (quod propiùs fidem eſt) ex compoſito, *bibaci Germanorum* illaqueandæ *gulæ*, callidîs ab hoſtibus advecta. Nec fefellit eorum cogitata, ſucceſsus exoptatus. Potiti namq; prædâ, tam ipſis amabilî, nec paucorum adeò cadorum numerô, *Teutones* illi *Pannonésq;*, pro ſollicitudine, poſt hæc, nimiam ſuî fiduciam, pro ſollertia ſecuritatem, pro ferri tracta-

tractatione pugnas vitreas, & poculorum concertationes; pro diurnis excubiis, & nocturnîs vigiliis, deſidiam, ſomnum, torporem, inter aſſidua vina, ſunt amplexi. *Venetis* denique, tales inter artes, tamquam cuniculô ſubingreſſis, ac locô potitis; ipſi, compotationibus innatantes, & immerſi lectulis, *Pontem* ſimùl geminum, ac fluvium, & *clauſtra Fella*, faucium Alpinarum præclari cuſtodes, reliquerunt. (94) Sed hæc, *Iſtricô* de *bello*, præſentem in annum, iis, quibus *Veritas placet*, ſufficere debent: quibus autem ea *gravis* eſt; præteriri, vel in dubium vocari, queunt. Nobis & aliò transeundum eſt.

XXIV. Dum enim ea, quæ nonnihilò fuſiùs hucuſque, (propter multarum rerum apud multos, de geſtis Iſtricis, ignorationem,) expoſuimus, trans Alpes Carnicas, & ad *Adriam*, fiunt: in *Inſubricis* ac *Montisferrati* terris, bellum, quod annus ſuperior ſopîſse viſus erat, inter Hiſpanos ac Sabaudos recruduit. Cauſsabatur ſereniſſimus Allobrogum Dux, *Carolus Emmanuel*, quod & prætori ſupremo Delphinatûs Gallici per litteras & internuntium conqueſtus fertur; ab Hiſpa-

Hiſpanienſibus adminiſtris fide non optimâ conditionibus inhæreri, quas utrimque partibus, arma poſituris, pacis interpretes ſanxiſsent; & in quarum ipſi concepta verba partes ambas adegiſsent. Negabant id *Inſubres*, & *Hiſpani*. Sentire ſe, *Sabaudi* clamabant, & experiri. Cùm finis non fieret, aut hinc querelarum, aut indè diſſimulationum; & in ſuſpicionem Inſubricis *Veneti* quoque ſenſim venirent, tanquam *Emmanueli* ſtimulos, ac belli faculam, ſubdentes, quò ſuppetias, *Archiduci Ferdinando* miſsas ac deſtinatas, imminuerent; ut incommodis omnibus anteverterent, priores arma reſumpſerunt *Hiſpanienſes*, annô jam in autumnum migrante. Claſſicum his porrò canentibus, morâ nullâ *Sabaudi* reſponderunt: exarſítque, partes inter ambas, (quantumvis in reconciliationis negotium vehementer intentîs Pontifice, regéque Galliarum,) atrocius, quàm unquam antea, bellandi ſtudium, & animoſitas. (95) Ad *Septembris* itaque vigeſimum primum diem, capitur ab Hiſpanicis *Corteȥána*, Sabaudorum caſtellum firmum: & à *Sabaudicis* excurſoribus, per eoſdem ferè dies, intercipitur, illuſtrî cæteroquin

roquin inter Genuates locô vir, ſed *emanſor* (96); qui, quòd ad Hiſpanorum Inſubrica caſtra remeare ſe fatebatur, comprehenſus, ut *hoſtis*; in cuſtodiam abductus; ac *pluſquam viginti millium coronatorum Genuenſium* viaticô ſpoliatus eſt: damnô, tantò flebiliore, quantò dolentiùs, exutum etiam *libertate* ſe, ſentiebat; *quæ nullius pretii recipit æſtimationem*. (97) In hæc autem ſtomachoſiores Hiſpani, *Santiam* occupant; *Vercellarum* urbi, trans flumen ad Occaſum æſtivum, oppoſitam. oppidum, à *Divo Germano* dictum, obſeſsum eunt. quæ circùm *Aſtilianum* loca municipiáque ſunt, direptionibus, incendiîs, compluriúmque mortalium cæde, vaſtant. Quibus vicem repoſituri *Sabaudi*, contra conatus eorum *Marcalongam* emuniunt: Mediolanenſium vexillorum manipulos, Maſseranô Tortónam petentes, partim trucidant; reliquos ſauciant, ac profligant. Qui præterea *Vercellis* erant in præſidio, milites *Allobrogici*, fortiter eruptione factâ, Caſavallónem, & Orfengum, (98) inter Borgétum ac Nibizium, aliáque Mediolanææ ditionis munita loca, ceperunt compluria.

Digitized by Google

Sub idem quoque tempus, Hiſpanorum caſtra copiáſque, *San-Germanaam* (de qua diximus) obſidionem non ſolùm urgentes, ſed reipſa tandem, perfractîs portis, munitionibúſque penetratîs, ad finem perducentes, aggreſsus; eas, inter ipſam occupationem oppidi, tam arctô *Dux Emmanuel* valli, militum, aggerúmque cinctu clauſit, & vias per circuitum omnes inſedit: ut *obſeſſi* jam, (qui priùs Sabaudicos *obſederant*, ac ceperant,) Hiſpanienſes, vehementer laborarent; & ideô, quòd annonâ rebúſque cæteris omnibus, ad vitam tolerandam neceſsariîs, undique prohibebantur, extremis in anguſtiis verſarentur. Eóque jam fames invaluerat: ut, conſumptîs alimentîs aliis uſitatîs omnibus, in dies aliquot ad herbas & radiculas, ac demum ad equinas quoque carnes, contra ſaporis Europæi genium hodiernum, veſcendo converterentur. Hîs tantis itaque malis utì ſuos explicaret, alióq; potiùs hoſtem averteret; ſimulavit regius *Inſubriæ* Prætor, *Petrus Toletanus*, callidéque, per ſubornatos à ſe, vulgari totîs caſtrîs juſſit: Sibi decretum eſſe, caſtra *Creſcentinum* versùs movere; locúmque potiùs illum, quàm

quàm *famis-campum* Germanæum, circumſidére.

XXV. *Creſcentinum* porrò, (99) quod petituri credebantur Inſubrici, munita cumprimis urbs eſt, inter *Dorrabautiam*, *Navilionem*, ac *Padum* fluvios: ſupra *Trinum* urbem, & *Fontanam* oppidum, ad occaſum; haud ità procul oſtiô Dorrabautiæ, Pado ſe miſcentis. Supra *Creſcentinum* autem, ad plagam Euroaquilonis, ſupra ripam *Lampónis* amnis ſiniſtram, locus jacet, quem *Lucedaam* nominant *Abbatiam*. Ad hunc ergò locum *Dux Sabaudus*, cùm ſparſo de Proregis expeditione figmento præproperè fidem habuiſset, cum maxima copiarum ſuarum parte contendit, eô conſiliô; quò proficiſcentes Hiſpanos, ſi minùs opprimere, deleréque poſset, at certè tamen, impeditos armîs & itineris labore, laceſsere velitationibus, & eorum agmen noviſſimum profligare. Sed, idipſum ab *Allobrogibus* credulis tentatum iri, prævidentes animô *regii*; latebras circùm, & ultra-*Lúcedam*, umbroſas ac ſylveſtres ſibi diſquiſierant; eáſq; repertas, militum audaciſſimîs clam inſederant, antè, quàm uterque ſe commoveret exercitus.

citus. Cùm ergò, *Navilione* trajectô, *Lampónem* versùs Hiſpanicæ legiones, ac turmæ, pergerent; jámque ferè, tanquam *Creſcentinum* feſtinantes, Lampónis amnis ad caput perveniſset pars major *equitatûs*, (qui, legionibus antegreſſis, & agmini noviſſimo, medius interpoſitus, utrobique præſidio foret:) ibi, Lucedâ tumultu maximô prorumpentes Sabaudorum copiæ, ruere cœperunt in noviſſimas Hiſpanorum cohortes, & alas. At hæ, velut inopinâ re conſternatæ, metúmque ſimulantes, in fugam effunduntur. Has avidè ſequitur *Allobrogum* omnis multitudo, pedes, eques: premeréque fugientium veſtigia non ceſsant, donec ultrà Lucedam aliquouſque longiùs utrimque proceſsum; & ſcilicet ab *Inſubricis* fugientibus hoſtis inſequens pertractus eſt, aliquantillum ad ſpatium, ultra locum inſidiarum. Tum demum autem, ubi jam poſtremum inſectantium agmen præteriit, ex arbuſti receſsu coorta manus omnis Inſubricorum, noviſſimos Sabaudorum invadunt: déque compoſito, ſuſcitatô clamoſo tumultu, nihil hoſtile tunc exſpectantium dorſa cædunt. Ad quorum voces, & ululatus, exauditos, ii, qui fugam

couſq;

eouſque formidinémque finxerant, ubi ſuis proceſſiſse dolum & inſidias animadverterunt, curſum ſiſtunt: &, in inſequentes converſîs ſignîs, vires omnes impetúmque vertunt in Allobrogas, antrorſum ac retrorſum interceptos; mediôque copiarum hoſtilium clauſos. Fit, non jam velitatio, ſed atrox & cruenta pugna. pedes, eques, arma, jumenta, ſigna, miſta. paſſim labor, vulnera, cædentiúmq; clamor, & fremitus; cæſorum verò ſanguis, & gemitus, ac mors. Et inter hæc tamen omnia, cùm à fronte, tergô, lateribus, aciéque mediâ, ſtrages in Sabaudos incumberet; nemo nec Allobrox pedem referebat, nec Hiſpanus iram manúmve remittebat. donec poſtremò, *tredecim* continuas in *horas* protractô præliô (Chriſtianorum, pròh dolor! in Chriſtianos! & Orthodoxorum in Orthodoxos!) penès Hiſpanos arbitrium ſtetit pugnæ finiendæ: quia ſecundùm eoſdem ſumma quoque *victoria*. Quamobrem Sabaudus, *amiſsis* in acie plus minùs *octingentîs*, totidémque ferè ſauciatis, ceſsit campô: pugnæque (neutris cæteroqui pudendæ) ſucceſsu dejectum ſe, confeſsus eſt.

Captorum autem ab exercitu victore,

Anni Acta.

non gregariorum modò, ſed etiam primorum in caſtris ordinum, ac nobilitatis, numerus fuit haud exiguus. armorum, equorúmque, major; ſignorum pedeſtrium, equeſtriúmque, non nullus. tormentis denique *Sabaudorum* bellicis, formæ grandioris, ab Hiſpanis injectæ manus: & eorum obturatîs cannîs, ademptus ejaculationis uſus. Nec interim ab illato, per catapultas, vitæ ſupremo diſcrimine procùl abfuêre, partium Allobrogicarum heröes; magiſter equitum; Princeps *Aſculanus*; & ſiqui ſecundùm hos alii: quorum ſub corporibus, fortiſſimè præſtantium, ſphærîs, ac glandibus plumbeîs equi trajecti, ſeſſores ſuos ſecum in terram deduxerunt; ægrè ſe manibus & gladiis hoſtium incurrentium eripientes. Et alioquin, univerſim tunc deterior pugnandi facultas & conditio ferebatur *equitum* fuiſſe, quàm *legionum*; propter locorum, in quibus dimicandum fuit, anguſtias, ac viarum compreſſas fauces. *Hiſpanienſium* tamen, eo toto, tam acri, conflictu, cecidêre *pauci*: nec ferè, niſi, quos *Allobrogicorum* primus incurſus, & pugnæ turbo deprehenderat, ad initia ſimulatæ fugæ. (†)

XXVI.

Septennium III. Annus 1616.

XXVI. Debellatum itaque videri potuit illo certamine, quo *victor*, quod quæſierat, habebat; manum ſcilicet, ac belli famam, ſuperiorem: *victus* autem, copias, (ſinè quibus geri bellum nequibat,) debilitatas & imminutas. Quibus proinde ſic utrimq; conſtitutîs rebus, promicabat mutuæ pacis ac reconciliationis ſumma ſpes, & facultas; ſi de ſuo remitteret aliquid uterq;: *potentior*, putà, de ſupremo jure; de rigore verò vindiciarum, *imbecillior*. cùm præſertim, pacis integrandæ negotium necdum urgere ceſſarent, Româ *Paulus Quintus* Pontifex, Lutetiâ *Ludovicus decimus tertius*, Franciæ rex; legatos ſuos ad id vehementer, crebrîs, ac ſeriîs, admonitionum ſuarum ſtimulîs, incitando. quod ille quidem, per *Alexandrum Ludoviſium*, Archiepiſcopum Bononienſem; iſte verò, per *Philippum Bethunaum*, Selleſium, & Charrôum toparcham, faciebant. (100)

Sed nempe, nondum tempus viſum partibus erat, in concordiam redeundi. *Sabaudúsq;* præcipuè, *Non* cauſsam, *in proximi congreſsûs clade*, *ſed* fortunam, interpretatus, *peccâſſe*; tuebatur etiam tum *controverſiam* ſuam, adversùs Hiſpanum. *Fortu-*

Anni Acta

nam autem, denuò, ſæpiúsque, tentandam ratus; belli conſilia reſumebat; ſuorum aliquot millia ſub ſigna cogebat; caſtra, prioribus ampliora, faciebat: auſpiciîs ſuîs, per *filium*, juventutis principem, & *Guidonem*, *San-Georgianum* Comitem, pléraque gerebat: *regiis*, undecunque facultas, aut opportunitas, alluceret, negotium faceſſebat; damnáque, vel clades inferre, nec præſens, nec abſens, prætermittebat. Cujus induſtriæ, tam ipſiúſmet, quàm adminiſtrorum belli primariorum, (quos modò nominavimus,) argumentum & indicium ingens fuerunt, inter alia quædam *regiæ* poſſeſſionis in Inſubribus loca capta, *Maſſeránum* etiam oppidum, & *Grevecortum*, caſtellum cumprimis firmum: illud, cis *Elnum* amnem ſitum; iſtud, ſuper ejuſdem ripam ſiniſtram: (101) ambo, ſub unum ferè tempus, ab *Allobrogibus* occupata. Verùm, iſta tunc quidem *aſpera* fiebant, *in placidiſſima terrarum*, *Italiâ*: quoad diſſidentes in concordiam denique redegerunt, operâ laboriosâ *Ludovicus*; laborioſiore verò *Ludoviſius*: ille, regnô civilî magnus, quod habebat in *Galliis*: iſte, Sacrorum principatu ſummô, quem aditurus erat

erat in *Eccleſia*, poſt ſextum, ab his pacificandi curîs, annum. (102)

XXVII. Cæterùm *Galliarum rex*, qui forìs ab *exteris* turbata magnâ meritâq; cum laude recomponere laborabat; idem, *domì* nuper, & in regno ſuo, bonâ fide compoſita, redivivîs hoc annô motibus inquietari, ſenſit. Poterátque turbis iis videri præluſiſse, rupta quoque, poſt longam aëris aquarúmque pacem, elementorum plerorumque fides: quando, non modò *Julii* menſis medios ardores, inſuper tanta, támque peſtilens & continua, fulgurum flamma ſpiſsavit; ut paſſim (& extra Galliam quoque) ſideratæ vites in nigrorem uſque tabeſcerent; ac, perſtricti fulgétrîs, acini defluerent. (103) Sed in *Avenionenſem* præcipuè *Comitatum*, ſub *Auguſti* ferè menſis ingreſſum, (104) ira ſe tempeſtatum & aquarum effudit. *Vulturni* namque vehementis impetu procelloſô ruptum cœlum (quod nubibus undequaque tunc gravidum erat) nimbum, tanquam *catarrhacten*, præcipitiô tam violentô copioſôque dejecit; ut, oppletus eô, *Sarques* amnis ripas in immenſum ſtatim excederet: ac, velut diluviô, cuncta circumquaque reſta-

gnarent. Cùm autem, in momenta temporis ſingula, de montanis quoque locis defluentes undæ, non alluviones modò, ſed aſcenſum etiam altitudinémq; gurgitum, adaugerent: rapacitate fluctuum abripiebantur pontes; evertebantur domicilia, villæ, prædia; ſubruebantur agrorum, hortorum, vinetorúmque culta; cum olivetis, ficetîs, & citriorum arbuſtîs. hauriebantur aquîs gregum armentorúmq; multitudines; hominum *octingenti ſupra mille*; caſtellum *Pernéum*; urbes *Bederídum*, & *Albuînum*. Ac, pro cunctis his excisîs obrutiſque, veſtigium uſqueadeo nullum uſpiam, aut reliquiæ, comparebant: ut in rerum omnium nudâ, glareoſâque, ſolitudine, ſuperſtites poſtea mortales, ex alteris alteri quærentes, ſciſcitarentur; ubi domus, urbes, ſuburbana, vites, & arbores uniuſcujusque, ſtetiſſent? Hæc hujus anni *Julium* & *Auguſtum* afflixerunt in *Gallia*.

Secutus, urbi Galliarum principi non multò lætior, *September*. cujus *Calendarum* ipſo meridie, mandante potentiâ celſiore, manus injiciuntur *Henrico*, nominis hujus Borboniorum ſecundo, *Principi Condæo*, regiúque

giique tunc ſanguinis præcipuo. (105) Rationum & cauſsarum arcana, regiis in voluntatibus, exquirere divinaréve, *nefas*; cur, quo jure, vel cujus impulſu, geſtum quidque ſit? in eo præſertim, quem *innata* Regis moribus *humanitas* ſuô, poſt hæc, tempore, libertati culminíque reſtituit. Sed tunc, recentî fortunæ rotatione perculſi, paria̍que metuentes, prócerum ii, quibus *Condæus* unus omnia fuerat, & adhuc erat; Guiſii fratres, Dux Longavillæus, Cæſar Dux Vindocinenſis, Bullionius, Mayenius; &, Condæo fidiſſimus, Lejayus, aliquando curiæ præſes: Pariſiîs, & ab aula, (quò nuperrimè bonâ fide, ſuîque ſecurâ, redierant,) dilabuntur, in ſuarum quisque ſedium munitiora loca. Manet in regia *Dux Rohanæus*, Henricus; ob hoc ipſum ſuſpicacibus creditus, auctor mali conflatórque fuiſse capto, regias apud aures: eóque magìs, quòd in cuſtodiam abducto *Condæo*, ſibíque (casù prætereunti) familiariter calamitatem ſuam ingerenti, reſpondiſse ferretur, inſultabundi ſpecie, *Laudare ſe facti præſentis auctores*.

XXVIII. Sed omnium graviſſima Condæanæ calamitatis invidia tunc in *Mareſchallum*

lum D'Ancraum incubuerat, apud Lutetianum præcipuè vulgus: cuj charum *Principis Condæi* nomen, Marchionis contrà *D'Ancræani* dirum, & inviſum, erat.

Procùl tunc Lutetiâ *D'Ancræus* abſens; in Mórinis ad Oceanum, quæ ſuæ procurationis erant, expediebat: aulæ negotia relinquens aulæ. Sceleſtô nihiloſecius impudentîque figmentô, mox à comprehenſione Condæi, per urbem omnem rumor diditur, *nemine certô*, ſed *univerſis*, auctoribus, & ideò paſſim creditus. *Quia, quem omnes oderunt, hunc omnia peccâſſe judicant*. ſpargitur, inquam, paſſim, Concini D'Ancræi non ſolùm inſtinctu raptum in vincula Condæum, ſed propriâ quoque dextrâ protinus interemptum: tum, interempti caput abſectum; cadaver truncum, & inſepultum, jacére: caput, infixum haſtæ, ſublimitate probrosâ circumferri; per auras trahi; civium occurſibus oſtentari. quorum tamen omnium, nec geſtum quidquam erat, neque cogitatum: ſed in arce *Baſtillia*, quò de palatio poſtridie traductus fuerat, *Condæus*, invictiſſimi Princeps animi, ſedebat: quoad, in *Vicenis* nemoris honeſtiorem denique receſ-

ceſſum ſepoſitus, haud procùl Pariſiorum urbe; ſpontaneam cuſtodiæ ſociam habuit, *Carolam Margaritam Montmoranciam*, uxorem; tunc uterum gerentem, & indivulſam marito fidem retinentem.

Hæc ergò, cùm in hunc, quem expoſui, modum, nec aliter, eſſent acta: concurrebatur tamen à furente multitudine *D'Ancræanas* ad ædes; tanquam, quarum poſſeſſor, ac dominus, rerum omnium, quæ lymphatis quoquo titulô diſplicuiſſent, reus, factorum pariter & infectorum culpam ſolus ſuſtineret.

PALATIUM illud, non *domus*, erat; cultu ſtructurâque, *Regiis* proximum. Hoc omnium manus inceſſunt, ferrô, dolábris, aſciîs, ſtipitibus, ariete, ſaxîs: Clamor univerſorum unus, & conſonus; *Ad Arma, faces, & excidium! Redde Condæum! exhibe truncum corpus! reſtitue præciſum Principi caput! Refunde, raptor Itale*, (106) *ſpoliatæ Galliæ congeſtas exuvias!* Simùl, inter hæc, ariete moliuntur portas. ſubruunt, & ſolô ſternunt, parietem frontis-ædium; & irrumpunt. tectum ipſum plumbeîs, quibus opertum erat, laminîs nudant; interiora concla-

clavium ac thalamorum effringunt, revellunt, diripiunt. aurum auferunt, & argentum, cuſum ac rude; ponderis utrumque maximi. gemmas item, & uniones omnes, rariſſimi ſplendoris, & immenſi pretii: nobiliſſimæ, tum artis & acûs, tum telæ materiæque, periſtromata: veſtiarium univerſum, & Marchionis, & Galigaïæ conjugis: ſupellectilem demum omnem, quaquaverſus inſtructiſſimam, & ad uſum quotidianum, & ad curioſas oculorum delicias. in quibus, fuerunt & *Italiæ miracula*; Michaëlis Angeli, ſummi pictoris, tabellæ *pretioſiſſimæ: quia protótypa*. Nec ſatìs hæc hactenus: nihil in domo fuiſse copioſiſſimâ relictum indireptum; ac vix domum ipſam non fundamentîs ſuîs evulſam. Ad hortum etiam, ac viridarium; ad equile, ſtabuláque cæteri generis; ad illius tandem ædes, quem à conſiliis arcanis *D'Ancræus* tunc habebat, inſanorum converſa vis eſt. Omnia disjecta, rapta, deſtructa ſunt, ac vaſtata. *Trecentis millibus aureorum* æſtimata diſpendia ſunt; quæ tumultuantium rabies hæc, à meridie pridiano graſſans in poſtridianum uſque meridiem, fortunis intulit Ancræanis. nullum quip-

Digitized by Google

quippe, ne nocturni quidem temporis ſpatium, ad prædandum, perdendúmque, vacuum fuit, aut intermiſſum. Nec valuêre, contra tantam tot bacchantium violentiam, ullæ dehortantium preces: non, armatorum oppoſitæ minæ, manúsque; ne magiſtratuum quidem urbicorum immiſſa præſidiaria caterva: quæ, ductore ſuô glande plumbeâ trajectô, dilapſa confeſtim omnis eſt; eóſque fugit, quos fugatum advenerat. Regis tamen denique prætoria cohors, tumultuantium flexit pertinaciam; &, armatæ Majeſtatis reverentiâ deterritos, cives, obſequii tardiores, in quietem, ſuáſq; domos, redegit.

Pars porrò potiſſima motuum horum omnium, in *primum* Septembris *triduum* incidit: fuítque turbo rerum iſte, non *mors* quidem *D'Ancrai* Marchionis; ſed *mortis*, in annum vertentem ſecuturæ, non fallax *oſcen*.

Cæterùm, verè rem hanc omnem æſtimantibus, concurſus hic, *quaſi pro capite libertatéve Condæi, Principum nobiliſſimi*, vindicandîs, utì memoriam meruit Annalium, & intravit; ità plerorumque, tunc omnia miſcentium, in animis, ne vana quidem ac præceps *credulitas* fuit; tanquam pro Condæo com-

comprehensô trucidatôque, contra *D'Ancraum*, in ultionem arderent. ſed, ſi pleniùs introſpiceres: id omne, *credulitatis* potiùs *figmentum* erat, ad aperiendam, in confluxu furoréque plebis, viam aditúmque direptioni *locupletis domûs*. Cujuſmodi fallaciarum uſus, & opportunitas, in *incendiis* quoque frequens eſt: ad quæ reſtinguenda, non aliorum ſubinde major clamor & impetus gliſcit; quàm eorum, *qui flammam injecerunt, & opes exportant*. (107)

XXIX. Sic autem, quemadmodum retuli, mutuas in clades ac detrimenta calentibus Styrîs in Adriaticos, Sabaudîs in Hiſpanos, & Gallîs inter ſeſe, factionibus ſuſpicionum alternîs: quantum interea profici potuerat, adversùs *Otomannicum*, ab Europæis, *Imperium?* quod per illud ipſum tempus, à conſenſu diverſorum quidem aliorum, ſed Aſiaticorum inprimis, & Hyperboricorum, armorum exagitabatur. Nam, ut ſileam Africani maris incolas, Melitenſes, quorum triremes hôc annô tres, è Sicilia Naupactæum invectæ Sinum, (108) ac ſeptem potitæ Turcarum myoparonibus; (109) *Achmetis* quingentos cepêre prætorianos milites (110):

tes (110) : è quibus trecentos & octoginta robuſtiorum corporum, in æterna compegerunt ergaſtula ; centum ac viginti reſiduos, obtruncârunt. Ut item præteream, expugnatas à Tuſcis ad Nigropontum, Algerianas Libycorum Turcarum triremes prætorias geminas ; & in iis repertam *coronatorum pluſquam centum millium* prædam, ac Chriſtianos quadringentos, & quinquaginta circiter, in catenis. ut omittam denique *Coſaccos*, hôc etiam annô rebus Sultanicis, in palude Mœotide, circúmque Cherſonéſum Tauricam, & Tanaim amnem, pernicioſos (111) ; è Perſide quoque *Schach-Abas* rex effudit in *Achmetis* ſtragem, & *occaſum* (qui non procùl,) omnem ſuæ poſſeſſionis *Orientem*. (112)

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) *Carolus Stephanus*, *V.* Iſtria. *Jodoc. Hondius latitudinem Iſtriæ ponit*, *XI. P. M.* (*undecim paſſuum millia*) *ambitum verò CXXII.* (*centum viginti duûm millium.*) *In* ambitu *itaque non ità multùm inter ſe Stephanus ac Jodocus diſſentiunt ; cùm hic,* *centum*

centum viginti duo, ille centum viginti quinque (*ſic enim legendum in ejus editione Genevatæ anni 1652. Joannis de Tournes*, Quinque, *non*, Quoque) *millia paſſuum, circuitui Iſtriæ tribuant. In* latitudine *verò, tantùm abeunt alter ab altero; quantùm ſexaginta paſſuum millia, quæ ponit Carol. Stephanus, diſtant ab undecim millibus, quæ latitudini Jodocus aſſignat. Sed hi de* milliaribus *loquuntur* Italicæ *menſuræ. At Martinus Zeillerus, in ſuo Italiæ Itinerario, pag. 30. colum. 1. ait.* Iſtria iſt in der Braitte 10. Teutſcher Meylen; Im Umbkrayß aber/ nach dem Meer/ in die 30. Meylen. (2) *Vide Philippum Cluvierium, in tabula Italiæ antiquæ, annò 1603. editâ: & Jodocum Hondium, in tabula Iſtriæ, ex Plinio. Zejllerus verò loc. cit. pag. 29. col. 2. ad fin.* Iſtriam *à* Japydia *utcunque diſtinguit: ſed, utì connexas tamen, aut inter ſeſe contiguas.* (3) *Lucius Florus lib. 2. cap. 10.* Hiſtros, *per aſpirationem; Titus Livius lib. 41. in breviario*, Iſtros, *ſinè aſpiratione. In ipſo verò libri corpore*, Hiſtros, *&* Hiſtriam. *Cæteri ferè*, Iſtros, *&* Iſtriam, *& bellum* Iſtricum. (4) *Georgius VVernerus, in deſcriptione ſtagni illius; quam, aliquantò diffu-*

diffuſiorem, vide apud Gerardi Mercatoris tabulam Carniolæ. (5) *Quem ſaltum exprimit accuratè tabula Gerardi Mercatoris major, quâ* Karſtiam *&c. exhibet.* Der Pirnbaumer Wald / Garnis *populis hodiéq; dicitur. de quo Zejllerus quoq; quidpiam interſpergit Itinerarii ſui Italici cap. 2. pag. 30. col. 2. poſt med.* (6) *Jod. Hondius in* Iſtria *ſua,* Carnarium *nominat: Itali,* Carnero Golfo. *& ità Gerardus Mercator quoque, in citata modò* Karſtiæ *tabulâ Majore.* (7) *Eandem Mercatoris tabulam vide; & in ea tractum terræ, dictum,* den Teufelsgarten / *ſupra locum,* Treſenik, *ſitum.* (8) *Geneſeos, cap. 3. v. ult.* (9) *S. Paulus, ad Galat. cap. 5. v. 22. & v. 23.* (10) *Ibid. cap. 5. à v. 20. & Matth. 15. v. 19.* (11) *Ità Slejd. Redivivus paſſim, lib. 21. & lib. 22. Appamianus item, in hunc annum, num. 3. qui prædones illos* Uſóchos *nominat, pro Uſcocchis, vel* Uſcochis *aut Uſchcochis; exiguô pronuntiationis diſcrimine. Porrò verò, Joan. Cluverus, hos pag. 774. col. 2. de plano,* Croatas *facit: incertum, an, ad invidiam eis faciendam, ſectarius Orthodoxis?* (12) *Patet hoc è* legibus Pacificationis, *inter Venetos, & Archiducem Ferdinandum, tandem*

Anni Acta.

initîs anno 1618. apud Slejd. Redivivum, lib. 22. §. 2. & 3. pag. 1522. & pag. 1523. col. 1. (13) *Colligitur ex Opere de Urbibus Hermanni Adolphi Authesii, V.* Zenga, *pag. 7. in Auctario.* (14) *Plinius Major, apud Gerardum Mercatorem, in tab.* Sclavoniæ: *ubi,* Oram *Illyridis* mille *amplius* Inſulis *frequentari, ſcribit.* (15) *Hoc exſertè tradit Continuator Slejd. recentior, lib. 21. pag. 1468. col. 2. à med.* (16) *Iſtriam enim Teutones dicunt,* Iſterreich / *vel* Hiſterreich: *ut Zejllerus quoque loquitur, in Itinerario Italiæ, cap. 2. pag. 30. col. 1. ad init.* Es ſtoſſt aber Hiſterreich / oder Iſtria, an das Friaul. *&c. Et pag. 20. col. 1. p. med.* Es haben die Venediger ferners auch die Länder Friaul / vnd Hiſterreich / maiſtentheils *&c.* (17) *Tit. Livius, lib. 41. initiô.* (18) *Livius quoque,* Regem *illum* Iſtrorum ebrium *fuiſſe, fatetur: at, à ſuiſmet è convivio raptum, & equo impoſitum, fugiſſe. Si demus autem (ut fieri potuit) eum in hac ipſa poſtmodo fugâ comprehenſum ab Romanis, & ſuorum è manibus abreptum fuiſſe: nimirum Livio Florus non repugnabit. cujus verba ſunt libri 2. cap. 10.* Regem Iſtrorum, equo Appulo impoſitum, cùm ſubinde crapulâ & capitis errore lapſa-

lapſaret; captum ſeſe, vix & ægrè, poſtquam experrectus eſt, didiciſse. (19) *Vites, oleas, & fructus, de quibus Zejllerus, cap. 2. Itin. Ital. pag. 30. col. 1. poſt princ. & Gerard. Mercator in tab.* Iſtriæ, *pag. 512. col. 1. princ.* (20) *Ideóque univerſim, & non tantùm de meditullio regionis, ſcribitur, de* Iſtria. Iſt ein fruchtbar Land: *Zejller. loc. cit. Et, Colles, vini, olei, aliorúmq; fructuum, feraces, Jodoc. Hond. in tabulam Iſtriæ. Certéq; nec* Parenzium *(quæ tamen urbs eſt maritima)* ficetîs, *etiam extra muros ſuos, deſtituitur; teſte Sereniſſimô Duce Alexandrô, Comite Palatinô: qui, annô 1495. prætérnavigans* Iſtriam, *refert,* Die quintô Julii *(in quem eô anno dies Dominicus inciderat)* Parenzii, *manè ſummô, horridam & vehementem coortam tempeſtatem, tonitruîs ac fulguribus ſævam, jeciſse fulmen in quendam extremâ de plebecula virum, eâ ipsâ horâ* ficus *ex arbore decerpentem: & decuſſum, extinxiſse.* (21) *Cujuſmodi præſertim ſunt, Portus Báſolus, Cerverius, Fubanus, Figarólus, Flori, Budæus, Longus, S. Mariæ, &c. de quibus & inferiùs, in corpore narrationis Iſtrici belli, mentio recurret.* (22) *Ponit hoc Philippus Cluvierius, inter Timavi fontes, &*

R 3 *Ter-*

Tergeſtum, in Forojulii finibus Auſtralibus: ſed ab Zejllero deſcriptioni Iſtriæ immixtum, cap. 2. Itinerarii Italici, pag. 30. & tantò rectiùs, quantò expreſſiùs idem ipſe Zejllerus, contra Cluverii topotheſiam, Pucînum *collocat inter vicina Juſtinopoli, ſeu* Capo d' Iſtria, *loca, pag. 30. col. 1. poſt med. Gerardus tamen Mercator, in Majore* Iſtriæ *tabula, favet ſententiæ priori.* (23) *Martinum Zejllerum vide, Itinerarii Italici c. 2. pag. 30. col. 1. med.* (24) *Hoc veteribus* Tarſática *fuit, apud Philip. Cluverium, in Deſignatione Italiæ Antiquæ. Italis,* Fiume *eſt, in Nova Italiæ deſignatione; & in tabula Ducatûs Venetiani, apud Zejllerum. Ipſi verò Zejllero, in Itinerario Italico, Germanicè dicitur* Flaum. S. Veit / am Flaum / *inquit pag. 30. col. 1. poſt princ. Sed, ad* Tarſaticam *ut regrediar; quid ſi ea, non oppidum* Flumen, *ſed potiùs, vicinum opp. Flumini,* Terſactum *(hodiernis,* Terzacz*) fuerit? de quo & inferiùs mentio recurret, in corpore: & nunc ilicet, in Nota proximâ.* (25) *Nunc* Terzacz *à vulgo nominari ſuetum.* Terſactum *porrò, &* Flumen, *oppida, reperies apud Horatium Turſellin. in hiſtoria Lauretana libro 1. cap. 2. & 3. &c. Rectè verò*

Dalma-

Dalmatica *dicuntur ab eo*, oppidula (*veluti vertit Germanicus interpres*, Stättlin) *ob* Dalmatiæ, *mox adnexa*, *viciniam*. *qua tamen hodie jurisdictionis ſunt* Iſtricæ: *quam hinc Reſpubl. Veneta, illinc Auſtriaca potentia, extendit etiam ad Dalmatia fines occiduos*. (26) *Horat. Turſellin. lib. 1. hiſt. Lauret. c. 2. ex Annalib. Illyricis*. (27) *Bernardus Hugenius, in Hiſtoria Lauretana, Germanicè verſâ, lib. 1. cap. 5. princ.* Diß heilige Hauß / hat ſich nit gar vier Jahr (dann 5. Monat gemanglet) bey ihnen (den Jllyriſchen) verhalten: vnd darnach auß ihren Gräntzen verwichen. (28) *Impenſis Domini Nicolai Frangipanii, Prætoris Iſtriæ, Illyrici, ac Dalmatia. Turſell. lib. 1. Hiſt. cit. cap. 5.* (29) *De* Flumine *pariter, ac* Terſacto, *loquens Bernard. Hugenius, l. ſuprà citatô, cap. 2. ait*, Terſactum, vnd Flumen, (welche Stättlin in Dalmatia ſeynd/) *hoc eſt, laxè proferendo fines Dalmatia; vel, Ad principium Dalmatia. Joannes tamen, Comes Solmenſis, diſtinctionem, tam* ſuperfluam *putans hanc eſſe, quàm, in* Diviſione *accuratè faciendâ*, Genus *intrare*, ut compartem, *partitionem* Specierum; *Itinerarii ſui Italo-Syriaci, menſe Januariô, die menſis 3.* Iſtriam, *ait*, natio-

R 4

Anni Acta.

tionem eſse regionis Dalmatiæ. (30) *Zeiller: Itiner. Italici, cap. 2. pag. 31. col. 1. init.* (31) Unius Fontis *Maro Æneid. 1. de Antenore meminit* — & fontem ſuperare Timavi. *At,* Fontium Timavi, *numerô* plurali, *Philip. Cluverius, in Italia Gallica deſcriptione, tabulâ 2.* Lacum *verò* Timavi, mari imminentem, *Livius affert, lib. 41. ab U. C. init.* (32) *Ità Zeillerus, pag. 30. Itin. Italici, col. 1. ad med.* Unius *duntaxat* Pontis, *etſi longi, mentionem faciens. At Gerard. Mercator, ad tabulam Iſtriæ, pag. 512. col. 2 circa med.* Pontes *loquitur, eósque* Verſatiles: *an, quia plures Pontes minores, quaſi membra, juncta compagibus, Pontem tandem unum prælongum componunt?* (33) Capo, *& vulgò* Cabo, *compluribus quoque geographicis in mappis,* Cavo, d' Iſtria. (34) *Joan. Comes Solmenſis, Itinerarii Syriaci menſe Juniô, die 1.* Parentz / die Statt / ligt gar an einem luſtigen Ende / auf dem Land &c. (35) *Zeillerus* Itinerar. Italiæ, *cap. 2. pag. 30. col. 1. ante med.* (36) *Dux Alexander, Comes Palatinus Rheni,* Itinerarii *Syriaci Juniô menſe, ad diem 5.* Parentz / die Hauptſtatt in Iſtria, iſt nit ſehr hüpſch / ſonder häßlich. (37) *Zeillerus de* Epiſcopo *ſimpliciter loquitur.* Archi-

archiepiſcopatum *autem illic eſſe*, *Alexander*, *Comes Palatinus Rheni*, *&* *Joannes*, *Comes Solmenſis*, *cum aliis*, *affirmant*. (38) *Zejllerus* Polam, *pag. 30. citatâ*, *appellat*, Die vhralte Statt. (39) *De vitioſo illius loci aëre*, *idem Zejllerus loco cit.* *De* tribus *verò* Fontibus, *Albertum vide*, *Comitem Lövuenſtejnium*, *circa principium ejus hodæporici Jeroſolymitani*, *die 8. Julii*. (40) *Joan. Comes Solmenſis cit: die Januarii 3. anni 1484.* Idipſum *quoque*, *&* *fuſiùs*, *memorat Fr. Felix Fabri*, *Parte 1. hodæporici ſui Jeroſolymitani*, *in anno 1483. menſis Junii die 3. & alii complures*. (41) *Jodoc. Hondium vide*, *in tabulam* Iſtriæ, *pag. 512. col. 2.* (42) Ità *loquitur Martini Zeillerus*, *Itinerarii* Italici *cap. 1. pag. 20. col. 1. ad med.* Es haben die Venediger auch ferners die Länder Friaul / vnd Hiſterreich / maiſtentheils. *quod & ſuperiùs*, *aliâ ex occaſione*, *memoravi*. (43) *Zejllerus pag. 30. col. 2. fin.* (44) *Ciceronis eſt vox*, *Philippicâ 2.* *Cæterùm*, Mitterburgum *Zejllerus loco cit. in corpore*; Adelspergum *autem in* Indice, Comitatum *appellat*. (45) *Perperam nonnulli*, *contráque veterum auctoritatem*, *Sinum* Iſtriæ Fanaticum, *vocant illum*, *qui* Carnerius *hodiernis dicitur*

tur (Golfo Carnéro): cùm Flanaticus *dicendus ſit, cum Phil. Cluverio.* (46) *Ab Jodoco Hondio, in tabulam* Iſtriæ *pag. 513. col. 1. ad med.* (47) *Scripſit enim hæc auctor, annô 1672.* (*) *Alexander, Comes Palatinus Rheni, in* Itinerario *ſuæ Navigationis in Palæſtinam; ad diem decimum Julii, anni 1495.* Zara, iſt ein klein / fein Stättlin / vnd iſt daſelbſt ein Ertzbiſtumb; vnd / auf einer Seyten der Statt / vil kleiner Capellen / vnd S. Simeons Leichnamb / im Thumb / oder Stifft; *ait Comes Solmenſis, in diem 12. Julii, anni 1483.* (48) *Ità judicat Philippus Cluverius, in tabula* Italiæ antiquæ: *ſuprà* Tragurium. (49) *De his vide Zejllerum quoque,* Itiner. Italici *cap. 1. pag. 20. col. 1.* (50) *Slejd. Redivivus, lib. 21. pag. 1468. ubi ait col. 2. ad med.* In dem ſie (mit ſtraiffen) den Venedigern vil ſchönes Land verderbet. &c. (51) *Hanc, in altitudine promontorii poſitam urbem, prædonum maritimorum, è* Cilicia *ſeſe effundentium, tradunt hoſpitium, ac receptum, fuiſſe. quam attingit Cicero quoque, Actione 6. in Verrem, & alibi. Stephanus, opere De Urbibus, eam in* Pamphylia *collocavit. Marc. Tullius, eam antiquitus à Lyciis-Græcis inhabitatam fuiſſe, ſcri-*

ſcribit. (52) *De* Zenga *ſic loquitur Hermannus Adolphus Authes, in Auctario operis de Urbibus, pag. 7. ad med.* Am äuſſerſten Orth deß Adriatiſchen Meers / in den Steinklüppen / und an einem wüſten Orth / gelegen. (53) *Dalmaticè, Croaticè, & Italicè, loquentes.* Idem *ibid.* (54) Die Oberhauptmannſchafft / über die Oeſterreichiſche Meergräntzen. *Authes pag. 7. citatâ.* (55) *Hoc invidiosè,* perplexéque *ſaltem, (uti paſſim alia in Auſtriacos,) maledicus Cluverus proponit, Epitomês hiſtoriarum pag. 774.* §. Hanc ſanè viam *&c. in hæc ipſa, quæ exſcribo, verba.* Verùm, cùm querelîs *(à Rep. ſcil. Veneta injectîs)* nihil efficeretur apud Ferdinandum Archiducem. *&c. Quæ Joan. Cluveri verba à malevolis explicari ſic poſſunt; Tanquam per Archiducem ſtetiſſet, quò minùs coërceretur Uſcochorum prædandi petulantia. Ab lectoribus autem incorruptis, culpa in eos, qui repreſſioni prædonum obſtabant, conferri poterat: uti ſanè conferenda erat. Meliore igitur fide narrationem harum rerum Iſtricarum tractavit Continuator Gotthardus Arthuſius; quem vide pag. 1468. col. 2. lib. 21.* (56) *Hunc enim à Rep. Veneta decreti belli* titulum *emanâſſe,*

Anni Acta.

náſſe, Continuator Slejd. recentior clarè demonſtrat; ità ſcribens lib. 21. pag. 1468. col. 2. poſt med. Derwegen ſich die Venediger endlich reſolvirt / ihren erlidtenen Schaden / zu Waſſer vnd zu Land / an den Vſcochen ſelbſt zu rächen. (57) Mit etlich tauſend Mann zu Roß vnd Fueß / *ait Gotth. Arthus lib. 21. pag. 1468. col. 2. ante fin.* (58) I*mperatoris Matthiæ mandatô: quod habes in Slejd. Redivivo, lib. 21. pag. 1469. col. 2.* (59) *Hîc dè* Forojulienſi *ſermo eſt. Alioquin enim, & aliæ ſunt alibi, pæne cognomines,* Gradiſcæ, *ſeu* Gradiskiæ: *ut, in* Croatia *ſive* Liburnia, *Gradiskia, eáque gemina, è regione ſibimet, cis ac trans flumen Savum, oppoſitæ: inter Zagrabiam & Ezeckum, mediô ferè ſitu.* (60) *Aliter vix conciliabuntur Abrahamus Saurius, in opere de Vrbibus; & Slejd. Redivivus. quorum prior, pag. 672. ait.* Gradiſca, iſt ein Oeſterreichiſche Veſtung in Friaul / ſambt einem geringen Stättlin / *&c. poſterior verò, in anno 1616. lib. 21. pag. 1469. col. 1. poſt princ. inquit.* Dardurch dann (das iſt / durch der Venedigern Stuck-Geſchütz auf Gradiſca) vil ſchöne Gebäu / vnd ſonderlich der Thumb / verderbt worden. *Niſi fortè* Specioſa *illa* ædificia

ficia (*& ea quidem* MULTA,) *omnia, aut pleraq;, ad Arcem pertinuerint. ut adeò, eam* amplam admodum *fuiſſe, neceſſe ſit. Vel denique; Niſi revera annô 1616. in oppido quoque ipſo Gradiſcâ, fuerint, &* Multa, *&* Splendida *ædificia; ob quæ proinde tunc dici nondum quiverit* Exiguum oppidulum, Ein geringes Stättlin: *poſtea tamen tantopere vaſtata; ut, poſtremîs hîs annîs, quibus ea ſcripſit Saurius, univerſa illic ſqualere cœperint, ac jacére. Sic tolleretur diſſenſio ſcriptorum.* (61) *Abr. Saurius de Urbibus, in epitoma Gradiſca.* (62) *Aut adjectâ voce quoque aliâ,* Patria di Friuli, *ut* Zejllerus *aſſerit, Itin. Italici cap. 2. pag. 31. col. 2. initiô.* (63) *Ità nominat eos Abrahum. Ortelius, in ſua Pannonia, &* Illyrici *tabulá.* (64) *Item,* Cividal d'Auſtria, *vel* Civ. di Auſtria. *& Philippus Cluvierius,* Cividal di Friuli, *in tabula* Italiæ. *&* Zeill. *Itiner.* Italici *cap. 2. pag. 31. col. 1. ad fin. Perperam verò Niger,* Forojulium *urbem veterum, opinatur, fuiſſe* Utinum *hodiernum. de quo infrà.* (65) *Vulgò, Udine, Udene, Vedinum (apud* Zejllerum*, locô proximè cit. col. 1. ad med.) & Germanis,* Weyden. (66) *Sic dicitur* Italis. *At Jodocus Hondius, in tabu-*

tabula Forojulii, Turrum *nominat, in maſculino 2. declinationis.* (67) Nummis, *qui fundamentis immiſſi ſunt, alterâ parte ſeu facie, hæc legebantur inſcripta verba, per marginis ambitum :* Forojulii, Italiæ, & Chriſt: Fidei, propugnaculum. I*n medio verò nummi*, Crux *erecta ſtans ; cujus ad pedem, vox*, PALMA: *ſupra caput autem Crucis, in ſemiarcu*, In hoc ſigno tuta. *Abr. Saurius, in urbe* Palma: *& Jodoc. Hondius, in tabula* I*ſtriæ ac Forojulii : & Zejllerus, in tab.* Palmæ. (68) *Hîc, (niſi nihil prorſus video) ſecum ipſe pugnat Abrahamus Saurius, Opere de Urbibus, pag. undec. ſic ſcribens.* Die Gräben vmb die Veſtung/ ſeynd zwölff Schritt braitt/ vnd zwölff tieff. *paginâ verò mox ſequente, ſcil. 12. ait*, Die Gräben (*circùm urbem Palmam*) 30. Schritt braitt / vnd 12. tieff. (69) *Non autem urbs* Palma *tantos hos reditus percipit è regione Forojulienſi : ſicut tamen aberrans Saurius, ſuprà cit: ſcripſit, ſine, de Palma; non aſsecutus videlicet* Zejlleri *mentem : qui, de* Venetiar. *urbe, vel Republ., non de* Palma, *loquitur pag. 31. col. 2. ad med. v. 20. & 21. &c.* (70) Z*ejllerus* I*tin.* I*tal. cap. 2. pag. 31. col. 1. ad med.* (71) *Annô 1513.* (72) Z*ejller.* I*tin.* I*ta-*

Digitized by Google

Italici c. 2. pag. 31. col. 2. ad med. Purcîa *fortaſſis eſt illa Jod. Hondii, in tabula* Forojulii, *inter Livenzium fluv. & alium quendam, Hondio innominatum, ab Oriente illi oppoſitum; ſupra Portum Buſaletum, Livenziô circumdatum, in inſulæ modum.* (73) *Annô 1507.* (74) Gefürſtete Grafſchafft. *ut eam appellat Hermanus Adolphus Authes, in Urbibus, tit.* Goritia, *initiô ſtatim.* (75) *Jodoc. Hondius, in Atlante Minore, tabulâ Forojulii, pag. 512. col. 1. ad init.* (76) *Saurius hîc, & in iis ferè plerisq;, quæ de* Goritia *dicta ſunt, videatur, in Opere de Urbibus, pag. 659.* (77) *Joan. Cluverius, in annum 1616. pag. 477. col. 2. poſt med. Edit. Lugduno-Batavicæ, vulgatæ annô 1645. De detrimento verò, ab Italis tunc captô, Redivivus Slejd. ait, lib. 21. pag. 1469. col. 1. poſt med.* Ob wol mit ſchieſſen/ vnd ſtürmen/ die Venetianer gewaltig angehalten; ſeynd ſie doch allezeit abgetriben worden: vnd haben mit Verlurſt weichen müſſen. (78) *Die 29. Martii: ut tradit Contin. Slejd. recentior, pag. 1469. col. 1. poſt med.* (***) *Idem Contin. Sl. loc. cit. col. 1. ad fin.* Darzu ihnen die Schantzkörb/ ſo die Venediger hinterlaſſen/ zum beſten kommen. (79) *Gott-*

Digitized by Google

Gotthard. Arthus, Actor. public. lib. 21. pag. 1469. col. 1. ante fin. Ubi addit etiam; Poſt copiarum recenſitionem, Quatuor millia, *quà militum, quà foſſorum, fuiſſe deſiderata. Quia tamen non aperit, Venetorúmne damnum iſtud, an Auſtriacorum, fuerit (cùm utrique cuniculorum effoſſionibus, & aggerum exſtructionibus, fuerint occupati); ponendum, in incerta re, nec ego cenſui:* Utrorum *ea fuerit jactura?* (80) *Abrah. Saurius, de Urbibus, V.* Görtz. *pag. 659.* (81) *Jul. Cæſaris vox eſt* (diſparare) *hôc ipſo ſenſu, lib. 7. de bello Gallico, longè ante medium, de Vercingetórige: qui, ab Avarico expugnato refugientes ad ſe,* principibus civitatum diſparandos, deducendósq; ad ſuos, curârat. *Germ.* Von einander thailen/ abthailen/ ſchaiden/ abſönderen/ von einander ſchaffen/ oder bringen. (82) *Slejd. Rediv. lib. 21. pag. 1484. col. 1. med. De* Viennenſibus *verò, pro Archiduce, delectibus, idem auctor tradit, lib. eod. pag. 1469. col. 2. poſt princ.* (83) *Goth. Arthus, Act. publ. lib. 21. pag. 1476. col. 2. poſt med. & ante fin. Verba ejus, ſunt iſta.* So hat auch der Türggiſche Kayſer Patenten den Venedigern zugeſchickt: daß ſie in ſeinen Landen/ ſo vil gehuldigter Chriſten/ als

Digitized by Google

als ihnen vonnöthen / werden möchten. (84) *Quorum probabile eſt, 4000. fuiſſe; ex Continuatoris Slejd. verbis, pag. 1469. col. 2. fin. conjecturâ ductâ.* (85) Biß auf 2. Welſche Meyl / *id eſt, ſemimilliare Germanicum, ait idem Continuator Slejd. pag. 1476. col. 2. ad fin.* (86) Tſorſium, *alioqui, ſeu* Zorſium, *quædam gentes appellant,* Georgium. *Eſt tamen & familiæ, opinor, nomen,* Zorſiorum. (87) *16. Novembr. Slejd. Rediv. pag. 1476. col. 1. ante med.* (88) *In æde S. Laurentii. Idem ibid.* (89) *Is locus videtur eſſe, qui Martino Zejllero, duabus in tabulis diverſis, quas hic Itinerario ſuo Italico præmittit,* Marano *dicitur, contra* Proſenîcum, *quod ad Occaſum eſt. Nec enim reor,* Moriano *id eſſe, quod inter Nadiſónem, & Liſontium, amnes, Gradiſca ac Roſazzo medium ferè interjacet: ac, per quartam, & non per primam, Latinorum vocalem, ſcribitur.* (90) *Slejd. Redivivus, lib. 21. pag. 1484. col. 1. & 2. Quòd verò Joann. Cluverus, (more ſuo plerumque rebus Auſtriacis iniquior,) hôc ipſo annô refert, pag. 774. his verbîs;* Cæſus Pompejus Juſtinianus, militiæ Venetæ magiſter; rurſus à Joanne Medice Trautmansdorffius; *id de* Pompejo *apud idoneos*

Anni Acta.

doneos auctores reperio, occubuiſſe eum. de Trautmansdorffio verò, à Medicæis viciſſim caſô, nondum reperi; hôc quidem annô, in quem iſta Cluverus refert. Niſi fortaſſe, per antiphraſin, qui vicerunt, victi dicantur: &, qui victi, viciſſe. (91) Apud Latomum, pag. 6. Actorum publicorum, ad fin. (92) Non (ut perperam Meureri librarius) Pontaſellæ, quaſi pons, vel pontes, aſellarum: Eſelbruggen. (93) A Zeillero, ipſo fine Itinerarii Italiæ, cap. ult. Pont A Fella ſcribitur, q. d. Fell-brugg. Aliter, Pontebaſſo, & Pont à Fella dicuntur Germanis, Welſche Pantoffel/ apud Latomum Act. publ. pag. 98. (94) Meurerius, in Actis publ. pag. 88. & 98. ipſo libri fin: (95) Vide Gotthard. Arthuſium Dantiſcanum in Slejd. Rediv. lib. 21. pag. 1483. col. præſertim 2. & Appamianum, in hunc annum, num. 2. ubi legatos ambos nominatim exprimit. Cæterùm, ultima dictio, Animoſitas, hôc locô ſignificat, vehementiam & impetum animi, habentem in corde ſedem ſuam: &, ut Speuſippus Philologus definit; Impetum violentum partis animæ irrationalis, quæ rationi non acquieſcit. (96) Militare priſcorum, & à Latio non alienum, vocabulum, Emanſor: qui ſcili-

ce

cet ultra tempus, ſibi conceſsum, à caſtris abfuerat. Ideóq; ab auctore Actor: publicor. Gotthardô Arthuſio, non dicitur Deſertor, Ein Entloffner / oder Außgeriſſner / *ſed*, Ein Venturier. *qui Italis (cujus gentis iſte, Genuâ veniens, erat) appellatur* Venturiero, vagabondo, che non torna, ad [illegible]o aſsegnatoli, *inquit fil. Henrici Petri, in [illegible]p. undecim linguar.* (97) Libertas præferenda eſt commodo pecuniario. *Inſtit. de eo, qui liber. cau. bo. adjiciuntur. &c. Item*, Liberum corpus non recipit æſtimationem. *l. 1. §. ſed, cùm liber. & l. fin. ff. de his, qui deje. vel effu. &c.* (98) *Jacobi Caſtaldi tabula Pedemontii, ut & Jod. Hondii &c. pro* Orfengo *Continuatoris*, Ofengo *ſcribunt. Eadem, pro* Aſtigliano, *notant* Aſiglianum: *idq; collocant inter fluvios, Lampon & Navilion, ſitu ferè mediô. Eadem quoque* S. Germanum *videntur nominare*, Szerman, *ad lævam fluminis Navilionis, ante Vercellas. Eſt & aliud* S. Germani, *in valle Peroſa, oppidum, ad lævam fluminis Chiſonis; longè poſt Turinum, ad Occaſum æſtivum.* Tortóna, *ad flumen Scriviam eſt; quod à meridiana plaga in Padum decurrit: urbs, & ditio, quæ & ipſa Tortóna dicitur.*

(99) Craſentin S. Stovan, *Jodoco Hondio, in tabula Pedemontii Atlantis Minoris. Cæterùm, aliter de prælii iſtius exitu Gramond. curiæ quondam Toloſanæ præſes, ſcribit libr. 2. in geſtis Ludov. 13. hîs verbis.* Movetur atrox bellum (*hoc verè*); cujus incerti caſus; jactura, utrimque levis; Mars æquus. *Sed id nec Hiſpana recipit, neque Germanica Relationum fides.* (100) Philippum de Bethune, *Baronem de Selles & Charots: ſeu (ut in Indice præliminari eum appellat Gramondus)* Charróum. (101) Maſseránum, *Jacobus Caſtaldus, in tab. Pedemontii, nominat,* Maſaram: *Grevecortum verò,* Crevacor. (102) *Gregor. XV. Pontif. Max. qui, Cardinalis jam factus, Paulo V. ſub menſis Januarii finem extincto, ſucceſſit annô M. DC. XXI. Gabr. Barthol. Gramond. in geſtis Ludov. 13. lib. 8. ſub init. & Joannes Cluverius pag. 789. col. 2. ad med. & alii. Addit verò, Cluverius quoque, de eo;* Alexandrum Ludoviſium, Bononienſem (*hic fuit Gregor. XV.*) pace, inter Sabaudum & Hiſpanos factâ, nobilem fuiſse: *quippe, qui ſe, & Caroli Emmanuelis Ducis, & Petri Toletani, Proregis Mediolanenſis, poſtulatis mutuis medium interpoſuerit. Hujus porrò Proregis nomen,*

nomen, & cognomen, quæ attuli, reperies apud Gramond. de geſt. Ludov. lib. 2. an. 1616. §. Per ea tempora. *&c.* (103) *Latomus, in Actis publ. anni 1616. pag. 93.* (104) Etlich wenig Wochen vor diſem Verlauff (*ſcilicet, rerum 1. 2. & 3. Septembris Lutetiæ actarum*) *ait Gotthardus Arthuſius lib. 21. Slejd. Rediv. pag. 1482. col. 2. med.* (105) *Gramond. in Indice præliminari, litt. C.* (106) *Fuit enim* Concinus Concini (*is, qui, Mariæ Medicææ reginæ promotu, poſtea* Marchio d' Ancre, *deinde* Franciæ Mareſchallus *creatus eſt*) *patriâ Florentinus, è Tuſcia: velut alibi indicavi, Septenniô II. ad annum 1610.* (107) *Hæc plures tradunt, de detentô Principe Condæo: déq; geſtis, hujc eventui annexis. ſed præſertim, Gotthardus Arthus Dantiſcanus, lib. 21. pag. 1478. ſatis accuratè. At fuſius, Gabr. Bartholom. Gramond. lib. 2. de geſtis Ludovici 13. à pag. 122. uſque ad pag. 130. excluſivè, edit: Ambſtelodam. Elzeviriana, in oct. forma, an: 1653.* (108) Lepante *hodie, &* Lebante *vel* Levante, *dicitur, in Sinu ſeu freto Corinthiaco.* (109) Vaſellas *appellant. Appamianus, in hunc annum.* (110) *Janizaros.* (111) *Appamianus, in hunc annum, num. 5. De Tuſcis au-*

tem, & Melitenſibus, Meurerius in Actis pu[...]
paginis 39. & 40. (112) Et hinc Achmet[...]
hic, Turcarum Imperator, (quem annus pr[...]
ximè ſequens ad plures mittet) tam ſollicitè [...]
gato ſuo mandavit Pacis, cum Matthia Cæſa[...]
firmiùs ſtabiliendæ, negotium; eò, quòd tanto[...]
re urgeretur ipſe à Perſa. Gotthard. Arth[...]
lib. 21. Actor. publ. pag. 1472. col. 2. med.
firmata Pax eſt, Calendis Maji. De Schac[...]
Aba verò, Turcam premente, Appamian: [...]
dit, num. 5.

METRUM.

SEXTUS, poſt DECIMUM, Solis rapit [...]
nuus axis
Sanguineis Venetos, Iſtra per arva, rotis.
Martius, alternis currus ſubſultibus ardens,
Hos modò, mox illos, deprimit, atque levat.
Succumbit, qui victor erat; ſtraturus, in orbem,
Caſuruſque iterum, ſicubi fata ferent.
Fernandæa quatit dux Trautmansdorffius arma:
Pompejus (1), Bembi nomine, bella gerit.
Hadriacos ſed ſirmius eques defecit, & ordo (2):
Fruſtra hinc tot (3) pyriis icta Gradiſca pilis.
At Styriis ſua præda fuit (Bacchi amphora) damn[...]
Bellaces retudit Creſſa lagena manus.
Crebrior Uſcóchos, majórque, ex hoſte referſit,
Divite rapta fretô, copia, rapta ſolô.

Septennium III. Annus 1616.



ACOMATH, al. ACHMETH. I., Turcarum Imperator XVIII.

Digitized by Google



Digitized by Google

Condit opes eadem, quæ belli incendia movit,
Prædabundê audax ZENGA jugoſa (4) Sinus:
ZENGA, latrocinii tam nota Liburnica palmis,
Quantùm vix Lyciis priſca Phaſêlis aquis (5).
Aſt ea nitratis dum hinc cœrulus Adria nimbîs;
Hinc, bicolor clypeis Auſtria, bella ciet:
Inſubrûm, Allobrogúmque, parùm conſtante ſepulta
Pace, reviviſcunt prœlia clade novâ.
Nec veteri, vel Roma ſatìs, vel Celtica nexu
Regia, diſſutas ſarcit amicitias.
Fax belli jam major erat, quàm, ut Tybridis illam
Vinceret aſpergo, Sequanicúsve (6) latex.
Incenſore gravi, (7) in furias adoleverat Ira:
Pro caduciferis, arbiter enſis erat.
Exempli vis prava, trahit citò *tertia caſtra:*
Allobrogum, igneſcunt Regna propinqua, face.
Heu, malè ſopitîs odiorum, in corde, favillîs
Pruna recandeſcit Gallica: jámque flagrat.
Libera Borbonidæ *(8) lingua, & via, carcere clauſa,*
Diſſidii pandit liberioris iter.
Diversis, quibus Una fuit formido, vel ira,
Ménsque eadem, redeunt in nova bella, vils. (9)
Quis furor, ô miſeri, ac Chriſti *malè nomine cenſi,*
Tela jubet veſtras non bona ferre manus?
Allobrogem dimittat Iber; ſit Lingoni concors
Lingo ſuo; in Venetum Dalmata fœdus eat.
Eminus, en! caput, ac jugulum, monſtrabo, quod ardor
Sanctior, & Mundi nobilis Ira, petat;
Boſphorium, (10) *ingentem, vittatum in cornua,* (11) *TAURUM,*
(Nam titulô Achmeten *quô meliore notem?)*

S 4 *Hunc*

Anni Acta.

Hunc jam pridem, arctis clauſum, manus omnis, ab omni
Auroræ axe, premit rebus; & enſe rotat.
Tuſcus, ab occaſu; Libycos Melitæus ad Auſtros;
Et prædam, ad Boreæ clauſtra, Coſaccus *agit.*
Hic idem, Euxinis jam non contentus (ut olim)
Portubus, aut ſpoliis, Maurothalaſſa, (12) *tuis;*
Heniochos (13) *ultrà, ſupráque Mæotidas undas,*
Sarmaticâ *exurit* Turcica-rura *face.*
At procùl, ad croceæ roſeos Tithonidis ortus,
Thracica ſub Parthis Luna laborat equis:
Inque Otomanniadas, armorum æternus, & iræ,
Quo cœpit Schahabas, *hôc pede cœpta premit.*
Ergò, ſub innumero circùm undique dente gementem,
EUROPA, incolumem quò ſinis uſquè bovem?
Cúmque alii conſtrictum agitent, ſodiántque, trahántque;
Tu fugis, emeritâ cuſpide conficere?
Ac potiùs, quàm hæc torva tuos riget hoſtia cultros,
Victimam in hoſtiles te facis ipſa focos?
O, monſtrum! Europês jam retrò fabula verſa eſt!
Non amat EUROPEN Bos (14); *amat iſta* (15) *BOVEM.*

NOTÆ.

(1) *Cognomentô* Juſtinianus: *qui, auſpiciis Sereniſſ. Venetiarum Ducis,* Joan. Bembi, *ac Reipub., exercitum terreſtrem, adversùs Styros ducebat.* (2) *Ductores* idonei: *ſinè quibus* ordo, *in caſtris, agmine, acie, militiáq; generatim univerſéq;,* nullus. (3) *8000. numerati*

rati Venetorum globi, adversùs Gradiſcam emiſſi, è tormentis bellicis: ut in Corpore retuli. (4) Zenga *namque, ad maris Adriatici ſinum Dalmaticum, inter aſperos, editóſq; ſcopulos, cum arcibus duabus ſita, ſedet.* (5) *E Ciceronis namque ſententia, prædonum illud caſtellum,* Phaſélis, *ad mare Lycium erat.* (6) *Séquana, fl. Pariſiorum-Lutetiam interſecans.* (7) *Quem Appamianus Epiſcopus, in annum hunc, num. 2. nominatim ponit.* (8) *Princeps enim Condæus, is, qui hoc anno ductus in arcem Baſtiliam eſt, Henricus fuit II. Borbonia, regiáq; ſtirpis Heros: Ancræana acta ingenuâ libertate, tam oris, quàm calami, improbare cum multis ſolitus.* (9) *Guiſii namque fratres, & Dux Mayenius, auditâ Condæi comprehenſione, relinquentes aulam Pariſinam, Sueſſiones petunt; Dux Vindocinenſis, Picardiam; Dux Bullionius, Sedánum: alii alia locorum; conſilia coquentes, & caſtra, cum animis & amicis ſuis.* (10) *Conſtantinopolis (quæ Sultanorum Turcarum ſedes) ad fretum eſt ſita, cui* Boſphoro Thracico *nomen, indè, quòd à* bove *tranſmeabilis; &, (ſi fabulas amplectimur,) tranſmeatus ſit. Sin* allegoriâ *potiùs tibi placet, & hiſtoriâ; reverà,*

Sultanus Turcicus, *Mahometes II. Amurathæ filius*, *Orientis Imperatore Conſtantinô Palæologô*, *Joannis Pal: filiô*, *expugnatô Byzantiô*, *è Minore Aſia tranavit*, *per Boſphori hujus Thracii fretum*, *in Europæ continentem. ubi etiamnum paſcitur*; *&*, *omnem indies viciniam magis magísq; circumpaſcendo*, *ſaginatur*, bos pinguiſſimus; *quoad aliquando* (*Deô ſuam in nos iracundiam finiente*) *aut diſrumpatur*, *aut mactetur.* (11) *Turcica Sultanorum* tiara, *ſeu turbinatum capitis tegmen*, *habet ſimilitudinis aliquid cum* vitta, *qua* boum *olim immolandorum capita evinciebantur*, *&*, *ornatûs quoq; gratiâ*, *quodammodo coronabantur.* *Quem morem & S. Lucas*, *Actor. 14. cap. referre*, *non indignum divinô duxit ſtylô. verſu 12.* Sacerdos Jovis, tauros & coronas ante januas afferens, cum populis volebat ſacrificare (*Barnabæ*, *ac Paulo*, *velut Jovi*, *& Mercurio*): *ubi Græcus*, ταύρυς, *ait*, καὶ ϛέμματα, ἐνέγκας. *tauros*, *& coronas*, *vel vittas*, *exponit Henr. Steph.* tauros vittatos. *Tangit eundem*, *circa* boves, (*laboribus priùs*, *quàm ſacrificiis*, *deſtinatos*,) *etiam Tibull. ritum*, *lib. 2. eleg. 1.* ut à priſco traditus extat avô. Luce ſacrâ —

— nunc ad præſepia debent

Plena;

Digitized by Google

Plena, coronatô ſtare boves capite,
Hæc, pro Vittato *explicando bove ac* taurô, *ſufficiant. Quòd autem*, Vittatus in Cornua, *dicatur; exponi poteſt, de augmento* Superbiæ *Otomannitæ: quæ quotidie, altiora sê, tollit* cornua *ſui faſtûs. De* Cornibus *item* Lunæ, *tiaræ nonnunquam Sultanicæ ſuperimponi (pictorum ſaltem aſsentatione) ſolitîs, explicare, pronum eſt. His addo; non defuiſse, Ægyptios inter Sultanos, (quorum & in cidarim, & in regnum, Otomannidæ ſucceſsêre) qui* vittas *ſeu tiaras*, verè cornutas, *geſtarent: ut & Sultanæ ipſæ. Vide Joan. Jacobum Boiſſardum, in Iconibus Sultanorum.* (12) *Sic à Turcis dicitur, (qui* Mare Maggióre *Italis,)* Pontus Euxínus. (13) *Populi, ſuprà Pontum Euxinum, infra Boreales Caucaſi montes (ceu clauſtra carceréſq; ventorum Septentrionalium) ſiti, ultrà Europæ, Tanaíſq; fluminis, terminos Orientales: & ideò, ad* Aſiaticam *jam, & non ad* Europæam, *Scythiam pertinerates. Græcis, ἡνίοχοι; Latinis*, aurigæ, *habenarum moderatores, & quaſi* eſsedarii. (14) *Nota fabula, de* Europa, *puellâ Phœniſsâ: quam Juppiter, ut ſibi conjungeret*, tauri *figuram aſsumens, à littore, quod Tyrum & Sidonem*

Anni Acta.

donem interjacet, in littus transportavit illius Occiduæ terrarum partis, quæ deinde, à transportata, nomen Europæ *cepit.* (15) *Fœderum, ac ſocietatum, cum Turca, nexu: Dacicîs præſertim à Satrapis ſæpe captatô.*

APOCOMMA I.

In Scriptore rerum,

Livida taciturnitas, & mendax maledicentia, parî ferè ſunt in cenſu.

I. EOrum, qui *profana*, ſeu Pacis *Acta*, ſeu Belli, componant, numerus paſſim ſat magnus eſt. Ad *Sacra* ſola ſiquando ventum eſt, à partium præſertim *heterodoxarum* immoderatè ſtudiosîs; in vaſto licèt rerum narrandarum Oceanô, pauci tamen rarique ſunt, fidei non fluctuantis. Nam, aut invidiâ ſecundorum *Eccleſiæ* ſucceſſuum, in univerſum, & malitiosè, *ſilent*: aut, corruptelâ veritatis, pejùs ſæpe *loquuntur*, quàm tacuiſſent; dum crimina, quæ non inveniunt, confingunt. Hujus, in hiſtoria, dedecoris, quotus hodie quiſque ſectario-

ctariorum, reus non eſt? Buchananus Scotus; ut in *Stuarta* creberrimè deprehenſus eſt. Slejdanus, Teuto, paſſim; Suppletor Slejdani, ſæpe: ſicut & Francus, & Meurerus, ac, ſeu genuinus, ſeu ſuppoſititius, Thuanus. Cluverus verò Cimber, nunquam non, quoties (quod alibi ſtomachatus ſum, fieri,) *pontificiarum* partium vel rimulam invenit commenti, quà calumniam intrudat. Ex horum igitur (quod dicere cœperam) claſse, qui *ſilent*, ſic agunt; ac, ſi frondatorem ignavum, in ſylva magnâ, ſuæ deſtitúere ſtirpes, & materies, arguantur. qui verò *loquuntur*; garriunt magìs, ac latrant: quando nominatim, viros etiam Principes, à transfugio majorum ſuorum ad Orthodoxorum caſtra ſeſe recipientes, aliquantò contumelioſiùs etiam incéſsere, non erubeſcunt; quàm eos ipſos, qui, *Lutherum* eorum ejurantes, *Calvino* ſacramentum dicunt.

II. Quod impudentiæ genus, inter cæteros, nec à Sereniſſimo quidem abſtinuêre NEOBURGICO, Rheni Comite-Palatino, WOLFGANGO WILHELMO: cujus de geſtis, memoratu cæteroqui digniſſimîs, per hos aliquot annos, apud complu-

Dux Neoburgicus.

plures, aut *ſilentium* eſt altum; aut obliqua *mentionis*, in transcurſu, *ſtrictura*. QUIS autem unquam, è ſuî ſolâ ſiccâque nominatione, crevit! niſi, quòd interim, per ſeipſam magna ſatìs altáq; Virtus, *occultô* (*ſicut arbor*) *avô* ſe protrudat: alienâ, nec laude corpulentior, nec malevolentiâ macrior. Unde, *Leonem* illum, quem dixi, *Neoburgicum*, tametſi vel maximè nunc adhuc viveret, (ſicut tamen in Sereniſſimo filio, nepotibúsque luciddiſſimis, ſupervivit) non imminuturus eſset protervus ille Wilhelmi Stratemanni, *Theologiæ* (qualem ſe profitetur,) ſectariæ *cultoris*, morſus: quo crepat, *Mortuô Philippô Ludovicô, Comite Palatinô, VVolfgangum VVilhelmum filium, Lutheranam Religionem deſeruiſse, Pontificiam amplexum; Papiſmôq; provinciam* INFECISSE. (1)

III. Sic nempe Weſtphalo viſum huic, Oſnabrugæ nato; doctrinæ Proteſtantium innutrito; Jenenſiúmq; prælô ſua vulganti, ſub annum præſentis Sæculi quinquageſimum ſeptimum. Qui tamen, ſiquid erga *Principes Imperii* pluſculum à matre trahere didiciſset obſervantiæ: premere veſtigia ſaltem *Arthuſii* poterat, *Dantiſcani*; præſentis anni *San-*

Digitized by Google

Sanctiones Neoburgicas candore ſimplicî referentis : earum verò cenſuram, partibus Religionum, & in medio, relinquentis.

IV. Memorat autem is ; ſub anni decimi ſexti principium inter primas pariter curas habuiſſe *Ducem Neoburgicum*, Decretô principalî mandare ſibi ſubjectis, & ſubjectorum rectioni vicariæ præfectis : *Darent operam*, ut in provinciis ſui *Palatinatûs* omnia, quàm poſſent, ordinatiſſimè procederent. *Non poſſe* verò *geri quidquam ordinè, niſi pariter & religioſè.* quæ religioſitas cùm conſiſtat in cultu Numinis recto, ſacrorúmque ritu, qui ſe quàm proximè redigat ad primorum Eccleſiæ ſæculorum ſanctimoniam ; patére ſanè, divinô munere, nunc omnibus atque ſingulis ſummæ facultatis januam, palàm profitendi ſe gerendíq; tales ; quales magna pars jam dudum occultè *voluiſſent* ; omnes verò, *debuiſſent* ; ſi, *QUIETÆ Reip. principium eſſe Pietatem*, agnoviſſent. (2) Jàm ergo, quibus ea mentis à Deo ſanitas eſſet immiſſa, redirent ad Eccleſiæ veræ gremium ; altaris incruento Sacrificio reverenter aſſiſterent : concionibus orthodoxis libentes præberent aures ; incor-

ruptæ

Dux Neoburgicus.

ruptæ religionis articulis ſe ſuósq; formandos darent: ſcholis pueritiam, ſub magiſteriis ſanctioribus, inſtituendam traderent: publicas ſupplicantium proceſſiones, ac piè peregrinantium itinera, nec ipſi refugerent, ſuîs in terris; nec ad ſe, locîs ab exteris, eô ritu venientes, averſarentur. Quotidie quoque, diluculò, meridie, veſperì, ternîs æris Campani pulſibus ſe nôſsent admonitum iri, de turribus oppidorum & pagorum; ad recolenda *Chriſti concepti, patientis*, ac *morientis*, ſacra myſteria, per tantillum ſaltem temporis, è Chriſtianæ pietatis antiquiſſimô ritu. Præterea, *Gregorianis* in poſterum è *faſtis* anni tempora, feriatósque dies, ordinatum iri; ſeu *mobiles* illi, ſeu *fixi* ſint: ad eásq; menſium interpunctiones, negotia ſua ſacra profanáque (ſalvô *Juſtitiæ* curriculô) digeſturos eſse cunctos; antiquatâ *calandi* methodô *Julianâ*. Matrimonia quoque poſthac, è legum Eccleſiaſticarum norma coaleſcere, jubebat: non utì cujuſvis animo libitum foret; nec, (ut antehac) ad *Principis civilis arbitrium*; conjugia graduum certorum ſanguinis, aut affinitatis, legibus eximentis; aut, adversùs decreta Canonum, *rata*

rata pronuntiantis ea, quæ jus declarâſset *irrita*. Caverent inſuper *Miniſtri* Proteſtantium *concionales*; verbîs ex edito locô, ſermonum commerciîs è plano, ſatyrîs è charta, cantilenísve, convitiari *Catholico* nomini, populo, Principi. Sacrorum demum univerſim cultu, vel inſtitutis, lacerandìs, & *Lutherani* finem facerent; &, in refutandis his, *Orthodoxorum* ſtomachoſiores modum ſibi ſtatuerent. Ad ſacra denique *Romanæ* profeſſionis tranſituris, *Proteſtantium* nemo, vel obicem poneret, vel remoram injiceret: non *convicium* cujquam eorum diceret, & multò minùs *diem*; tanquam transfugæ, fœdifrago, perjuro. Sic enim, auctoribus fide dignîs, comperiſse ſe; non deeſse, qui, ſuîs in ditionibus, vota (ſi cœlo placeret) ſuſcipiant; *fœdera* mutua feriant; & *conjurationes* inter ſe faciant, *nunquam Lutheri doctrinam ejurandi*, *Romanam nunquam admittendi*. ſecus; infames in omne tempus, & inteſtabiles, Deo, cœlitibus, ac mortalibus, viſum, habitum, & dictum iri. *Quaſi verò, Bonos contra mores præſtitum juramentum, inducere cujquam obligationem queat?* (3); aut, *in promiſſis improbis, obſervari fidem,*

T *expe-*

Dux Neoburgicus.

expediat? (4) Aut, tanquam ovem, per devia diu vagam, gregi ſe reddere, ſtigma, non ſanitas, foret? &, à ſectis ad Eccleſiæ concordiam reverti, peſtis, non ſalus, eſſet? Dirumperent igitur, quotquot id genus pactîs innodâſſent ſe, nexus tam pernicioſos: omnéſque, quód in *Eccleſiæ* ſinu nunc Princeps, idem & Principi fideles clientes, ſentirent, ac dicerent: quandoquidem alioqui, *diviſione manente mentium in membris, habere ſe bene nequeat caput*: & qui, per repulſam agnitæ Veritatis, obſtinatè Spiritui divino repugnent; *adverſùs ſtimulum* ſint, ſed æternô ſuô vulnere, *calcitraturi*. (5)

V. Talia religioſiſſimi *Ducis* monita, *Dantiſcanus*, quem dixi, *ſcriptor*, monimentis publicis (6) inſerebat. Cæterorum pleriq;, ſepelire ſilentiô; vel, ſepulta jam, ſtylô maledico refodere, maluerunt, ad infigendum dentem: ne nihil hîc agerent, *buſtuarii canes*.

TESTIMONIA.

(1) *Stratemannus, in Theatro Hiſtorico, pag. 1110. ad med.* (2) Pietas ad omnia utilis eſt. *1. ad Timoth. cap. 4. v. 8. In Græco,* ἡ εὐσε-

ἡ εὐσέβεια πρὸς πάντα ὠφέλιμός ἐστιν. *Eodem ſpectat, quòd idem S. Apoſtolus urget,* Obſecrationes & orationes fieri, pro Regibus *etiam*, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt; ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni Pietate. *&c.* ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ. *Regnorum, è contrario, principatuúmq; ſubverſiones, è neglectu ſecuta ſunt Pietatis.* Propter impietates enim ſuas iſtæ deletæ ſunt nationes (*Chanaanitidis*), *inquit S. Moyſes, Deuteron. cap. 9. v. 4.* (3) *ca.* non eſt. *58. eo.* (4) *ca.* in malis. *69. de re. in 6.* (5) *Actor. 9. v. 5.* (6) *Vide Arthuſium in Slejd. Redivivo, initiò.*

METRUM.

Sub finem Operis.

APOCOMMA II.

Eccleſiæ proſper, etiam inter procellas ſuas, progreſſus.

I. INterdum inexſpectata (dicam autem, & deſperata,) tamen ex transverſo fiunt. A Babyloniis, ecce! num poterat ali-

Eccleſiæ proſper progreſſus.

Digitized by Google

quid provenire boni? num poterat oriri; niſi *turbidum*, &, è nominis profeſſione, confuſum? *De terra* tamen eâ, *Veritas eſt orta: Miſericordia, Juſtitia, Pax*, inter ſe *ſunt oſculatæ* (1): talî, qualem exſequor, eventu ſucceſsúque rerum.

II. Eſt, hac tempeſtate, Meſopotamiæ clarum oppidum, *Amédum*, Euphraten inter ac Tigrim ſitum: *Patriarchæ* Babylonii (poſt ipſam nempe Babylonem à radicibus exciſam) *pontificia* nunc ſedes. Eam tunc, jam & annali ſuperiore nominatus nobis, ELIAS tenebat quidam: ad quem, fidos per internuntios, PAULUS Quintus, Pontifex Max., utì dixi, *FIDEI Romanæ* miſerat *Summam* orthodoxam. Isq; lectam, & expenſam, cæteris quoque, ſub ipſo regimen animarum ſortitis, inſpiciendam expendendámque tradiderat. Sub hæc autem, is idem, hujus ipſius anni menſe *Martiô*, ſuarum diœceſeon, ſacrorúmque curionum omnium, cœtum cogit: ſingulorum in concilio ſententiæ perrogantur, & colliguntur. Placet ad unum univerſis, quod ELIÆ placuerat; credere, ſentire, profiteríq;, quod in *Summa*, Pontifex ſummus, & Roma, crederent,

Digitized by Google

derent, ſentirent, loquerentur. Hæc, unâ ſimul omnes, & concordî voce, poſtulant, ut in acta referantur; & Acta, mox Romam. Inſpiceret Suprema ſacrorum Sedes; quid Orientis infra ſe ſubſellia, quid concilia Synodica, cenſuiſſent? recipienda, reciperet: improbanda, reſcinderet: adderet, demeret, immutaret, ex arbitrio normæ rectè credendi. *POST longam deviationem, quódnam* conſultius *ſupereſse* Salutis compendium; *quàm, Reditum ad Viæ Caput?* Id, in Chriſti ſponſa, Vicarióq;, quódnam aliud eſse; niſi CHRISTUM? (2)

III. Utinam verò, quam mentem tunc *Amédum* Meſopotamicum, de rectitudine ſacrorum, quámq; *Babylon* de Romanis *Clavibus*, in *præſulibus* ſuis induerat; ejuſdem, præjudicium ſaltem ſanius, eodem ipsô tempore, *Conſtantinopolis* etiam in Thracia, ſuſcepiſset! Sed nempe (quod rectè Satyricus antiquus admonuit) *non omnibus placet unum: &, unde roſas hic legit, ex eodem alius* hortô, laboríſque campô, *ſibi ſpinas abſcindit*. (3) Nam, en! unde Meſopotamici primates *in odorem currant unguentorum* Eccleſiaſtici balſameti, provocati litterîs & ex-

Eccleſiæ proſper progreſsus.

emplîs Europæorum ; indidem Byzantinus tyrannus, factorum magìs ſuſpicionibus, quàm ullîs pravè factîs, offenſus ac ſaucius ; opinionibus & conjecturîs *diſpungebatur*. Cúmque *timida* ſit *omnis* univerſim *Nequitia*, *ſemper ſæva præſumens*, ſemper *conſcientia* reæ *turbas* ſecum volvens (4) : multò maximè ſceleſtum *Achmetis* animum agitabant in partes omnes, etiam inter *vigilias*, curarum inſomnia ; *Quidſi contra me? quidſi cum his, per hos & illos, iîs, aut iſtîs in terris, ac finibus, aut maris Sinubus, canes Chriſtiani?* quorum tamen, apud iſtos, nihil cujquam, extra *prædones*, veniebat in mentem. *Piratarum* autem, communis erat, adversùs omne mortalium genus, armorum ardor : & omnium invicem, adversùs illos. Et tamen, in *Chriſtianos* præcipuus flagrabat, & indiſtinctus, *Sultani* dolor. Ringi, fremeréque, nominatim ; *Captivorum, è Galatæa turri, nexibúsq; nauticîs, crebram, præterq; ſuperiorum temporum morem, factam imminutionem* (nam & pretiô multi redimebantur; & novi pauciores, in manus veniebant.) *E mancipiis quoque, non-vinctis, in libertatem complura, vel aſſeri minimô ; vel abduci gratuitò ; vel ſuo-*

Digitized by Google

ſuopte ſe transfugiô vendicare. Baptiſmô furtim initiari, qui Mahometis in leges circumciſione veniſſent. Fugitivis Muſulmannorum, aſyla receptúmque pandi Siculorum, & Italiæ: tum ex iis, gradatim imperii ſui ſerpere proditionem. Ad ſummam! Hiſpaniarum regis, ac Romani Pontificis, opes, contra domûs Otomannicæ vires, amplificari firmaríque.

Talibus, & id genus aliis, opinionibus ſequioribus, ac querelis, fiebat; UT, quantumvis id, callidus apud Matthiam Imperatorem Pacis nundinator, Turca celaret, ſenſim tamen extremum in diſcrimen res Chriſtiana vérgeret; proximéq; plenum ad interitum, fortunæ capitáque Chriſtianorum omnium, ſub Otomannidis degentium, adducerentur. UT item *Sex* è *Societate* JESU *Gallicani* Patres in vincula raperentur. UT ex iiſdem, moleſtum poſt carcerem, magnanimè toleratum, *gemini* duntaxat *Peræ* retinerentur; *quatuor* verò, Chriſtianorum in terras, & in Occidentem ſuum, remitterentur. UT è *Franciſcana* demum familiæ Sacerdotibus, is, qui Patriarchæ Byzantino *vicariam* in Sacris orthodoxis operam navârat, decollaretur. (5) Ità videlicet, in conſiliis

Eccleſiæ diſpar progreſſus.

biceps Achmetes, *publicè* Pacem à Cæſare; *privatim*, bellum & gladium, in ſingulos, malebat.

IV. Cæterùm, dum ii, quos memoravi modò, capita ſua, Chriſtianæ religionis amore ſtudiôque, periculis offerunt, & impendunt, inter Thracas: alibi, deſertor impius, è diverſo, caput, & cervicem ſuam, ſuavi *Servatoris* noſtri jugo ſubducens, à Catholicis ad Calvinianos, & è Dalmatia profugiebat Magnam in Britanniam.

Fuit is, MARCUS ANTONIUS, DE DOMINIS cognomentô. de quo cùm *Chriſtophorus Helvicus*, chronologus ac profeſſor olim Gieſſenſis, ſcripta reliquerit hæc verba, præſentis anni compendiolis inſerta; *Marcus Antonius de Dominis, Archiepiſcopus Spalatinus, deſerens*, ut putabatur, *Pontificem; ad Angliæ ſe regem hôc annô confert:* Stratemannus, temporum breviator Jenenſis, poſt annos duodetriginta, (quorum intrà ſpatium, limpidior ei geſtorum veritas liquere facilè potuerat,) eadem ex *Helvico* verba deſcribens, ad apicem illa propemodum adnumerat: uſus & ipſe voculîs illîs, UT PUTABATUR. (6) tanquam in hôc,

Digitized by Google

hôc, aut rumor tunc, aut credulitas hominum, circumventa foret: ac Pontificem pontificióſque *ſimulatè* duntaxat, & *non ex animi ſenſu*, Marcus hic Antonius deſeruiſſet. Atqui, rerum exitus, &, quæ tradam in ſequentibus, oſtendent; Eum *Apoſtatæ* partes atque numeros omnes *ſeriò*, nimiôque plus, impleviſse, tum vivum, tum vitâ jam exutum. Non itaque, fugere ſe, finxit; ſed fugit: nec perſonam egit, ſed Omnia dedécora deſertoris. Ut taceam, In hujuſcemodi transfugiis univerſim, quæri non debere, Quàm ſeriò quiſque *receſſerit*; ſed, quàm bonâ poſtmodo fide *redierit?* quorum in poſteriore, deſertoris illius, de quo ſermo nobis eſt, cauſsa, famáque, vel inprimis claudicârunt: & ad extremum, collapſæ ſunt. Cùm autem clara ſonoráque *Marci* fuerit iſtius *Antonii*, meâ memoriâ, defectionis infamia; nec obſcurior poſtea, vel taciturnior, rerum ejus, apud noſtros & transmarinos, ventilatio; videor mihi rem, multis haud ingratam, præſtiturus: ſi, quæ ſuper eo, non vanîs auctoribus tradita, comperi, brevitate temperatâ recenſeam.

V. *Marcus* igitur *Antonius* hic, *ſtirpis*

Marcus Antonius de Dominis.

quidem fortaſſis (uti cognomen gentilitium, *De Dominis*, ſubinnuit,) nobilis, aut patriciæ, ſed ſenſim collapſæ, ramale; natus & educatus in re tenui fuit. Cùm autem ingeniô, diligentiâque litterariâ, polleret; in Italia, *Societatis* JESU familiam ambiens, ab ea receptus eſt: ac, poſt biennis tirocinii decurſum, politioribus ſcientiis exercendis & tradendis admotus; in iis brevì tantam in claritudinem pervénit: ut inveniendi ſubtilitate, facundiæ copiâ, ſingularíſque cujuſdam eruditionis famâ, cumprimis enitéret. Sed hæc Infanti culter, furioſo gladius, nitédulæ flamma, facta ſunt; in perniciem poſſeſſoris, opibus ſuis bonîs perperam utentis: poſteaquam præſertim, *Theologiæ* peritiâ locupletatus, contra præſcripta majorum, contráque ſapientiæ ſobriæ leges, amare *Novitates* opinionum cœpit; &, quæ rectè *Divus Thomas* docebat, ſecum ipſe tacitus depravare. (7) Quo fiebat, ut penès ſe peſtifera deceptionum errorúmq; ſemina compluria, ſeponeret: eáque per ſilentium aſtutum, in longum, ſed inobſervatus, reconderet; quæ ſuô poſtea tempore locôq; depromturus eſſet. Cùm autem, præter *innatam*

natam mentis *inquietudinem*, ac vecordiam, plurimi ſeipſum faceret, ſeſe miraretur, aliis item eſſe miraculo cuperet: popularis auræ ſtudio præcipuè deditus erat; & hujc animi ſui ſenſui, *Superiores* quoque velificari cupiebat, ac laborabat, in omnibus, quæ *Marco De Dominis* in mentem veniſſent. In ſummam! compoſitô foris cultu, diffictôq; vultu, *Religioſus*; ſed intus (ut ſubinde fit) pluſquam *profanus* erat: ex eorum genere mortalium, *qui ſe primos omnium rerum eſſe* (8) *volunt*; & ad ſuum omnia nutum arbitriúmque, celebritatémque, fieri poſtulant: ſiquis autem obſtet; aut perrumpere cuncta violenter, aut ſecum cuncta ſubruere, decretum habent. Jam tum itaque *Marcus* hic *Antonius* apices altos ſpirare: *mitras* & *Infulas* loqui: quódque *noſtrîs* legibus, vel *cogitare*, nefas, cathedras affectare pontificias. donec demum, tum hôc nomine, tum (ut *Spiritûs arrogans latè vitioſus eſt*,) aliîs utique compluribus, viſus ac factus eſt *intolerabilis*: diruptúsque ſuomet faſtu, diſſiliit. Nemine quippe retinere contendente, deprehenſam tandem, & convictam, ejus *ſuperbiam*; è Societate JESU, non *egre-*

Marcus Antonius de Dominis.

egreditur, ſed *ejicitur*. Quod ingens, & *vix unquam non interitûs præſagum*, opprobrium, manet, ac manebit ſemper, eos omnes; qui partem, & hæreditatem, altæ mentis, *de Dominis* his Deſpoticæ-nationis (9) habent; & intrà togæ latebras immedicabilî pravitate retinent.

VI. Poſt expulſionem porrò, *Marcus Antonius*, ex *Ordine*; quod is in eo diu ſpirârat, & ob quod maximè pulſus fuerat, *honoris* faſtigium, omni contentione prenſare perſeverans; haud ità multò pòſt votô potítur, & Epiſcopatu *Segniæ*: quæ (*Senia* veteribus,) urbs eſt Dalmaticæ regionis, inter *Flumen* oppidum, & *Seliſam*, ſitu ferè mediô. Poſt hæc autem, in cathedram evectus eſt *Archiepiſcopalem* urbis *Spaláti*; quæ, Jáderam ſeu *Zaram*, & *Raguſam*, interjacens, Adriatici maris Dalmaticum littus inſidet: cujus & in ſuperioribus mentio nobis incidit, cùm Iſtriam, ac finitima, percurreremus. Ea verò non ſimplex *Archiepiſcopi*, ſed Dalmaticarum Illyricíque diœceſeôn *Primatis*, ſedes erat. In qua tamen ipsâ; quantumvis excelsâ, votíſque ſuis attemperatâ, Dignitate, diu quieſcere *Marcus iſte*

non

Digitized by Google

non potuit. Ferebatur, in litem incidiſſe controverſiámque, ſuper *Eccleſiæ Spalatinæ* juribus, ac reditibus, cum alio, neſcio quo, Sacrorum præſule. Dati judices, & cauſsæ cognitores; cùm ſecundùm adverſarium, adversùs *Marcum*, pronuntiâſsent: viſi ſunt ei, ſeu gratiâ, ſeu nummîs, præcorrupti, judicium invicem corrupiſse. Fremere proinde; Quiritium fidem implorare; ſurſum deorſum omnia vertere miſceréq;, Marcus; & (tanquam, non Juris anceps aliquis apiculus luxatus, ſed mundi machina ſuîs emota cardinibus eſset,) clamitare; *Nullam in Eccleſia juſtitiam; nullam, ne Romanis quidem tribunalibus, curam legum, & æquitatis, eſse. denique, Quámnam eſse* Divinarum *poſse rerum* fidem, *ac firmitatem, illic; ubi nulla ſit* humanarum, *& in conſpectu poſitarum, ſinceritas?*

Equidem, litis illius quódnam *punctum* (ut ſic dicam) *jugulare* fuerit; compertum non habeo. Certum id tamen eſt; *Opinionibus, animos* controverſantium, *ſæpius, quàm Rebus, premi: Nullíq; facilè, nec Iram videri ſuam, nec cauſsam, injuſtam.* Sed demus tamen, litigatoris in gratiam; *Juſtum* in

Marcus Antonius de Dominis.

in poſtulatis ſuis Marcum Antonium, *Iniquos* in repellendo petitore fuiſſe Judices: quàm fatui nihiloſecius conſilii fuit, *ODIO nocentium*, *ſuâmet* facere *naufragium Innocentiæ?* Fecit *Marcus*: & illius, quod animô jam olim agitârat, ab Eccleſia transfugii, ſibi tam præclaram (ſi Superis placet) occaſionem in manus datam, utique gaviſus; profúgit ex Illyrico, primùm omnium, in *Germaniam* illam, quæ Lutheri Calviníque partium erat. Habebat autem hic, (*unius* Societatis, ac *duorum* epiſcopatuum, & *totius* demum Eccleſiæ veræ, deſertor,) fugæ ſuæ comitem, hominem, itidem Ordinis ſanctiſſimi (10) pariter, *Fideíq;*, fugitivum, & excucullatum: cujus exitus denique, meritis ejus reſpondit; ut in loco reddam.

VII. Per *Septentrionem* porrò vagus *Marcus Antonius*, è *Germaniæ ſuperioris* regionibus, pòſt paullò, deſcendit *Inferiores* in provincias. Et quidem, ut conſtaret, eum Luthero *Calvinum* anteferre; relictîs Saxonicîs, & Hanſeaticîs terrîs, in *Bataviam* aliquouſque, tandem autem & in *Angliam*, ſeſe contulit, hôc ipſo Sæculi præſentis annô decimô ſextô. Quacunque verò per urbes

Digitized by Google

urbes & populos incederet, *Gloria* (ſicut Gallicus eum ſcriptor nominat) *animal*; jactantiæ ſuæ quatiens armos, & contumaciæ ſuetæ cervicem erigens, dum *Hoſtem ſe Pontificis, & Catholici nominis univerſi perniciem*, fert: videbatur in id præcipuè ſummis conatibus ſuis intentus; Ut Sectæ fieret ejuſcemodi cujuſdam dux, & auctor, quæ nomen *à ſe* caperet; ac nempe, DE DOMINIS, (11) appellaretur. Hoc incitamentum ei fuiſſe ferebatur, errores primùm ſuos *amandi*; deinde, quàm poſſet, latiſſimè *propagandi*. Tanti veſano (proh nefas!) emebatur, & conſtabat, HÆRESIARCHÆ titulus!

Quæ verò, ſupra *Luciferianam* hanc arrogantiam, cætera fuerit hominis hujus vita, mores, fama: dicere ſingillatim difficiliùs poſſum, quàm conjicere.

Divi Pauli *verum, ac ſeverum, eſt oraculum*; *Hymenæum*, *Alexandrum*, *& alios*, bonam Conſcientiam *repellentes, etiam demum* Fidei *ſua navigium evertiſſe*. (12) *Conſcientiam* & *Spalatinus* hic à ſe, jam olim, & frequenter, *abegerat*. divinò permiſſu, ſubſecuta *Fidei* ſubmerſio; ne tabulam illi quidem,

Marcus Antonius de Dominis.

dem, ad enatandum, *firmam* reliquit. Supererat igitur, ET MALE SIBI CONSCIUS, ET PEJUS CREDENS, HÆRETICUS, ex quo proinde, tam medullitus, ac *bis*, *emortuô* truncô, quos *fructus*, niſi putridos, & pulverulentos, tibi pollicereris? *Non poterat Arbor mala*, proferre poma *bona*. Generatim quidem certè, Toloſani tribunalis præſes ſupremus, (13) in hiſtoria ſui Regis ac temporis, *Inconſtantem* eum ac TEMULENTUM hominem proclamat. Janus autem Nicius Erythræus (qui viderat atque nôrat eum, poſt apoſtaſiam,) in Icone Bzovianâ meminit illius, ut ANTISTITIS IMPURI (14). Quæ quidem *Impuri Temulentiq;* ſtigmata, tametſi fortaſſe per *translationem* capienda, nec ad omnem Latinæ proprietatis rigorem expendenda ſunt: etiam *ſic* tamen expoſita, dedecoris adhuc multum, in *Archiepiſcopi* pictura, retinent, & oſtentant.

Quidquid autem horum, plus minúsve, fuerit: cum Nabuzardáne, cum Antiocho, Nicanoréque, plus nimiô ſceleſtus fuiſſet; qui magnificentiſſimam quampiam, omnîq; ſanctimoniæ vetuſtate venerabilem, BASILICAM,

LICAM, cùm exſcindere geſtiret, nec poſſet; ſubjectîs denique facibus inflammare conaturus fuerat: ac, ſi nec id aſſequeretur, fumô ſaltem & fuligine, decolorare. Fecit hoc, & quidem omnî mentis manûsque contentione, *Marcus Antonius*, in *Eccleſia Romana* majeſtate convellendâ. qui, ſimulac in *Angliam* venit; ab Rege Jacobo, Stuartæ filiô, *benignè*, ſicut ajunt, *acceptus* (15), ad ſcribendum continuò ſe contulit: intráque præſentis anni reliquias, & proximè ſubſequentis Novembrem, *Duo grandia* (16) compilavit, adversùm Catholicos, inprimíſque Pontificem, *volumina*: quibus titulus & argumentum, *De Republica Chriſtiana; contra Oeconomiam Eccleſiaſticam*.

Cœptus hic labor, ſæculi, quod dixi, noſtratis annô decimô ſextô, vergente; quantumvis ingens ac diffuſus, cum exeunte tamen ſequentis anni Decembrî, jam & ipſe manu pariter, & formîs typicîs, exierat. Agnoviſſes; è diu priùs meditato, lucubratum à *Marco*: quod tamen è veſtigio *Petrus*, hoc eſt, Petri ſucceſſor, *Paulus V.* anathemate proſcripſit: multi, variis è terris, ſtylo ſolertî confixerunt: pauci (nec magni

Marcus Antonius de Dominis.

nimis, nec metuendi,) receperunt: receptum verò, multò pauciores, (& *nequaquam* pro ſpe compoſitoris *latè*) diſſeminavêre. Quo factum eſt, ut illa pompæ minacis Secta DE-DOMINIS, nec primam quidem herbam, nedum ſegetem, in meſſis exſpectationem, attolleret: ſuô cum auctore, ſimùl nata, denata, ſepultáq; Tiberinîs aquîs. (17)

Eatenus igitur *in ventos* laborem ſuum effudit, *inaniſſimus* hominum, ac, nec aliunde quidem, quod votis ſuis præſtinârat, decerpſit, aut prehendit, ullam in partem. Cùm enim nemo tunc omnium dubitaret; Marcum Antonium, *ambitionis*, & *nummarii quæſtûs*, ſtimulîs incitatum, hinc quidem *opum maximarum* ſibi venari congeriem, è favore docti Regis, & doctorum æſtimatoris; illinc autem, inter Magnæ Britanniæ cunctos Epiſcopos, ac regni potiores adminiſtros, locum ſibi, ſinè controverſia *principem omnium*, pro comperto polliceri: quorſum immenſæ ſpes illæ tandem evaſuræ forent, omnes exſpectabant; & nemo decernebat.

Sed, haud antè multò, quàm è Dalmatia *Marcus Antonius* abivit in Angliam, ex

Anglia

Anglia venerat in Italiam, nominatímq; Romam, *Joannes* ille *Barclajus*; Euphormionis, & Iconis Animorum, ſcriptor. Qui, cùm Romæ ſe, conjugémque, filiúmque, ſede ſtabili depoſuiſset; fidem ſui *ſerii*, nec difficti, reditûs ad Orthodoxos, Italis & Eccleſiæ facturus, Librum *de Fidei controverſiis* adversùs eos, quos reliquerat, piâ Romanâque facundiâ conſcripſit; ac, prælo ſubjectum, vulgavit: quem adoleſcentes, iîs ipſis mox annîs, libenter legebamus. Idem autem ipſe tunc, auditô *Marci*, *Spalatenſis Archiepiſcopi*, transfugiô, Londinienſes ad umbras, ac ſpes immodicas; aliô protinus inſignî, nec tamen perinde ſtatim editô, ſcriptô, viri conſilium exploſit: in eóque libro, rationibus multîs, & prudentiâ civilî refertîs, (quippe, Regis ac regionis indolem callidè, per tot annos, edoctus) divinavit; quídnam *Spalatino* rebus, & exſpectatione, denique futurum eſset? Vatésque fuit, ad amuſſim veridicus, *Barclajus*: &, qua ſagacitate fibras intimas ingeniorum in *Icone* nuper *Animorum* deprehenderat; eâdem *Fortunæ* quoque, Marcum Antonium excepturæ, *venas* intimas introſpexit; ac tetigit acu. Quarum enim

Marcus Antonius de Dominis.

rerum iſte ſpem, & vota, ſecum *Londinum* attulerat; earum aſsecutus eſt nullam: (18) & ea propter, aliquantò pòſt, indè, quò fugerat, inanem referens ſinum; vela reduxit in *Belgium*. ubi ſuîs cum annîs, annuente cœlô, reviſemus: ut indidem *Vanitatis* Impiæ *victimam* ad altaria demum ſua deducamus. (19)

VIII. Cæterùm, pensârunt interim *Vnius* defectionem, & excitatas in Eeclesia rebellionis turbas, in diverſum, pro gloria Dei ſponſæq; Chriſti, prœliantes ad mortem uſque, novi pugiles: hoc eſt, ex eodem Societatis Ordine, qui *Marcum Antonium* discinxerat, in campum progreſſi, fortiſſimi milites; *Americanorum* eouſque novalium cultores. Hi, pro Religionis orthodoxæ tutelâ barbarorum armîs oppreſſi, ſub unum idémque medii ferè Novembris tempus, occubuerunt: *Octo* quidem duntaxat; ſed ſternentium tamen idololatrarum, & totius Tartari, victores, in eo bello, campôque Martis; ubi, non numerô pugnatorum, ſed robore, triumphat acies. Eorum porrò cædem glorioſam, fas eſt, non DEI modò conſpectui, ceu *pretioſam* (20), ſed & lectorum

Digitized by Google

rum oculis, ut piè *delectaturam*, aliquantâ cum morâ, per *Apocommata*, ſubjici: ne, QUÆ plerumque clara facta corrumpit, etiam horum palmas Heroum obſcuret, LAUS, tantùm in TRANSCURSU tributa.

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(1) *Pſalmô 84. v. 11. & 12.* (2) *Appamianus, in geſtis anni 1616. num. 8.* (3) *Arbiter, in epigrammatibus extravagantibus.* (4) *Sapientiæ cap. 17. v. 10.* (5) *Appamianus, in annum 1616. num. 4.* (6) *Stratemanni namque verba ſunt, pag. milleſimâ centeſimâ undecimâ, iſthæc, in Annum 1616.* Marcus Antonius de Dominis, Archiepiſcopus Palatinus (*ſic enim ejus habet editio Jenenſis, per Joh. Niſium, anno 1656. vulgata, pro* Spalatinus: *niſi, quod non rear, auctoris hic potiùs, quàm typothetæ, ſit error*) deſerens, ut putabatur, Pontificiam religionem, ad regem Angliæ ſe confert. *Quòd porrò Helvîcus verba illa,* UT PUTABATUR, *inſeruerit chronologiæ ſuæ; cauſa fuit hæc: Quia tragœdiæ Marci Antonii exitum Romanum (qui incidit in annum Chriſti 1625.) haud perinde celeriter, in remo-*

Marcus Antonius de Dominis.

remotis illis Saxoniæ partibus, reſcire potuit: qui opus ſuum Francofurti typis dari permiſit anno 1628. & id aliquantò antè, nec raptim, compoſuerat, dum adhuc in vivis, & extra cuſtodiam, Marc. Antonius ageret. Non ità ſe res habent Stratemanni; *quippe, qui interim, uſque ad annum 1656. quo Jenæ (ſicut dixi) ſua vulgavit, è Nicio Erythræo, Gramondo, pluribúsq; aliis, diſcere potuerit, Quid hominis Marcus hic Antonius, & cujúſnam cataſtrophês, fuiſset? ſi is, legere auctores & diſcutere maluiſset; quàm exſcribere.* (7) *Hoc in eo vitium & Gramondus notavit lib. 3. de geſtis Ludovici 13. pag. 196. editionis Ambſtelod. in 8.* (8) *Terentii Gnatho, in Eun. Actu 2. ſc. 2.* (9) Déſpotæ *dicebantur, ſummi Satrapæ, ſeu Principes, regionis* Serviæ, *ſeu* Syrfi, *ut hodie nominatur. Hujus ora meridiana, vergit ad viciniam eorum locorum, in quibus Sacrorum regimen* Spaláti *ac* Segniæ *geſſerat Marcus hic Antonius.* (10) *S. Benedicti. Nicius Erythræus in vita & pinace Abrahami Bzovii.* (11) *Germanis,* Der Herriſche Glaub / oder Herren-Glaub / *&c. Id ſatìs clarè indicant verba Gabr. Barthol. Gramondi lib. 3. de geſtis Ludov. 13. regis Gallorum pag. 196.*

Septennium III. Annus 1616.

196. edition. Ambſtelod. in 8. ubi & de ANIMALI GLORIÆ. (12) *1. ad Timoth. cap. 1. fin.* (13) *Gabr. Barth. Gramondus, lib. 13. de reb. geſtis à Ludov. XIII. Gall. rege, pag. 196. edit. Ambſtel. ante med.* (14) *Parte 1. Pinacotheca, tabulâ CXV. pag. 200.* (15) *Appamianus, in hunc annum, num. 9.* (16) *Ità Appamianus, locô cit.* *Quòd autem Gramond. dicat*, Librum *Marci Antonii* in IV. volumina fuiſſe digeſtum ; *intellige, ſingula, quæ ponit Appamianus* volumina grandia, *fuiſſe bipartita, in duo volumina minora, ſeu binos tomos aut partes. Sic* quatuor *prodibunt, quæ Gramondus numeravit*, Volumina. (17) *Uti dicetur, ante finem hujus Tertii Septennii, è Gramondi lib. 3. cit. pag. 197. princip.* (18) *Nicius Erythræus, in Pinacoth. Parte 3. Vita 17. pag. 77. & 78.* (19) *Quæ hucuſque de Marco hôc Antoniô adduxi ; in iis ſecutus ſum Auctores potiſſimùm* tres, *orthodoxos*. Appamianum *videlicet, in Continuatione Annalium, Annô 1616.* Janum Nicium Erythræum, *in Pinacotheca ejus Parte 1. in tabula Abrahami Bzovii ; & Parte 3. in tabula, ſeu Imagine, Joannis Barclaji.* Gabrielem Bartholom. Gramondum, *in hiſtoria Ludovici*

V 4 XIII.

Marcus Antonius de Dominis.

XIII. regis Gallorum, lib. 3. Ex heterodoxis, (*in præſens ſaltem,*) *nec inveni, nec invenire ſollicitus fui; qui fuſiùs aliquantò, multò minùs, qui veraciùs, iſta traderet.* (20) *Pſalmô 115. v. 5.* Pretioſa, in conſpectu Domini, MORS — *&c.*

METRUM.

Ad finem Operis.

APOCOMMA III.

OCTO

Mexicanæ Terræ-deo cæſa Victima.

I. IN hoſtiis, non modò *quid*, ſed *cuj* ſacrifices, intereſt. Impietas, non cultus, eſt; error in alterutro: quantò verò deteſtabilior, in utroque ſimul? Hominem, pro Bove, procumbere Numini; Tauricanæ feritatis, ac Thoantææ, fuit, in Euxini Ponti Cherſonéſo. (1) Sed *humanas* victimas, *hominum* miniſtrâ crudelitate, fieri *mortali* perituro, tanquam mortis-impoti Deo; pluſquam & inhumanum, & atheum, ſcelus eſt: ibi

ibi præſertim, ubi ſatelles *Diaboli*, magus quiſpiam, intolerabilis arrogantiæ mendaciſſimô commentô ter-Altiſſimæ majeſtatis, ac nominis, jus invadit illud; cujus ambitu jam olim Patronus ejus, *Serpens antiquus*, eſt detractus in præceps. Qui tamen ipſe quoque non ceſsat, ad ingenium ſubinde redire; *Luciferúmq;*, mediis è tenebris ſuis, renovare: pro *Deo* ſeſe gerens.

II. Verùm, non omnium éadem, aut par eſt, in hoc genere, terrarum, & incolarum, infelicitas. Aliud aliô magìs, aut minùs, obnoxium intemperiis furoríque *Sathanæ*, regnum eſt: Deô-verô Diis-falſis immittente capiſtrum; & immiſsum attemperante, *ſuúmmet*, non verò *Furiarum*, ad arbitrium.

III. Septentrioni vicinior *America*, Provinciis cæterîs facilè nobiliorem habet *Hiſpaniam*, cuj *NOVÆ* fecêre nomen, Hiſpanicæ, quæ nuper immigravêre, coloniæ. Verùm, hujus ipſius *Hiſpaniæ-Novæ* regionum (quæ complures ſunt) locum ferè principem obtinent, *duæ* nominatim; quæ, ſuîs ab urbibus, dignitate primîs, MEXICUM, & MECHOACAN, appellantur. Earum utriuſ-

Octo, propter Fidem, cæſi.

utriuſque, tanta fertilitatis eſt amœnitatiſque laus, &, ex antiquis jam temporibus, alliciendi vis; ut ad eas, ingenti multitudine frequentandas, attracti ſint, non *homines* modò, ſed & *Angeli*; præſertim, Deo rebelles.

Et *Homines* quidem, quò libentiùs confluerent, & hærerent, ineſcârat ipſa terræ bonitas: *perditos* verò *Genios*, è terræ-bonorum abuſu pronaſcens, hominum infanda malitia. *Paſcuntur mortalium ſordibus, immundi Spiritus*; haud abſtinentiùs, ac cœnô filiquîſque porci. Populis autem illis, ac præcipuè *Mexicanis*, priuſquam ſanctiora docerentur, in uſu fuerat profligatiſſimus, & quotidianus, ebrietatis atque ſtuprorum ardor. *Temulentiam* enim, ne delictum quidem æſtimabant. cum fratribus verò ſorores, cum patribus filias, cûmque filiis matres, congredi; nefas, meretriciò cubili nihilô cenſebant indecentius.

Hinc ergò, tot per occaſiones, tanquam per portas, tot modis formîſque, velut totidem privilegiîs, in illa regna monſtris inferis patefactus introitus eſt.

IV. HOMINI, beſtiam induenti, bellua

ſua *Behemothica* (2) viciſſim, nunc *homo*, nunc quævis alia res fit: omnia quidem iſta, per *oculorum* ferè *ludibrium*; ſed humanæ mentis *excæcatione verâ*, cœliq; pluſquam nimis ſeriâ jacturâ. (3) Quocirca, poſt jam introductam quoque CHRISTI legem, (at, quantò magìs, ante felix iſtud ævum?) non adeò rarum & inauditum erat, hominis aſsumptâ ſpecie, *Sathanam* cum hominibus iter facere; miſcere colloquia; ſuadere, diſsuadere; blandiri, territare. Quid autem adeò mirandum videri debebat, aut ut *hominem*, aut ut *belluam*, apparere *palàm* auſum, eum (ídque, nec diffitendo quidem, *Se Cacodæmonem eſse*,) quem mortales illi viciſſim *própalam*, ídque profeſsô *Diaboli*, tanquam *numinis* alicujus, cultu, venerabantur, & *adorabant?* Faciebant autem id, per univerſas illius Americæ provincias, *templìs*, & plurimîs, & magnificentiſſimè cónditîs: inter quæ, primas facilè tenebat *Mexicanum*, & ipſum *Diaboli deſtinatum cultui* (4), cuj, linguâ gentis, VITZILIPUZTLI nomen indiderant. *Ædes* autem *ea*, quò nonnihilô reſponderet urbis, ſibi circumjectæ, magnitudini, *ſeptuaginta millia* domi-

Octo, propter Fidem, cæſi.

domiciliorum numerantis; ambitu cingebatur ampliſſimô, quíque pulcherrimam intrà ſe complecteretur aream, ac planitiem. Hæc honoris & reverentiæ publicæ teſtimonia, per annos circiter *ſexcentos* & *viginti*, ſub *Chichimejcis*, Mexici primis occupatoribus, ac deinde, per alios *centum triginta*, ſub novem Regibus, exhibita *Principi tenebrarum*; adeò deteſtabilem ejus ſuperbiam inflaverant; ut is, ad extremum, in nullam non, quantumvis vecordem, impudentiam proſiliret: útque, vocibus ex occulto miſsîs, oblatísve ſpectrîs humanîs aut ferinîs, per ſe denique, vel per emiſſarios ſuos *veneficos*, quodcunque vellet, imperaret: &, quidquid imperaret, id & extorqueret, à pavidis ſuîs adoratoribus; quaſi Phalaris quidam novus, aut Busîris.

Hujus itaque truculentîs imperiis adacti *Mexicani*, per compluria ſæcula, nullô non annô, *viginti* circiter *millibus hominum* mactatîs, Sathanæ litabant: hoc eſt, *anniverſarios auctori-mortis exercitus*, in epulum triumphale, cædebant. Quod autem, neſcio quo modô, miſerabilius pariter, & ad animorum ſenſum acerbius, videri debebat, etiamſi

tiamſi numeri menſura certa ſtatáque non perinde, ſicut à Mexicanis, exigeretur: *Cacodæmon* ille, qui *Mechoacanenſibus* præſidebat, id in ſacrificium ab unoquoque ſibi cædi compellebat, quod cuique præ cæteris omnibus chariſſimum eſset. Ex hac ergò lege cærimoniáq;, vulgò vir conjugem, aut, ſi plures aleret, uxorum gratiſſimam, juvenis ſponſam, pater matérve liberorum infantium amabiliſſimum, immolabant: ferientes ſimùl, & ſuſpirantes, ad *neceſſitatem*, vix uſquam alibi tam verè propriéq; *ferream*. (5)

V. Sed, rupit hoc denique tam ſævum Tartareæ ſervitutis *jugum*, potentior infernâ vî, Cœli DEUS; immittendo primùm terris illis gentibúsque ducem Hiſpanorum fortiſſimum, *Ferdinandum Corteſium*: qui, ſub annum ſæculi ſuperioris octavum decimum, *Hiſpaniæ Novæ* maximâ ſubactâ parte, Chriſtianorum transmarinas colonias indigenarum reliquiis aſsociavit; &, in ſupplementa frequentiæ veteris, immiſcuit. Indè, barbaricîs Sacrîs illis eradicatîs, *oblationem* eis ex inſtitutione Servatoris, & vaticiniô Malachiæ, (6) *mundam* ſubſtituit: lætiſſimîs, in hæc, (& meritò,) *Mexicanîs* præſertim & *Me-*

Octo, propter Fidem, cæſi.

Mechoacánis civibus; quòd, *Chriſti*, per advenas importati, beneficiô, Sacrificiorum veterum immanitatem commutare cultûs incruenti cærimoniîs cogerentur. Cujus proinde legem, ac religionem, effuſiſſimîs brachiis excipiebant univerſi.

Secundùm hæc, plurimùm gentibus illis *Hiſpani* contulêre, ne, finibus eorum ejectus *Sathanas* adſpectabilis, ad eaſdem poſtliminiò, tramitibus occultatîs; aut ad eum ipſæ gentes, per vitiorum licentiam, remearent. Id verò cumprimis præſtiterunt, *religioſorum* ex Europæis *ordinum* manipuli ſubſidiarii, variæ *profeſſionis*; in animorum culturam aſſiduam ſubmiſſi: qui rectè vivendi ſcientiam infererent; ſemináque pravarum conſuetudinum eruncarent.

Horum in numero fuerunt & *Societatis* JESU, nec paucæ numerô, nec inutiles ad profectum, operæ: quæ non modò *ſudore* plurimô, ſed & largè profuſo *ſanguine*, dominicam rigare *vineam* cœperunt, ab anno jam ſæculi ſuperioris ſexageſimô ſextô; quo *P. Petrus Martinezius*, vir divinæ gloriæ ſtudioſiſſimus, in Americam Borealem navigans; dum in *Floridæ* continentem exſcendit, à bar-

barbaris, pietatis inimicis, obtruncatus eſt. Cujus poſtea vitæ mortiſq; glorioſam viam ingreſſi, complures ex Europæis alii; poſt ſe traxerunt, & ipſi, ſuæ fortitudinis exemplis, *octo* præſignes anni, poſt Chriſtum natum, milleſimi ſexcenteſimi decimi ſexti pugiles; in arenam, adversùs *Idololatriam* & *flagitia ventris*, progreſsos, Mexicanis in pagis.

Erant autem hi, quos nomino. Ferdinandus *Tóvares*, cæterorum ductor. Bernardus *Ciſneróſa*, Jacobus *Oroſcius*, Joannes *Vallaus*, Ludovicus *Aláves*, Joannes *Fontanus*, Hieronymus *Moranta*, Ferdinandus *Santarénus*: *ortu* (quantum cognominandi ritus præſefert) omnes ferè nobiles; ſed, genere *mortis*, effecti nobiliores.

VI. Hi, per hos aliquot annos, in id omnibus animi, corporis, & eloquentiæ viribus, incumbebant; ut *regnum Sathanæ* deſtruerent; *imperium Numinis* prolatarent; *Eccleſiæ* ſpatia proferrent; libidines, & amorem crapulæ, profligarent: ad ſummam denique, quò, Paulinis è monitis, (7) ac præceptô Servatoris (8), Mexicani neophyti, veteranique pariter, *abnegantes impietatem*, *& pro-*

Octo, propter Fidem, cæſi.

& profana deſideria, ſobriè, juſtè, piéq; viverent, in præſenti; de cætero, bonis cœli *futuris* inhiantes: quò *ſeipſos* demum *exhiberent Deo populum acceptabilem, operúmq; laudabilium exercitatorem*.

Hæc, aliáque talia complura, loquebantur exhortatores indefeſſi; congruâ verborum acrimoniâ vehementes, & incitati. Nimirum, æſtu divini Spiritûs flagrabant ipſi: nec procùl aberant, quin eôdem, ad inſignem morum immutationem inchoandam, incenderent & barbarorum rude vulgus.

VII. Sed, ut ſæpe, detortus in diverſa ventus, exſpectationem ſerenitatis vertit in ſæviſſimam tempeſtatem: ità tunc, omnium humani generis bonorum æternus hoſtis, *Sathanas*, artibus ſuîs ſpem illam meliorum repentè detorſit in deſperationem; animorúmq; bonas flammas in contrarium, pernicioſô rapuit incendiô. Nec id ipſe per ſe tunc, (ut frequenter aliàs,) oculis oblatâ corporis aliquâ formâ, præſtitit; ſed, *interpretis* cujuſdam ſui miniſteriô, *venefici* præſtigiatoris, & idola venerantium antiſtitis, *pſeudopropheta* (9). qui tamen, hîs muniîs, titulîſque, necdum ſatiatus, altiùs inſuper

ſuper efferebat profeſſionis ſuæ vanitatem; TERRÆ ſe DEUM venditans: ac priſcorum Numinum ſummi rectoris, *Jovis*, arcanorum cuſtodem, & Legatum. Hunc talem igitur *Lucifer* Avernalis tenebrionem, cæcis illis, (qui per pagos, & rura *continentis*, longiùs ab urbibus, ac locîs *maritimis*, habitabant) barbaris immiſit. Nec iſti, quos Magus hic accedebat, populus erant Mexicanorum unus, ſed plures: & populorum diverſorum diverſæ loquendi formæ, voces, dialecti. ſæpéque, quot cœtus ac pagi, tot diſſonæ paganorum linguæ: nonnunquam autem, & unius alicujus ejuſdémque municipii ſermo, ſuorum incolarum partem habebat, intelligentem ſuî; partem verò, rudem & ignaram. (10) Unde proinde laboris quiſque magnitudinem conjiciat, in iis, qui gentibus illis inſtituendis operam ſuam addicunt. *E ſquilla* (quod vulgò dicimus), *roſa non naſcitur*: &, è Faunorum talium ſtupiditate nativâ, culturæ vix ſucceſsus.

VIII. Cæterùm, *Magus* ille (quippe locorum, & loquendi vivendíque morum regionis Mexicanæ, gnarus) ut primùm eorum loca mentésq; penetravit; adire, com-

Octo, propter Fidem, cæſi.

pellaréque, nunc ſingulos, ac viritim; nunc gregatim, & univerſos. quiritari paſſim, inque vicem elicere querelas, peſſimi cujuſq; ſeditionibúſque prompti: *Cur, & in quas porrò ſpes, ibi moram, aut omnino vitam animámq; traherent? Transmarinorum violentiâ prædonum, ereptas jam olim eis opes, regna, provincias Americæ nobiliores; &, quæ res æſtimationem omnem vinceret excluderétque* (11), Libertatem: *& hac, eorum ignaviâ ſocordiâq;, qui, cùm arma ferrent ad tutelam, ea projicere per metum, quàm experiri per virtutem, ſatius duxiſſent, & quietius. ſi tamen appellari quietem fas ſit, illud, ex quo, deterior omni bellô, mentium inquies enata ſit, tam crudelis: ut, vivere ſic, amarum eſſe debeat; & mori, voluptas. Quam enim aliam ſupereſſe miſerrimis voluptatem; quibus, indulgere genio, curare cuticulam, & obiectare ſenſum, aut penitus eripiatur; aut inter probroſa, vocabulô quoque nudô, numerari jubeatur? Ex hominum uſu tolli reſcindiq;, quod congenitum homini, quod enimvero prorſus inſitum hominis naturæ ſit; ac, ſine quo, nec eſſe, nec proferri, genus humanum queat: ſi prohibearis, conjungi, cui fœmina velis; & quot, quan-*

quando, quoties, velis : ſi veteris, edere, quodcunque libeat ; potare, quantum & quoad volupe ſit ; dulciſſimóq́; Cacâi (12) ſuccô venas ac medullas irrigare. Vitæ mortalis actiones has, unas omnium exoptatiſſimas, pulcherrimas, & ab omni retrorſum ævo conceſſas, ab Hiſpanis his, vocabulis traduci contumelioſiſſimis ; cùm hilaritates eas, appellant, ebrietatem, temulentiam, crapulam, amentiam, impudicitiam, ſcortationem : cùm eas nominant, obſcœnitatem caninam, ſpurcitiam, inceſtum : audéniq́; (petulanter dicaces, & humi reptantes, homunciones,) ejicere conari Mexicô, quæ Dii Mexicani veteres omni ſemper auctoritate pro receptiſſimis adprobârint. Etſi, quid miri debere videri cuiquam, ab inſanis his Deorum eſſe placita *convulſa ; qui, per impietatem inauditam,* Deos ipſos *exſciderint, ejecerint, conculcârint : &, his è diverſo, per ſtultitiam incredibilem, ſubſtituerint, hominem cruciarium ; cujus totum, in patibulo regnum ſit, atque Numen ? Auſpiciis hujus* ſemi-numinis, *& illius, dum quondam viveret, præceptis, pro deliciis epularum, amorum, & cubilium, ab Hiſpaniensibus his ſophiſtis hodie ſubingeri, ſensímq́; legis inſtar obtrudi, precationes, comprecationes ;*

X 2 *è filo*

Octo, propter Fidem, cæſi.

è filo volubiles ſphærulas ; ſacrificiáq; , ſegmentô triticei panis , & guttîs aliquot vini , conſtantia. præter hæc , eſuriem ; & , in ſumma rerum omnium copiá , ſtudioſè quæſitam famem , jejunia , ciborum electiorum fugam , aut intercalarem ſaltem uſum , ac viliores menſas. tum , aſperata nodîs , vel metallô ſtellata , flagra , lacerandis tergis excogitata ; ſetoſa cingula , lumbis fodicandis , hirſutáſq; pilîs equinîs ſubuculas , excarnificandæ cuti repertas : & poplitum crebras ad terram alliſiones , ac flexuras. Tormentum denique , quali cruciabilius nemo tyrannorum unquam , extra fidiculas , exegerit ; Spontè ſacrificulis explicare , quæ , confuſione digna , feceris , prætermiſeris , dixeris , ac mente revolueris. Quo ſolô , trabalî quodammodo clavô confixum , pendére ; quid acerbius ? nónne mavelis , (inquit ulteriùs) *avelli vitæ reliquiis univerſîs ; & , vel ſub Arctici poli lineis extremis exulando , congelaſcere?*

Verùm , ego quidem , iſthæc talia voluptati vobis haud quaquam eſſe , pro comperto teneo. Sed & , ſi dubium id cuiquam eſſet ; ſatìs id loquerentur , dejecti triſtéſq; vultus veſtri ; cernua ſolo-tenus lumina ; gemitibus interpolata ſuſpiria ; voces , murmura , fremitus , ac

ac mille mentium ægrarum indicia reliqua, vobis, vel incogitantibus, erumpentia. DOLOR enim aliquouſq; premi poteſt: diffingi diu, non poteſt. *Sed hæc, ità nuda, ſolas intrà minas ſtantia, nec armata, doloris ſigna; cuj bono ſunt? NEC irâ quidquam, nec iratis conſiliis, ad remedia malorum proficitur, ab ignavis & inermibus.* Mulierum arma ſunt hæc; *æſtuare præcordiis, ringi dentibus, ſpumare labiis, intentare ſiccas in pugnam manus. Vos autem, imitari ſexum illum, cuj dominamini, cuique præcepta datis; nónne turpiſſimi dedecoris æſtimabitis? Imitabimini verò, pavendo, ceſſando, nihil audendo. Quodſi verò mares, non appellatione ſolâ, ſed rebus ipsis, præſtare vos voletis: quidni, poſt longam & ſecordem injuriarum patientiam, ad ultionem demum, & arma, decurritis? Quid ceſſatis etiamnum, Hiſpanum omne nomen, & Hiſpanienſes præſertim flamines, veſtris exterminare finibus; exemplisq; noviſſimis eradicare? Noviſſimis, inquam, exemplis ſuppliciorum: quæ vos, ſi non haberetis à priſcis, facere poſteri deberetis, & inchoare. Sed habetis enimverò, quos in hoc ſequamini. calcabitis antecedentium veſtigia. Majores enim veſtri, ne re-*

Octo, propter Fidem, cæſi.

gum quidem ſuorum inſolentiam ſemper tulerunt; ſed, antequam intolerabiliùs evaleſceret, præſecuerunt illam, etiam à ſtirpe. noviſſiméq; Motezúmam, *poſtquam immanitas illius omnem cœpit egredi temperamenti legem, populi repentina ſeditio de medio ſuſtulit; &, in Motezúma, regum Mexicanorum familiam prorſus univerſam.* (13) *Ità progenitores veſtri,* ſuos, *ac ſui quoque ſanguinis, eóſque legitimæ ſucceſſionis,* Reges *extinxêre; quoniam, in uno quopiam imperitandi genere, modum exceſsêrunt: Vos* proregulos alienigenas, *per vim ac tyrannidem vobis impoſitos, & humana divináq; cuncta pro libidine ſubruentes, diutiùs feretis? Non aras eorum, & ædiculas, ac ſacrificia, diſſipabitis? Non ipſos, impetu concordi laniatos, Diis veſtris victimam facietis; vitâ ſcilicet proturbatos, lege talionis eâ, quâ, per hos annos, ipſi veſtra tot numina divinâ poſſeſſione dejecerunt? Quorum ſacrilegorum, ſicuti capita fuerunt, ac duces, Hiſpanorum aſſeclæ* togati; *nónne cædium quoque principium eſſe debent, exſecrandi Jeſuitæ? Quos vos ſi trucidaveritis; cedò, quis hominum numinúmq;, pro factis his à vobis pœnas expetiturus eſt?* In SCELERUM vindictâ, ſce-

ſcelus nullum eſt. *ubi verò culpa locum non habet; ibi neque ſupplicium. Simul autem, ſuper hæc omnia, facinus hoc veſtrum, geminæ Divinitatis auctoratur imperiô. Ne namque præclarum hoc opus aggredi dubitetis;* Ego, *qui* Terræ *ſum* Deus, *(inquit poſtremò veneficus) id jubeo. prior autem, internuntiô mê, mandat hoc Cœli Deus, antiquæ religionis Dieſpiter: qui Mexicanis id, ſpondet, impunè ceſſurum: &, ſi vindictam Chriſtiani meditaturi forent, parmam vobis ſuam, ac nubium (unde tonat,) armamentarium univerſum aperit, & offert, in Mexici tutelam: hoc eſt, omne ſuum, in hoſtilia fulmina reſolvendum, & in Hiſpana capita deſcenſurum,* (14) *Cœlum.*

IX. Hæc, & in hanc ſententiam alia complura, per turbas, ac pagos barbarorum, aliquamdiu nefarius hic, & frequenter, dicebat; quibus poſt ſe populos (15), in defectionem à Chriſto, trahebat. Ardentiùs autem, ac ſeditioſiùs, id fecit die quodam, cogitatis ſuis opportuniore visô; qui fuit, Novembris menſis decimus ſextus. Et, quoniam *imperitæ*, paritérque rabioſæ *multitudinis, facillimus eſt in ſceleſtiora motus;* quod ſuaſerat eis, id & perſuaſit.

Octo, propter Fidem, cæſi.

Digitized by Google

Conjuratione factâ, conglobantur ad pagum, cuj nomen, à Diva *Catharina*, colonia Chriſtiana fecerat. (16) Ibi, rerum officii ſui, catechumenis erudiendis, & neophytis excolendis, ſatagentem, *Ferdinandum Tóvarem*, furentes aggrediuntur. Hunc, terræ peſtem, hunc malorum in indigenas, & acerbitatum omnium, inventorem, ac ſtimulum capútque, criminantes; tollendum clamant: oblatúmque ſibi, (ſicut ſolitarius, & ſinè ſuorum cujuſquam convictu, tunc agitabat) truculentè concîdunt; eodémque, quo ceciderat, locô relinquunt, inhumatum: &, ad veſtigandos cæteros, diſcedunt. Non erat arduum, invenire *ſocios mortis*, eos; qui deſiderii paris, & laborum *diutinorum*, Socii fuerant, morte compendiosâ duriorum. Dies unus, & binæ noctes, intercesſerant: cùm, Novembris duodeviceſimô, *quatuor* alios habent obvios. Et hos quoque furialiter obtruncant: *Bernardum Ciſneroſam*, *Ludovicum Aláven*, *Joannem Vallaum*, & *Jacobum Oroſcum*. Quibus, poſterô mox die, *tres* cæteros, invitè ſuperſtites, in lanienæ cumulum ſuperaddunt. & hos itidem, ſicut priores omnes, inſepultos abjiciunt: *Hierony-*

mum

Digitized by Google

mum Morantam, *Ferdinandum Santarenum*, ac *Joannem Fontanum*.

Harum cædium omnium impulſor, & *exactor* quoque, deteſtabilis ille trifurcifer, *Magus* erat: qui, *Pſeudoprophetes* idem, ac *Terræ-Deus*, in tractandis adeò ſævè *viventibus* quondam, & poſthæc tam contumelioſè vitâ cariturìs, fuerat ominatus; *Nec cœlô miſeros, neque terræ gremiô, receptum iri.*

Verùm, contrà potiùs, & ut falſi vatis, *mentita ſibi fuit Iniquitas* (17); & idem, *ut imbellis deus*, ad vota ſua non pervénit; Spiritibus heroum iſtorum *cœlô*, corporibus verò, prodigioſô ſepulturæ ſupplementô, donatîs, in ipſo tumuli defectu; quô, per trimeſtre ſub dio ſita, floruerunt incorrupta. (18) Scires, eos, aurâ tam innoxiâ, *Paradiſum* jam inchoâſſe.

TESTIMONIA.

(1) *De Taurica Cherſoneſo, tyranni Thoantis regnô, alibi quoque, pluſquam ſemel, memoratô nobis; de ara item Dianæ, cuj homines immolabantur, Iphigeniâ virgine ſacra faciente; de Pylade denique, & Oreſte, immolandîs: vide Naſonem, lib. 4. Triſtium, elegiâ 4.*

Octo, propter Fidem, cæſi.

poſt med. (2) *Job. cap. 40. v. 10.* Ecce, Behemoth (*quæ Hebraicè, quadrupedia, jumenta, quibuſdam autem particulatim elephantes, figura typúsq; ſunt diaboli*) quem feci tecum, fœnum, quaſi bos, comedet. (3) *Franciſcus Sacchinus Hiſtor. Soc. JESV parte 5. lib. 10. à num. 229. qui & ibid. à n. 232. etiam* de Ebrioſitate, & Venereis vitiîs, *illarum gentium interſpergit.* (4) *Verba ſunt Jodoci Hondii, in Atlante Minore, ad tabulam* Novæ Hiſpaniæ, *pag. 637. col. 1. ad med.* (5) *P. Anton. Mendozius, Provinciæ Soc. JESV Mexicanæ præpoſitus; è teſtimonio vivo Prócerum Mechoacanorum: apud Cornelium à Lapide, in caput 18. Levitici, ad verſum 21. §.* Similis idololatria. *&c.* (6) *Cap. 1. v. XI.* (7) *Ad Titum, cap. 2. v. 12.* (8) *Lucæ cap. 21. v. 34.* (9) *Hôc eum vocabulô inſignit Appamianus, in annum 1616. num. 10.* (10) *Vide, ſuper his, Franc. Sacchinum, Parte 5. hiſt. Societ. lib. 10. à num. 224. uſque 226.* (11) *Paulus JCtus lib. 2. ad edictum &c.* (12) *In Nova namque Hiſpania,* è fructibus, *quos illi populi vocant* Cacáo, *quiq; ſunt* amygdalarum inſtar, potum conficiunt, ab eis valde expetitum; *ait Jodoc. Hondius, ad tabulam Hiſpa-*

Hiſpaniæ Novæ, *pag.* 634. *col.* 1. *in Atlante minore.* (13) *Idem Hondius*, *ibid. col.* 2. *ad fin.* (14) *Hæc ſignatè tradit Appamianus quoque*, *in hunc annum*, *num.* 10. pſeudopropheta (*inquit*,) qui ſe Deum-Terræ nominabat, miſſum à Deo Cœli: qui omnem impunitatem, & protectionem barbaris, contra Chriſtianos, promittebat. (15) *Ait enim Menologion Societatis noviſſimum*, *Monachii annô* 1669. *editum*, *de hac octo Patrum cæde*, *in diem Novembris XVI.* Haben etliche Völcker in Mexico, von einem Zauberer beredt/ zuſammen geſchworen: *& non tantùm*, *uti priùs legebatur*, Haben etliche Barbariſche Innwohner *&c.* zuſammen geſchworen. *Etſi namque*, *ſingulis è populis*, *quoſdam extra conjurationem fuiſſe*, *veriſimile ſit*; *Regula tamen illa Juris antiqui locum hîc habet.* Refertur ad Univerſos, quod publicè fit per majorem partem. *ait Ulpianus lib.* 76. *ad Edictum* —. (16) *Ità Menologium Societ. vetus*, Bey dem Dorff S. Catharinæ. (17) *Pſalmô* 26. *v.* 12. (18) *Appamianus*, *ad ann.* 1616. *num.* 10.

METRUM.

Octo, propter Fidem, cæſi.

METRUM.
Ad finem Operis.

APOCOMMA IV.
Facilis jactura Sepulcri eſt.
(Æn. 2.)

I. QUorum honeſta vita fuit, eorum inhoneſtam eſse Sepulturam, nefas eſt. Interim, quibus nonnunquam decus iſtud, aut planè non contigit à mortalibus, aut admodum tardè, ſubindéque poſt cineres quoque jam dilapſos: hi (ſiquid tamen adhuc dolere poſsunt) ſenſum injuriæ, bonitate conſcientiæ, magnanimitate contemptûs, & æquitate Judiciorum DEI, commitigent. *Opinionibus, plebs ducitur: ratione, Sapiens;* quæ *ratio*, turbæ ſenſum triumphat, ſi ſpernit eum: ſuâ Pallade contenta. Non imus jam ad eos, qui dixêre quondam; *Theodori nihil intereſse, pendénsne putreſcat, an terræ glebîs opertus?* (1) Nos *Chriſtianè* philoſophamur; non cum paganæ ſapientiæ magiſtris. nobis, *pretioſus eſt in oculis DEI, famulorum ejus obitus:* (2) quorum is, utì *capillos*

pillos capitis omnes ſingulósq; *numeravit*, in vita, (3) ſic & *omnia cuſtodit oſſa*, poſt exactam vitam (4): interdum autem, & carnem, atque pellem; quoad ei viſum ac placitum erit, *in cujus manu ſunt Animæ* résq; *juſtorum*. (5) Et *Sepulcrum* quidem Chriſti Regis, è prophetæ vaticinio (6), fuit, éſtque nunc quoq;, *glorioſum*. Quin & Divi *Thomæ Beketti*, Cantuarienſis olim Archiepiſcopi, monumentum, ſolidô coopertum aurô, pretiíque fidem omnem ſuperantibus donariis repletum; ſurgere pedetentim, ab anno ſtatim milleſimo centeſimo ſeptuageſimo primô, cœpit: aſſiduôque venerantium, & munera congerentium, accurſu, crevit eam in majeſtatem; ut, annô poſtea milleſimô quingenteſimo duodequadrageſimô, direptor illius, Anglorum rex, *Henricus Octavus*, præter ablatum indè vaſti ponderis ſcyphum aureum, & eam ſepulcri cruſtam (de qua diximus) aurô puriſſimô ſolidam, cum *Gemma*, quam *Franciæ-Regalem* nominabant; arcas inſuper geminas, ſingulas octonûm bajulorum robuſtos humeros laſsare validas, exportârit. in quibus, tantus latuit theſauri delectus; ut *argentum*, ob vilitatem, indè prorſus excluſum;

Sepulcra quorundam glorioſa.

Digitized by Google

ſum ; *auro* verò, propter copiam & nobilitatem gemmarum unionúmque, pretii *locus extremus* fuerit. (7)

II. Ac talia quidem fuêre, Chriſti, *Paſtoris animarum* ſummi, poſt hunc autem, & Thomæ Cantuarienſis, (qui, *bonus* & ipſe *paſtor*, ovilis ſui cuſtodiæ vitam impendit, imitatione Chriſti) (8) Sepulcra. *Chriſtianorum* autem, &, ante Chriſtiana quoque tempora, virtute cæteroqui clarorum hominum, non perinde ſemper in ſplendore *conditoria* (9) fuerunt. multóſque, poſt ſe quoque, traxit in imitamentum immanitatis ſuæ, tyrannus Syrorum, Antiochus Epíphanes; qui, Piorum nationem *ne ſepulturâ quidem ſe dignaturum* minitatus, *avium ferarúmq; direptioni* prædam deſtinârat. (10)

Verùm, habeant hanc ſibi, faciántque, funeribus proborum Manium inſultantem, injuriam ac petulantiam, *impii!* qui, poſt hæc, & ipſi corruent inglorii; vitæque ſuperbiâ relictâ ventis, ac vermibus, *inter mortuos* jacebunt *in contumelia ſempiternâ*. (11) Numinis interim amicorum, ut in vivis, ità vitâ quoque raptâ, ſemper eſt integra cauſſa, ſalváq; res. *Multis ignominia, gloriam; & con-*

Digitized by Google

& contemptus, venerationem excitavit. Probroſæ mortis, in pretio fuêre, dignitatéq;, reliquiæ: tanquam planè talium ignobilitas exſequiarum ſeipſam nobilitaret.

Uríam, Sémeis filium, Prophetam *Cariathiariten*, quis noſtrum hodie, vel è ſtirpe, vel à ſolô patriô, vel à vaticiniîs conſcriptîs, nôſset: ſi, pacatè mortuus in lectulo ſuo; ſi conditus unguentîs, & differtus odoribus aromaticîs, illatus marmoreo fuiſset tumulo, Jeroſolymorum in urbe: regiâ tunc quidem, & magnificâ; ſed poſtea tamen, cum mauſoléis omnibus, flammâ Babyloniorum, Romanorúmq;, deflagraturâ? (12) Nunc autem hic, odiô virtutis, & oraculorum, à deteſtabili Judææ regulô *Joakimô*, deſtinatus ſupplicio, metúque ſupplicii fugatus in Ægyptum, è fuga retractus ad gladium, &, ab hoc exitûs-vitæ dedecore, probroſiùs etiam pomœriîs urbis exterminatus, intérq; tumulos abjectus *ignobilis vulgi* (13): talis hic tamen, inquam, & modîs funerandi tam indignîs habitus, biblicîs ſplendet in Annalibus; illuſtriùs multò, quàm è porphyretico quovis ſarcóphago. *Prophetes*, à chartis *taciturnus*; at Veritatis martyr, *voce* ſui

Sepulcro clarorum obſcura.

ſui *Sanguinis*, in omnia futura ſæcula, ſicut *Abel*, (14) clamoſus.

III. Sed, non ſoli *duo* Dei teſtes, *Abel*, & *Vrias*, crudeliter interfecti, contumelioſiùs tumulati ſunt; ut honorificentiùs à cippis neglectis promicarent. Ambula mecum per terrarum orbem. Pléraque tibi regna, gentiúmq; provinciæ, piorum oſtendent, aliquouſque vilia, poſtmodo tamen illuſtrari, celebraríque cœpta, cadavera.

PAULI, patris erémi-cultorum, exanime repertum corpus, in Ægypto, gemini leones veſpillones, & Athanaſianum pallium, ac Magnus Antonius infoſsor, pollinxerunt. In Italia, *Sebaſtianum*, Diocletiani ſagittîs confixum, poſthæc autem, & fuſtibus contuſum, & Romanas in cloacas abjectum, lectiſſimæ virtutis heroides, *Iréne* vigilans, ac *Lucina* dormiens, divinitus admonitæ, curârunt; & ad *Catacumbas* ſuburbanas reverentiùs humârunt. In Hiſpania, *Vincentium*, à Daciano, tyrannorum proconſularî legatô, toſtum, excarnificatum, extinctâque vitâ feris in epulas projectum, corvus defenſor, à lupo præſtitit, & harpyîs, illæſum; mari verò demerſum, littus, quaſi ſinu ſuo colligens, ad

ad tumuli terreſtris dignationem accolis reſtituit. Idem, apud Polonos, officii ſupremi decus, *Stanislao*, Cracovienſium præſuli, ſacrilegâ Boleslai regis dexterâ fruſtatim conciſo, pérque finitimos agros ſparſo, præſtitit *Aquila* pluſquam una: contra belluas, eum direpturas, alîs, unguibus, & mordacî roſtro, dimicando. Cujus ejuſdem magnanimi pontificis felicitatem alterius vitæ, pro vita præſenti raptâ tributam, nocturnus, ísque cœlô demiſsus, ſplendor, disjectorum artuum fidus index, declaravit. Nec diſſimilis fulgor, (niſi, quòd & copioſior, in modum ignis, & moræ diuturnioris,) is erat, qui *ſeptenne* jam, & adhuc tamen expers tabi, cadaver anachoretæ *Joannis*, quem *Humilem* cognominabant, in Róſicis *Ciliciæ* montibus detexit: (15) ut templi ſubalpini demum antris honorificentiùs inferretur.

In *Bungenſium* quoque *Jáponum* regno, patrum noſtrorum memoriâ, *Jorámum*, Facatenſem neophytum, religione præſtantem, ſed ignobiliter ſepultum, imminens tumulo multa frequénſque ſiderum lux, oſtendit; eum, & ab apoſtata tunc rege, *Conſtantinô*, plexum inſontem eſſe, barbarorum in *terris*:

Sepulcra clarorum obſcura.

ris: & apud *cæleſtes* nunc degere, lætantem *in regione lucis, ac quietis*. (16) Ne longior denique ſim, atque deſtinâram: in *Judæa*, Jeroſolymorum extra portas, ad Orientis plagam, ſitos in obſcuro ſordidóque ſenticeto, *Stephanum protomartyrem*, Nicodemum, Gamalielem, & Abibónem, ſuaviſſimus exhalans odor, & in ſomnis inſtructus Lucianus presbyter, urbanô, decentioréque dignos tumulô fuiſse, teſtati ſunt: &, ut effectu res ea non careret, perſuaſerunt: in Sionis montis baſilicam *Stephani* reliquiîs; cæterorum autem, alium in locum, monimento commodum, honorificè transportatîs. Multò pòſt, cùm in Ægyptiorum Alexandrino foro Maximini tyranni ferrô *Catharina* virgo, *Chriſtianorum Pallas*, cecidiſset; ne diu corpus ejus truncum crocodilorum adoratoribus ludibrio jacéret; Angelorum cœleſtium miniſteriô, montis Sinæi vertex altiſſimus, quaſi *magnes*, Mahometici feretri magnete ſincerior, id attraxit: providéque præparato ſaxô (quod etiamnum ſupereſt, ac viſitur,) tanquam impreſsô cavatóque quieſcendi cauſsâ *lectulô*, ſuſcepit: (17) ut, cœlum jam incolenti, *Spiritui* ſuo, quàm fieri poſ-

ri poſſet, proxima recumberet, obſequentiſſima ſemper illi Virgini, *Caro*.

IV. Denique, ſicubi nonnunquam *exſequiarum* officio, vel *homines* deeſſe viſi ſunt, vel *Angeli*: per ingens prodigium, aut *aves* in illud, aut, quantâvis feritate formidabiles, *quadrupedes*, ſucceſſerunt. Quale ſanè fuit, noſtram propè memoriam, *Conſalvi Sylveriæ*, Luſitani quondam toparchæ, poſtea verò Societatis JESU ſacerdotis, funus. quem virum, in *Africa* poſtmodum ora, præ cæteris omnibus ad Auſtrum exuſtâ, multùm pro Chriſti gloria laborioſum, ac ſudantem; barbarus *Monomótapæ* rex aliquouſque foverat. ſub hæc autem, odiô moderatioris vitæ, Mahometanorum fraudibus, & aſſenſu matris, ſuffocatum; in profluentem rapidiſſimum, ſylvîs ac ſolitudinibus horridum, nomine *Moſengeſſem*, abjecit. Is amnis, *crocodilorum* (quorum copia, voracitáſque, nihil admodum Niloticis cedit,) fœcundiſſimus; ab eo temporis veſtigio, præter mirificam quandam, abjecti cadaveris loco ſe ſuperfundentem, lucem, etiam *feras illas* accepit, *manſuetas*, ac cicuribus adeò ſimiles; ut mortalium nemini morſum

Sepulcra clarorum obſcura.

infixerint: *edentulæ* nempe, non naturâ, ſed indemnitate, Cafribus conceſſâ populis, quos Conſalvus erudire cœperat. (18)

Numquid, vel hac ſolâ gentis illius felicitate, *Conſalvus* inſepultus, vilitatis ſuæ maximum videri poterat operæpretium feciſſe; belluis, priùs anthropóphagis, immanitatem detrahens; & repentinam eiſdem innocentiam ſuperinducens? Prodigioſius autem eſt iſtud; quòd hominis Europæi (quem Cafres Monomotapæi, *Conſalvum* eſſe *Sylveriam*, non dubitant) cadaver, arboris trunco grandi, per annorum luſtra jam duodecim (19), alligatum, poſtmodum, hîs ipſis, quos nunc exſequimur, annîs, ab amne *Moſengeſſe* detulit in amnem *Cuámam*, *Providens Numen*; & ex hoc, undîs reſtagnantibus, in ripam, ſylvîs obumbratam; ubi deinceps illud, excubiîs alternatîs, non *Aquilæ* tantùm, ſed cæteri quoque generis, eæque, verſicolores & canoræ, *volucres* aſſervant; eíq;, circumſultantes, admodulantur. Quódque ferarum talium omnem genium tranſcendit: truces etiam *tigrides*, à ſe pertractum in abſtruſiora ſaltûs, quale primùm invenêre corpus, tale, medias inter aves intrepidas, custo-

cuſtodiunt ; pronîſque capitibus adſtratæ, venerantur, adhuc illæſum, illibatum, & annorum injuriâ nullâ violatum. (20) Quæ porrò recenſeo ; non ego quidem vidi. credo tamen eorum auctoritati venerandæ ; qui, vel ipſi viderunt ; vel ſpectatoribus vivis ante me, jurèque, crediderunt.

V. Interim, non contigêre (fateor) hæ tales, vel ab hominibus, vel ab *Angelis*, animantibúsve, miraculorum divites tutelæ, cadaveribus *Octo* Mexicanorum pugilum illorum, *inſepultis*. Sub diurnâ tamen nocturnâque brumâ, Novembris à dimidio circiter, in exeuntem uſque Februarium, patentibus in campis jacuêre ; non ipſa modò, ſed & Patrum cæſorum precatorii codices, ac religioſa ſcripta, putredinis penitùs expertia (21) ; taliáque prorſus univerſa, qualibus inopia tumuli *ſempiterna* (ſi ſic Deo quoque viſum foret) optanda videretur ; ut *æternitatem* haberet ſuam iſtud quoque *prodigium* : in quo (dicam audacter), ſuô modô, *mors* ipſa ſemper *viveret* : & corruptionis nativæ ſtatus, degeret incorruptus.

Redi nunc mecum, lector, ad *Apocommatis* hujuſce caput.

Sepulcra clarorum obſcura.

Hôc tantô Numinis, erga *Piorum mortes*, favore; Nónne jam Sepulcrorum FACILIS eſt *jactura?* Tu plus dices, cùm addes: *Inſuper*, & LUCROSA!

TESTIMONIA.

(1) Theodorus *ille, philoſophus, & patriâ Cyrenæus, fuit: cujus animoſa fuerunt illa verba, ad Lyſimachum regem, cruci eum ſuffigi jubentem. Referunt autem hoc ejus apophthegma, Cicero, Tuſculan. quæſt. lib. 1. & Valer. Maxim. Exemplorum libro 6. cap. 2. fin. & alii.* (2) *Pſal. 115. v. 5.* (3) *Matthæi 10. v. 30. & Lucæ 12. v. 7.* (4) *Pſal. 33. v. 20.* (5) *Sapient. capite 3. v. 1.* (6) *Iſaiæ cap. XI. v. 10.* (7) *Liber anonymi, cujus inſcriptio eſt*, Rerum Anglicarum Annales, Henricô Octavô, Eduardô 6. & Mariâ, regnantibus; *ex Officina Nortoniana, apud Joan. Billium. Narrat autem hæc, in annum 1538. pag. 65. in fol.* (8) *Idcirco & Evangelium* De Paſtore bonô, *ex Joann. cap. 10. legitur in liturgia feſti S. Thomæ, Cantuarienſis Epiſcopi, & Martyris.* (9) *Hæc vox*, Conditorium, pro Sepulcro *ponitur, ab Arbitro bis, in Epheſina*

ſinæ matronæ hiſtoria : & à Plinio Juniore, epiſt. 96. pro arca verò cadaveris, *à Suetonio, in vita Auguſti.* (10) *2. Machabæorum libro, cap. 9. v. 15.* (11) *Sapientiæ cap. 4. v. 19.* (12) *Jeroſolymam enim, &* Nabuchodonoſor, *rex Babylonis, & poſtea Flavii Veſpaſiani Cæſaris filius,* Titus, *Romanô cum exercitu, incenderunt.* (13) *Sic loquitur Sacra Scriptura, Jerem. cap. 26. v. 23.* (14) *Geneſ. 4. v. 10.* (15) *Hiſtoriam leges, apud Joann. Moſchum, Eviratum cap. 87. ubi de indumento quoque Eremitæ illius mortui cilicinô; déq; pallio, & argenteâ cruce in manibus, ac deniq; de charta, reperies narrari, cuj inſcripta legebantur hæc verba:* Defunctus ſum ego Joannes Humilis, (*id eſt, Vilis, ac neglectus,*) Indictione quintâ decimâ. *Hunc, indè poſtmodum ſublatum, accolæ Cilices, in Eccleſia vici, infra montem ſiti, ſepelierunt.* (16) *Ludovic. Froës, in Annuis Japonicis anni 1592.* (17) *Fr. Felix Fabri, in diem 25. Septembris anni 1483. hodœporici ſui Sinaitici, pag. 2. folii 163. & idem ibid. per ſingula accuratè deſcribit ſaxum illud ſepulcrale, cum lacunis impreſſis.* §. Zu ōberſt. *&* §. Auf den heiligen Berg. *&c.* (18) *Eſt vox hæc Papiniani JC. in l. Fidejuſſo-*

Sepulcra clarorum obſcura.

juſsori, ff. de neg. geſt. (19) *Ante 60. enim, ac plures, annos*, Sylveria *abjectus in amnem* Moſengeſsem (*qui accolis* Motétes *quoq; dicitur*), *in eo jacuit integer: ut tradit Philipp. Alegambe, in Mortibus Illuſtribus, pag. 40.* (20) *Rem hanc, aliquantò fuſiùs, & cum periſtaſibus ſuis, deſcriptam invenies apud Philippum, modò citatum, Parte 1. pag. 41. in fol.* (21) *Appamianus, in annum iſtum 1616. numerô 10.*

METRUM.

Ad Operis finem.

APOCOMMA V.

SEDITIONES

Veteres punitæ, Novæ cœptæ.

I. SONTIUM neminem ſua pœna perpetuò præterit. Quoſdam tamen ſeriùs, & tanquam deliberabunda, conſectatur; apprehenſura tandem nihiloſecius, *pede*, (ſicut Flaccus Venuſinus ait) *vel claudô*, reum. Alios autem, properantiùs: ac, tanquam *anſerculum*, flavum adhuc & pipientem,

Digitized by Google

tem, *milvus* è medio gregalium, quaſi delectu correptum, aufert; ſic *Vindicta*, legibus conſtituta, recentes à ſcelere, ſtatim ſibi deſtinat: ac ferrô, noxiam in cervicem calente, priuſquam intepeſcat, è multitudine rapit. Quinimmo, ſiquando, vel inter pauciſſimos, facti deteſtabilis cujuſpiam certus & indubitatus auctor, (ut ſæpe fit) lateat; &, inter duos utrimque nutans controverſæ ſuſpicionis lis, aut ambos factura ſit nocentes, aut ambos abſolutura: ne tantum, in Juſtitiæ præjudicium, nefas admittatur, & ex uno geminum naſcatur ſcelus; tunc humani tribunalis caligini, lucis inſtar, *Nemeſis* intercedit *Providentia*: quæ reum & manifeſtè deſignet, & ad fatale ſupplicium vi propellat. Ut adeò, flagitii genuinus opifex, cœleſtî quodammodo demonſtratus digitô, proclametur, *HIC eſſe, nec alius.*

II. Ante paucos abhinc annos, ad urbem, munimentîs, & eruditorum frequentiâ ſpectabilem, militaris laſcivia villaticum in cunis *infantem* (in quem temerè palantium inciderat manipulus) trucidârat: ídque nullâ, ne vagitûs quidem, ſibi præbitâ moleſtiâ, vel aliâ quacunque, ferrum provocante, cauſ-

Abſconditum ſcelus, retectum.

ſâ. tantummodo, furere libebat, ac tenellum fundere, videréq;, ſanguinem: tanquam deeſsent, aut in campis ludibundi capreoli, vel in ſtabulis oviculæ balantes: quæ minore noxâ maƈtarentur. Nec tamẽ reſtincta ſic ſpargendi cruoris aviditas eſt, aut, factâ cæde, conquievit: niſi conciſos quoque corpuſculi palpitantis artus, ſingula per membra laniatos, ardentem inſuper in focum injeciſset immanis truculentia. Sic ſcelus, in favillas ac fumum evaneſcens, (abolitô præſertim, ſuperfusîs aquîs, etiam cruore, nec ullo *domeſticorum* præſente,) demonſtrare ſcrutantibus potuit; nec homicidium illic ullum, nec adeò, qui necaretur, puerum extitiſse. Sed nimirum, graſsatorum hic globus ipſo ſe mox conſciorum numerô propalavit: cùm præſertim crimen tam ingens ad pauciſſimas manus, etſi plurium ad oculos, pertineret. Atrocis ergo facti rumore divulgatô, poſtquam cæteri ſe quæſitoribus omnî juris viâ purgârunt: *duo* demum *ſoli*, facinoris in ſuſpicione tenebantur; Uter eorum illius immanitatis primas, aut potiores partes, ſuſtineret? Hunc enim, re cognitâ, fatalis hora; libertas alterum,

terum, manebat. Cùm autem ambo negarent, ac pernegarent; & de tota re perdiu non liqueret: ut *ampliationibus* ſuperſederetur, more militarî decurſum demum ad *talorum jactum* eſt. Ibi, jacit prior is, qui (ſicuti pòſt compertum eſt) minus culpæ ſuſtinebat: cadúntque *puncta* (quid autem, duobus in taxillis, videri debuit poſſe ſterilius?) *puncta* cadunt, inquam, in univerſum *duo*. Deſperatiorem nemo viſus eſt unquam habuiſſe cauſſam. Pallor hunc igitur, & mortis inevitabilis exſpectatio, ſubit: alterum, è diverſo, lætitia, periculíque depellendi tuta ſpes. Ut peſſimè certè ſuccederet, ac *dua* ſolitariæ mónades ipſi quoque proſilirent: at in jactûs æqualitate (ſed, quàm improbabilî, difficilíque?) *pares* ſe ſaltem, ut hucuſque reatu fuiſſent, ſic denuò diſcrimine, futuros videbat. Se verò fortunam habiturum, rebus ſuis indulgentiorem. Nec eum hæc ſua fortaſſe confidentia feſellliſſet: ſi vetus illud Memmianum (1) omnibus ex æquo nefariis ſemper procederet: Utì, *quàm quiſque peſſimè deliquit, tam maximè tutus eſſet.*

Sed hìc interluſit nequam-iſti ſpei, modera-

Abſconditum ſcelus, retectum.

deratrix ſortium, *cœleſtis Libra:* lancémque juris, ne diutiùs in ancipiti cauſsæ pendérent, eam, quam debebat, depreſſit; priuſquam æquarentur. Procedit, en, ad jactum, alter quoque *duorum*, mortis ac vitæ corrivalium: os impudens, vultus effrons, labia, malam conſcientiam compreſſione ſuî devorantia; bonam contrà, præ ſe ferentia. Jacit alacriter: & hem! tanquam fatô fixum eſset, ut ad *ternionem*, aut ultrà, duobus hîs à colluſoribus non perveniretur, provolant è vola, ſingulis in talis, ſingulæ mónades. ſed, ut è geminis aliquid binariò minus & inferius, nimirúmque monas unica, fieret; inter ipſum jactum, antequam oſſicula plenè conſidêrent, talus alter, alterum ſaltu ſuperſcandens, monadem inferioris abſcondit: ac, niſi *punctus unus*, non apparuit.

Exclamant omnes, quotquot ſpectatum adfluxerant; *DEVS judicat! Deus nocentem exploratum in manus dat! Hic unus duorum talorum oculus, Juſtitiæ cœleſtis Oculus eſt; ſimplex, & rectus! In hoc teſſeræ puncto, momentum ſedet æquitatis! Itaque vide, prætor; quanta futura Juris contumelia ſit,*

cum

enm eximi pœnâ, quem ad ſupplicium pariter, & cœlum & terra depoſcunt. Valuítq; *vox multitudinis (vox* utique *viſa Dei)* tantúmque tunc potuit: ut *Unoculus* hic, propriâ quoque demum confeſſione proditus, *cædis infantilis* auctor, & conſummator *Unicus* fuiſse, convinceretur; ac, liberatô vinculorum conſorte, plecteretur. In furcam igitur (ut paucis totum expediam,) actus is, qui ſanctione *Carolinâ* debuerat in rotam; jus intricatum, quod ex *Infantis* ore prolici non potuit, ex *oſſium* autem *oculis* eluxit, nodîs ſuîs ſic exſolvit: ut jam, non quæſtio, ſed cædis auctor, penderet.

III. In hunc modum, aliósque ſimiles aut diſpares, quædam (ſicut initiô dicere cœperam) piacula, *celerius* animadverſorem inveniunt; & in murices, quos alieno pedi defoderant (2), ſeipſos, malorum ſtructores, induunt: ubi præſertim, ad *pauciſſimorum* nominum redacta tabellas, urna judiciaria, ſolius indiget, nec operoſæ, concuſſionis: &, in propatulum effuſæ ſententiæ, vel *Caſſianum* aliquod (3), vel (ut modô memorabamus) *divinum* accipiunt *diſcerniculum.* Secus autem, ut plurimùm, agitur; ubi

Abſconditum ſcelus, retectum.

ubi ſcelus quodpiam, in *multitudinem* incidit, *plurimarum cervicum belluam*: utì fit in conjuratis *Seditionum* motibus, & æſtuariîs.

Quanquam enim, ad tumultuum ejuſmodi concitatores ac principes, (quippe præ cæteris conſpicuos,) nec nimis laboriosè plerumque, nec tardiſſimè, pervenitur: tanquam in *lutrîs* tamen, aut *crocodilîs*, inter carecta, fruticésque fluminum, morantibus; etſi protracta perſtrictáve contîs *capita* ſunt, (ob idipſum, quòd arrigebantur, & *eminebant*:) manet interim ſub gurgite pernicioſum adhuc, & ingens, longôque tractu ſerpens, *corpus*; &, cum ovis ſuis, peſtiferóq; nido, juniorum numeroſa *progenies*: per laborum gradus exhaurienda.

Contingit idem & in ſylvâ, lupîs, viciniam vaſtantibus, expurgandâ: quorum utique *regiam* (ut ſic dicam) prætorianámve *latebram*, invaſiſſe, luporúmque principem arripuiſſe, ſatìs nequaquam erit; matrice lupulorum, cum univerſa ſobole, relictîs, aut dimiſsîs. Subruendum potiùs, ac perdendum, ferarum illud omne ſtabulum; &, ſi quod aliud, præter id, uſpiam ſupereſſe deprehendetur, exſcindendum. Aliter, pax, & quies, ovilibus haud obtinget.

Septennium III. Annus 1616.

Ad eundem prorſus, nec alium, modum, agendum adversùs *publicè pernicioſas* conjurationes eſt; ubi detegi cœperint, ac deprehendi. Contentus, quiſquis is fuerit, Conſul, ac magiſtratus, non erit; *Catilinam*, cum Lentulo Cethegóque, redactos in arctum, & conſtrictos, tenére. Veſtigandi, cognoſcendíque ſunt, & attrahendi diſcutiendíque, Statilii quoque, Ceparii, Gabinii, Varganteji, Læccæ. ſcrutanda, comprehendenda, lancinanda, confluges omnis, & colluvies, nefarii fœderis: ac conjuratæ factionis extremæ quæque conſectandæ reliquiæ; veſparúmque profliganda, ſuis è latebris, ac pumicibus, examina. Sicut denique ſylvæ cujuſpiam funeſtæ, non una duntaxat, & altera, truncanda ſtirps; ſed tota quanta cædua (4) concædéſque, faciunda: ſic & conſpirationis cujuslibet, *bono publico noxia*, populares omnes ac participes, colluſores, compranſores, & aſseclæ, tollendi ſunt.

Vidit hujus ſeveritatis, & acrimoniæ, neceſſitatem acutiſſimè, *Matthias*, horum, quæ librîs hîs ordinamus, temporum *Imperator*: in Francofordianâ *Fettmilchi* ſeditione, non modò *coërcendâ*, ſed, ad exempli quoq;

Scelera radicitus exſtirpanda.

quoq; ſalutare monimentum conſtituendum, *Eradendâ*: certante, cum urbicorum optimatium, in hôc, ſtudiîs, etiam legatorum Cæſáreæ Majeſtatis induſtriâ.

IV. Quadriennium jam lapſum erat (5), ex quo, diſcors magiſtratui, curiæque, plebs urbana, cœperat agere; tractô ſimùl in partes factionum, etiam ſenſim *Saxenhuſiô*, quod ultra Mœnum, è regione, contra Francofordiam ſitum eſt. Turbarum porrò flammam (velut in ſuperioribus dictum eſt annis) concuſſerat auxerátque plurimùm, *Fettmilchiana* poſtmodum, non *ſeditio* modò, ſed aperta planè, denſáque, *conjuratio*. Cæterùm *Fettmilchus* tandem, cum conſciorum primîs, abhinc bienniô ferè proſcriptus; tardè tamen, & ad exeuntem propemodum Sæculi noſtri quartum decimum annum, comprehenſus; in catenis *Aſchaffenburgi* quartum decimum jam menſem trahebat. *Lento laneóq;* (ſicut priſcus habet ſermo) veniebat *in Jocco*, *Pœna*; ſed ad extremum, in *cothurnos*, ac tragœdiam, exitura. Verùm, inter hæc, juſtitium otiúmve non erat à judiciis, ac tribunalibus; quibus *Francofurti* ſæpius, & demum *Hœchſtæ* quoque (ſitô cis Mœnum

Mœnum oppidô) quærebatur in omnis ordinis cives eos; qui ſeu re, ſeu conſiliô, ſive conſenſu, ſuggeſtione, patrociniô, vel quovis aliô denique modô, clam palámve, conjurationis ſtudia juviſsent. deprehensíq; paullatim, & convicti teſtibus, haud pauciſſimi; præter unum, alterúmque, vel ſummùm quartum, quintúmve, fugâ dilapſos; cæteri, diversîs omnes in cuſtodiis (& *Aſchaffenburgi* cumprimis) attinebantur; in eum, qui *ſupplicio* tandem decretus eſt, *diem*.

Fuit is, anni præſentis viceſimus octavus, ſeu poſtremus, Februarii; *Mercurialis* ejus ſeptimanæ lux, & *Fettmilchianis* pariter omnibus *feralis*. quem diem ne populus, & finitimi, neſcire poſsent; *Lunæ* die, proximè prægreſsô, funeſtus tympani pulſus, ac præconis clamor, celeberrimîs quibusque Francofordiæ vicîs & areîs ſonorus, promulgavit illum, unà cum *ſupplicii* futuri *locô*: qui *forum* fuit *Equarium*; utpote, cuj (ſicut alibi monuimus) *Fettmilchiana* domus imminebat; conjurationis vetus, & ſuis infelix, officina.

Ne verò denunciatio fatalis illa, *verba* duntaxat, ac *minæ* ſteriles, videri poſsent:

Fettmilchianæ peſtis, excidium.

eodem adhuc, eóque clarô, die, *theatrum ſupplicii* ligneum, *Hæchſtæ* priùs ſtructum, & indè Francofordiam advectum, in oculis civitatis importatur; horîsque pomeridianîs erigitur. Edictô porrò ſeveriſſimô præmonitîs per præconem universîs; ut eo toto triduo turbîs ac tumultu quovis abſtinerent; quietè per domos, & forìs, agerent: tertiô verò potiſſimùm die, nequis *Equarium forum*, auctoritate privatâ, munitus armîs accederet; aut illic omnino cum telo tunc eſset, cùm lege lictor, & carnifex, agerent: eodem mox in foro, diverſis in partibus, truncos tres quernos rerum capitalium adminiſtri conſtituunt; quibus roboribus ſingulis, affixæ bracteæ ſingulæ, pictam exhibebant *Aquilam*, cum his in ſuprema laminæ fronte verbis; IMPERATORIA TUTELA. Baſes iſtæ ligneæ, *digitorum* binorum truncationem opperiebantur, in triumviris Seditionum: qui *digiti*, miniſteria ſe quondam, & pignora prædésq;, præbuerant exſecrandæ rebellionis, ad immobilitatem jurejurando firmandam ſubrecti.

Die poſterô, qui Februarii viceſimus ſeptimus, ac *Martialis* eô fuit annô, deſignantur

tur ædes, antrorſum in *forum Equarium* etiam ipſæ prominentes, è quarum editioribus, & in publicum versìs, feneſtrìs, die tertiô, ſcriba forenſis reorum delicta recitaturus eſset; & *prolegati* Principum, qui jure vicariô quæſtiones exercuerant, ſupplicium ſpectaturi.

Domus hæc erat, *hippotelónii* (6); ſatìs & ipſa conſpicua; capáxque præterea, complurium, ſpectaculi cupidorum. Hujus ergò frons omnis, anterioresq; parietes, à feneſtrarum projecturis exterioribus, ad infimæ contignationis initia, tapetibus atri coloris prævelantur. Inferiùs autem, ligneìs exſtructa compagibus tabulata gemina, ſolariorum inſtar, & quinûm pedum altitudine, conſtituuntur; lata, quantùm uſus poſtularet. In horum altero, quod dextrum *hippotelónii* latus occupabat, conſeſsuri poſtridie *Senatores* urbis; in eo verò pegmate, quod ſiniſtrum tenebat, *Comes caſtellanus*, & *capita tribuum*, erant. Super utriuſque demum theatrorum iſtorum intervallum medium, *tertium* aliud, inferioris magnitudinis, contextum aſseribus, erigitur, quaſi *theatridium:* in quo, ſtantes ſedentésve *Rei*, faci-

Fettmilchiana peſtis, excìſa.

norum ſuorum ſummam, ac damnationis quiſque ſuæ ſententiam decretoriam, eſset auſcultaturus. Univerſum interim areæ, ſupplicio repræſentando deſtinatæ, ſpatium, quò minùs, ab interturbatione, metûs ac periculi foret, trabium robuſtarum conſertîs inter ſe nexibus, ceu limitibus, ſepiebatur: qui *ſpectatorem*, ab *actore* rerum, ſegregarent.

V. Cùm autem eorum, in quos animadvertendum, in diem proximè ſecuturum, erat pars eſset una, jam olim *urbanîs* clauſa *cuſtodiîs*; alii verò, *foris*, longiùs, aut propiùs urbem, diverſorum locorum carceribus attinerentur: *priores* quidem illi, per hos ipſos dies in *hippotelónium*, quod dixi, translati; cæteram conſciorum turbam, & fatalem neceſſitatem, illic exſpectabant. *Extra mœnia* verò degentes, captivorum cæteri, (qui ferè conjurationis *anteſignani*,) ſub hujus ejuſdem diei noctem, jam ingruentem, alius aliunde deportati; demum *Hœchſtæ* ſimul omnes conveniunt. Simulac autem, mediô noctis exactô, tempus antelucanum, pridie Calendarum Martii, nempéque triſtis ille *Mercurii* dies, adrepſit, denuntiator idem invectórque mortis: manibus ſingulorum,

rum, ac pedibus, arctè conſtrictis, ii; qui facinoribus *eminebant*, in currus quatuor apertos conjiciuntur. In primum quidem, eúmque ſolitarium, *Vincentius Fettmilchius*; quaſi ſcelerum ipſe ſuorum, & audaciæ, *triumphum pullatum* agens. In currum, *proximè* ſubſequentem, is, qui malitiâ proximus extiterat; *Conradus Schoppius*, ſartor: aſſeſſorem nactus in plauſtro, quem antehac habuerat in officina, conſortem artis; juvenem cœlibem, patriâ *Steinfortenſem*. Plauſtrum *tertium* vehebat, certantes furore cum primis, *Adolphum Cantorem*, & *Petrum Mutſchierum*. Captivorum *poſtremi* vehebantur, *Conradus Gerngroſſius*, ſcriniorum artifex; cum *Hermanno Caprâ*, ſartore: quem & filius, (ut ad annum quoque decimum quartum memoravi,) puer undecennis, comitabatur.

Et hi quidem, hâc, quam deſcripſi, pompâ ſeriéque, *Francofordiam*, ac ſuum ad interitum, *lentè feſtinabant*: mœrentes, & pleramque viæ partem, non minore turbatæ mentis, quàm nebuloſi crepuſculi, caligine circumfuſi. Lucem oculorum, negabat illis diluculi tarditas: aciem animorum, oppreſſerat *præteritorum remorſus*, *in-*

Fettmilchiana peſtis, exciſa.

ſtantiúmque metus ; omnis pernicioſi laboris merces.

VI. Inter hæc autem, & urbs jam dudum, rerum etiam ipſa ſuarum ſatagebat. Et otioſum quidem vulgus, noctis ac ſupplicii moras pertæſum, à tertia circiter antelucanâ confluere cœperat; & opportunum ſibi quiſque ſpectandi locum antecapere. Sub quintam verò matutinam, & *Comes*, quem dixi, *caſtellanus*, cum tribuum urbanarum primoribus; & Senatus frequens, magnâ cum miniſtrorum turbâ, forum deſtinatum petentes: in aſſignatis ſibi theatris utrobique, ſeſsum ſeſe receperant, & exſpectatum. Tenebantur, (ſicuti per noctem fuerant univerſam,) adhuc occluſæ portæ mœnium, ad unam omnes: & valla, circùm urbem, foris; intúsque, civitatis armamentarium, ac potiſſima quæque loca, foráque, civium armatis denſîsque præſidiis ſervabantur: non receſsurîs antè, quàm in reos animadvertendi finis eo die factus eſset.

Diluxerat verò tandem; & agendi, quorum uſus erat, tempus imminebat: cùm repentè, cæterîs omnibus obſeratîs permanentibus, *portæ* panduntur *geminæ*: quarum alteri,

teri, *Bokenhejmianæ* nomen, alteri *Patibulariæ*, fecerant antiqui cives, retinuerántque juniores. Per has, quas dixi, portas, *equitum* primùm *hemicataphractorum* (7) ala minax irrumpit, una: quam caterva mox ſequitur peditum numeroſa. Miles hic, in forum primò, ſupplicio deſignatum; dein, partitîs utrimque cuneîs, in vicorum celebriores contendit; ecquid omnia pacata ſint, exploraturus. Hos autem è veſtigio ſubſecutæ, pérque portas eaſdem admiſsæ, complures equitum turmæ, peditúmque, ſub vexillis quique ſuîs, manipuli; pars eaſdem, per quas intrârant, portas præſidiô pleniore firmant: pars autem, eáque maxima, copiam augent eorum, qui *forum equarium*, ac ſupplicii locum, occupârant. cùm inter hæc, ii, quos *Hæchſtâ* vinctos in curribus advectos, paullò ſuperiùs memorabam, urbem intrant: & per ora populi, (ſubſecutîs illico, geminîs in quadrigis, qui reorum quæſtionibus præſederant, Principum prolegatîs,) *hippotelónium* versùs deducuntur. quò priuſquam planè pervenirent; ſubſiſtentibus plauſtrîs, captivi pariter omnes nexibus ferreîs, quibus ad currus & ipſi revincti fuerant,

Fettmilchiana peſtis, exciſa.

rant, & inter ſe ſingulorum conſtricti pedes, ad inceſsum liberiorem exſolvuntur. Indè pòſt deducti per ædiculam, *Divo Materno* quondam ſacratam, in ædes tandem *hippotelónii* perveniunt. Ibi collectam, ac jam dudum exſpectantem ſe, non illam modò conjurationis participum turbam *urbicam*, ſed *concionalem* quoque *Miniſtrorum-Verbi* gregem, inveniunt; *conſolandis* vinctis, & partim *Cœnâ,* quam vocant, *dominicâ* cibandis, intentum.

VII. Dum autem hæc, aliáque talia, captivos inter, & exhortatores eorum, colloquia negotiáque fiunt: matutini temporis interim hora lapſa jam *octava*, principium aliquando dari pœnis admonebat; inſtante præſertim, ut ità fieret, etiam præcone publico; qui, tympani præmiſsô pulſu, *Tempus*, clamabat, *eſſe*, quo de ſontibus ſumi ſupplicium oporteret: & (utì proximâ quoque denuntiatione fecerat,) ſilentium univerſis, & quietem, imperabat. Continuò verò, finitâ præconis voce, tympaníq; concuſsu, pullatarum ædium illarum, quas ſuprà deſcripſimus, in editum, ac publico patentem conſpectui, locum *ſcriba forenſis* procedit.

Digitized by Google

cedit. Eodem ſeſe *prolegati* quoque conferunt: ad apertas utrimque diductáſque feneſtras, audiendis ſpectandíſque ſingulis, intenti. Producuntur ſtatim, ex ædium inferiore parte, ſuum in tabulatum (quod Senatorum, ac tribunorum plebis, medium fuiſſe dixeram) tres Conjurationis principes: *Vincentius*, & *Conradi duo*. Quibus illic omnium conſpectui proſtitutîs, habitu cultúque quàm maximè miſerabilî; *Scriba*, de quo dixi, publicus, *triumvirorum* Seditionis, ſua cujuſque facinora, ſingillatim è tabulis & Actîs judiciariis, altâ claráque voce, ſummum inter populi ſilentium, recitat: *QVOD hi tres, & præ cæteris, ductor improbitatis reliquorum, Vincentius Fettmilchius, diurnas antehac malequietorum civium coitiones, quòdq; cœtus nocturnos, contra leges, crebrò feciſſent: quòd iidem ſeditiones turbidas excitâſſent; quòd, ad novandas miſcendáſq; res, pernicioſa patriæ conſilia frequenter iniiſſent; & inita, jurejurando pernicioſiore ſtabilîſſent: quòd, audaciâ petulante, Senatum legitimum in curiam concluſiſſent; emiſſum indidem, in ordinem redegiſſent: magiſtratus veteres dignitate dejeciſſent; novos, arbitriô ſuô*

Fettmilchiana peſtis, exciſa.

lectos, intruſiſſent : quòd, in his omnibus, Legatorum Auguſtalium mandatis non paruiſſent; prolegatos, territando, ſuam in ſententiam eſſent pertrahere conati ; Cæſaris etiam ipſius dehortationes floccifeciſſent ; proſcriptionum minas exploſiſſent ; earum poſtmodo fulmen, reipſa jactum, exſibilâſſent ; fecialem, ab earum promulgatione, metu mortis, abſterrere tentâſſent : quòd alia præterea complura contumaciæ deteſtabilis exempla patraviſſent ; quibus (utì duces multitudinum) vulgus furioſum, ipſi plus furentes, ad multa nefaria concitâſſent : Imperatoriæ verò Majeſtatis reverentiam, imminuiſſent, proculcâſſent, &, quantum in ipſis ſitum fuerit, ex orbe ſuſtuliſſent: ob ea, perduellionem facinoribus illis judicari. Quorum facinorum, aliorúmque delictorum complurium (& erant ſanè plura, ſinè numero; de quibus in annis dictum ſuperioribus eſt; &, de Judæorum præſertim ejectione Francofordianâ dum ageremus,) *cùm Fettmilchius, & Schoppius, ac Gerngroſſius, ſcelerum illius proximè participes, & adjutores, rei tenerentur : cúmque deinceps iidem hi, quæſtionibus legitimîs accuratè prægreſſîs, auditíſque teſtibus & multîs, & idoneîs rei peracti, convictíque, propria quoque confeſ-*

ſionis

ſionis indiciis, eſſent (8) *: de Caſaris, ac Judicum, decretô ſententiaq; ſicuti de* Læſæ majeſtatis *condemnatis, &* perduellibus Imperii, *ſumendas in eum modum, ordinémq;, pœnas fore.*

Primùm quidem, ut confeſtim tres illi, promiſcuè communitérq;, carnificis in manus traderentur. Ab eo, dexterarum manuum digitus index, *eiq; proximus* medius, *(utpote, nefandum ad ſacramentum in conjuratione levati,) præſecarentur; &, his decuſſis, continuò quoque caput. præciſa verò capita, ferreis infixa contis, ex editâ, cunctiſq; conſpicuâ, parte turris, quæ ponti ſaxeo Mœni fluminis impoſita praeemineret, ad ſpectaculum terrorémq; proponerentur. Illa præterea cadavera, quibus, præter digitos & caput, nihil abſectum eſſet, extra portam raptata patibulariam, tumulum in* CAMPO-SCELERATORUM *acciperent. Deinde, quoniam Fettmilchi malitia, ſociorum improbitatem multùm antegreſſa, pluſquam vulgaria pœnarum genera meruiſſet; hæc eſſe, quæ, ſuprà cæterorum præterea ſortem, in eum lex & juſtitia decreviſſent.*

Corpus, adhuc viventis, injectum infami trahea, jumentorum operâ raptaretur ad locum

Fettmilchiana peſtis, excisa.

Digitized by Google

cum, in quo plectendus eſset. Idem deinde corpus, digitîs & capite truncatum, carnifex quatuor in partes diſsecaret. quartarum verò partium ſingulas, ad totidem vias publicas, quatuor ſollemnibus cœli regionibus obverſas, ſuſpenderet. Fettmilchi Domus, ſolo funditus æquaretur; æquatáq; permaneret. In diruta ruderibus, & areâ, columna ſtatueretur ſaxea; cuj litterîs palmaribus inſcripta, Fettmilchiana ſeditionis & conjurationis ſeries, auctórq;, perpetuîs temporibus legerentur. Uxor inſuper, ac liberi Fettmilchiani, Francofurtô, latîsq; circùm finibus, pulſi, ſempiternùm exularent. Ex his demum pœnis, nullius, præterquam raptationis in trahea, (quam Imperatoria manſuetudo remitteret) laxamentum ullum, aut fieret, aut ſperaretur.

VIII. Hæc cùm in hunc, quem retuli, modum *Scriba prætorius* promulgâſset; ac virgæ fatalis tripertita comminutio, judicum declarâſset ſententiam irrevocabilem: nihiloſecius *Tresviri* conjurationis, nimis quàm, ac toties jam, damnati, ſeſe, vanam in ſpem (incertum, in quam, & quibus auctoribus?) impulſi, *prolegatis* Principum, è loco ſuperiore, ſicut dictum eſt, audientibus ac ſpe-

ctanti-

Digitized by Google

ſtantibus, flentes, & in genua dejecti, ſupplicare cœperunt; *Miſereri proſtratorum dignarentur!*

Sed, præ cæteris, *Vincentius* (cujus erectum, tantùm non ad nubes uſque, caput, ac ſpiritum, totâ volitantem antehac urbe, nemo non formidârat) nunc, & poplitibus ſerviliter humì flexîs, & cernuô vultu, rogabat & obſecrabat; utì *corpori* ſuo, poſt exitum ſaltem vitæ, gratiæ pars ea fieret; quâ, partitionibus ignominiosîs prætermiſsìs, omnium communi matri, terræ, mandari poſset. Sed reſponſum eſt; SERÆ SUBMISSIONIS, SERAM *eſse* MISERICORDIAM!

In quæ verba, compulſatô denuò tympanô, protinúsque ſecundùm judicata, decreta, denuntiatáque, procedente negotiô; Jus lenitati præpotuit: ac perrectum ad ſpatioſius illud, quod ante triduum *Hœchſtenſes* ſubmiſerant, ſupplicii pegma.

Forma porrò pegmatis illius hæc erat. *Altitudo* (quemadmodum & ſuperiùs indicare cœperamus) pedum quinque. *capacitas*, pro rerum neceſſitudine, turbâque reorum, & ſupplicii miniſtrorum, commodè ſpatio-

ſpatioſa. Pavimento verò tabulati, juſtam ad magnitudinem exciſo, ſupinum erat oſtium nexibus ferreîs inſertum; &, quoties uſus poſceret, ſurſum versùs reductu facile: necnon ligneîs & ipſum tabulis compactum, manubriôque forinſecus ferreô recluſuris accommodatum. Extra fores autem has adapertiles, (quas oportebat eſſe nudas, & ad aperturam ac relapſum agitabiles,) reliquum ferè plerumq; theatri ſpatium arenæ cumulîs erat, per intervalla, conſtratum: ut, cùm res exigeret, ad manum eſſet copia ſabuli ſufficiens; Mœni, tam vicini, *beneficium*, in *promptu* jacens, ſed ex præparato *ſiccum*.

IX. Hæc poſteaquam, ut diximus, apparata ſunt; ad actum proceditur extremum. Amputatîs triumvirorum rebellionis unicujque *digitis binîs*, decutiuntur & *capita*: locóque mox, quo quiſque conciderat, *arenæ* congerie coopertô; trunci, capitáq; præciſa, per apertas theatralis pavimenti fores, dantur in præceps; &, tympani motu, JUSTITIÆ plauditur.

Quô verò temporis veſtigiô *Fettmilchius* aperire manum & collum ferro cœpit; eódem

dem illo, caterva legionariorum una, cum alariorum itidem unâ turmâ, cúmq; fabrûm materiariorum, è ſingulis militum ſignis delectâ, multitudine, concitato gradu *Fettmilchianas* ad *ædes* tendunt. Ibi, ductor agminis, nudatô gladiô, *ter* januæ poſtes ferit; alius autem, ictibus totidem ſariſsæ ſuæ, januam ipſam perrumpens, domum laxat: indéq; cæteris omnibus, domûs effringendæ, penetrandæ, concidendæ, teſſeram, exemplô jacit, & hortatu ſuô. Sic, momentô pæne temporis, erutæ fundamentîs ab imis ædes, & in pulverem diſſipatæ, nudam rediguntur in aream: imitationéque veteris illius Quiritium, novum Teutonibus præbent *Æquimelium*. (9) Ejus facti cauſsas prodit, poſt paullum illic erecta, quámque Judices (utì dixi) decreverant, *pila lapidea*; cum *Inſcriptione* rei geſtæ: quæ ſuperſtes, *hâc etiamnum tempeſtate*, monimentum & epitaphium ſe præbet *Fettmilchi, perturbatoris Reipublicæ*, ſemel quidem ſublati; ſcelerum autem ipſius exſecrabilî recordatione, ſemper in ſucceſsorum oculis & horrore victuri.

X. Sub hæc, ad alios *Seditionum* concitatores, ac participes, factô ſuppliciorum tranſi-

(9) Fettmilchiana peſtis, exciſa.

tranſitu; producuntur, *Georgius Ebelius*, pannorum atri coloris tinctor; *Adolphus Cantor*; *Stephanus Lupus*, reſtio, cum Hermanno Caprâ, ſartore. Præciduntur & his capita, cadaveráque ſimul & capita, (ſicuti præcedentium,) per fores pavimenti recluſas dejiciuntur ſubtus theatrum; dum, hinc poſtmodum abſtracta, ſub patibulo contumulentur.

Ebelii tamen eminenti malitiæ ſeorſum id pœnarum adjectum eſt: ut, à pollice proximi, *duo* dextræ manûs *digiti* præſecarentur, ante cervices: caput autem, conto ferreo Mœnani pontis, ac turris, infigendum, cum triumvirorum capitibus, ſeponeretur ad ſuſpendium.

Poſt hos autem, alii quidam, numerô *novem*, adducuntur. Hi, quòd partim modis aliîs rebellionem promôſsent; partim verò, duces aut adjutores fuiſsent multitudinum, quæ, bienniô circiter abhinc, *Parvam* Hebræorum *Jeroſolymam* expugnârant; fortunas eorum diripuerant; ipſos, mœnibus extruſos, in exilium ejecerant. Eos nunc omnes, verbìs conceptîs jurare priùs adactos, *Nullis unquam temporibus, rerúmve caſibus*, *diœceſi*

diœceſi Moguntina, finibus Haſſia-Principum, ac *Francofordiæ mœnibus*, *appropinquaturos*: interea, renudatis ad plagas dorsis, *virgarum* ictibus in exilium tortores fugant. Sinè virgarum autem ſuppliciô, pœnam ejectionis eandem (etſi diſpar ad ſpatium relegationis) alii turbatores *octo*, ſuſtinere jubentur: quos inter, profugi jam olim, *Joannes Halbajus*, *Joannes Saverrius*, *Adamus Stummelans*, & *Gerardus Theuranus*, perpetuæ fugæ condemnantur. Super hos verò, *Joannes Hermannus Geiſselbackius*, & ipſe vinculis elapſus; Cæſareô decretô proſcribitur: ut omnibus exſecratum caput.

XI. Dum autem hæc vel maximè fiunt, & vitâ vel mœnibus expelluntur, malè de patria meriti, cives; eádem horâ, per equites delectos, & peditum globum, ſub ſignis emiſsum, *Judaorum* multitudinem, ex compoſito jam foris opperientem, *Judices* in urbem, unde per vim pulſi diſceſserant inviti, nunc quaſi pompâ quadam reducunt: ac, præter ſupplicii, de Seditioſis ſumpti, locum, velut ad ultionis recentis teſtimonium oculis hauriendum, incedentes; in vicum ſuum veterem, & in ſuum quiſ-

Fettmilchiana peſtis, exciſa,

que domicilium, reſtituuntur: affixâ portæ laminâ prægrandi, cum *Auguſtalis*, adæquè ſpectabilis, *aquilæ* picturâ bicipiti, verbîsque, fronti bracteæ præſcriptîs, TUTELAM CÆSAREAM ſpondentibus.

Ità *Matthias* fieri mandârat, *Imperator*; impetratô, Judæorum indefeſsîs interpellationibus, à duodecimo jam menſe, (10) *Reſtitutionis in integrum* ſeverô Decretô. Quæ res quidem tota *Cluverum* Danum, more ſuo calumniatorem, parùm delectat (11); quiritantem in *Epítoma* ſua, *Judæorum gentem in partem Imperialis urbis receptam eſſe; Chriſtianorum, è diverſo, pulſam*. Sed is, *juſtè* quondam Hebræos extruſos, *injuriâ* verò reductos fuiſse, nullîs adhuc argumentîs palàm fecit. *Chriſtianos* autem, agentes malè, mala pati debere; voce *Chriſti* (12) fixum, ac ratum eſt.

Cæterùm, ut hujus univerſi negotii, (quod, à ſummo diluculo cœptum, in primam jam pomeridianam horam ibat,) ſupremus Actus tandem, & in Juris omnes partes, ac plenitudinem, exiret: decretô prætere *novô*, tribuum, & ſocietatum (quippe, quæ ſeminaria fuiſsent Seditionum,) collegia,

Digitized by Google

legia, cœtúsque, paucîs admodum retentîs, in poſterum omne tempus *antiquantur* (13). forma rerum ordinandarum, quâ poſthac inter ſe cives, per artificum opificúmque legitimas coitiones, uterentur, ex editiore loco promulgatur. Miles omnis, & equitatus exterus, qui manè præſidii tranquillitatísque cauſsâ fuerat intromiſsus, itidem pacis ac quietis ſtudiô remittitur; *foris* pranſurus. cadavera denique, locîs infamibus tumulari juſsa, tumulum ibidem capiunt: infigenda ferreo longurio capita, figuntur; & è turri proponuntur: ac *Fettmilchi* truncum corpus, quadripertitò laniatum, quadrifidum totidem viis exhibetur ſpectaculum. Ad ſummam! Omnia ſic ad unguem peraguntur; ut dici poſset, *Cruentus* hic actus *ſupremam* ab eodem, à quo cœperat, (Carnifice, putà) tandem accepiſse, *manum*. (14)

Cæterùm, lacertoſum hunc Juſtitiæ forenſis adminiſtrum, ingentî virum corpore, præmiisq; poſthæc, ob operam ſtrenuè navatam, affectum, & heteromallô ſericô purpurei coloris ſplendentem; ego, paucîs pòſt menſibus interjectîs, (15) apud *Caſtra Fabia*, casù forum tranſiens, vidi, ſtantem in-

A a 2 genuîs

Fettmilchiana peſtis, exciſa.

genuîs cum viris : audivíq; gloriantem ; *Suam per dexteram, ac rhomphæam, universa Francofordiani motûs illius membra, capitáq;, Lethæas ad aquas ambulâſſe.* Viſúsque mihi fuit, (quocunque tandem nomine præditus) *Herculem* ſeſe ferre *redivivum*; quippe, tam multarum *Hydræ*-novæ cervicum, tam felicem decollatorem.

XII. Nequaquam verò par laborum campus, aut numerus, obtigit, hôc eodem annô, capitum meſſoribus *Aquisgranenſibus*: qui, dum *Seditionis*, vix diſparis, ſive levioris, annô præſertim undecimô, decimóque quintô, gliſcentis, ac præ cæteris *Proteſtantes* urbis *Aquisgrani* furiantis, expetere pœnas jubentur: inter plurimos, motûs illius reos, ægrè *tres* demum, in quos ſeveritatem ultimam diſtringerent, nacti ſunt. *Horum*, duos in *vivis* adhuc repertos, necârunt. *mortuum* unum, indignum vitâ, dignúmque *quadripartitione*, pronuntiantes; idipſum picturîs nudis, & probroſâ columnâ, declarârunt.

Cæſi proinde *nominatim*, carnificis gladiô, palámque pro curiæ, quam turbârant, gradibus plexi ſunt; *Matthias Smeetſius*, & *Anto-*

Antonius Niger. A morte verò demum, perduellionis ob crimen, æternâ notatus ignominiâ, *Joannes Kalcbernérus*, ceu læſæ majeſtatis reorum *Anteſignanus*: qualem eum, erecta pro curia, pila lapidea deſcribit, ac nominat. Quæ tertiô Nonas Decembris anni præſentis acta ſunt; præſidentibus judicio, ſuppliciíque ſimul exactoribus, Electoris Colonienſis, & Archiducis Alberti, *prolegatîs*. Cæteros turbarum Reip. concitatores, pro meritis ſimilia paſſuros, maturè, vel naturæ fatíque lex, vel fuga latebræque, ſuppliciis præripuêre. quorum celebriores ego, poſt *Kalcbernérum*, & duos illos capite (ſicut dixi) truncatos, fuiſſe comperio, Joannem Giérum, Adamum Schanternellum, Joannem Belliérum, Gerardum Mejſium, *à Bove* cognominatum (16): Joannem Boonam, Petrum Scribam, Antonium *De la Placium*, Gaſparem Thenenæum, Theodoricum Merkelbachium, & Iſaacum Heydénum. (17)

Hîs autem, ac talibus aliîs, partim *Francofordiæ*, quemadmodum expoſui, domitîs, partim *Aquisgrani* repreſſîs, aut fugatîs; impræſentiarum, hic Annus *Seditionum* nactus

 otium

Fettmilchiana peſtis, exciſa.

otium fuiſset; ſi per MALUM INQUIETUM, MULIERES, licuiſset.

XIII. Non licuit autem, per *Delphtaas*. Eſt *Delphta* (quam, audaciâ præſertim poëticâ, per aſsentationem nonnulli *Delphos* appellant) Bataviæ trium urbium primariarum facilè mundiſſima nitidiſſimáq; (18). quam, ſic dictam antiquitus, fama fert, à *Foſſa*; *Domitii Corbulonis* militum labore, viginti trium millium ſpatiô paſsuum, à Moſæ ripis Rhenum versùs ductâ: priuſquam, qui pagus tunc illic, amœniſſimô loci ſitu, ſtabat, in urbis demum opus, & amplitudinem, aſsurgeret. (19)

Portum urbs habet commodum, ſed operis antehac ſumptuoſi; nec levibus ſemper impendiîs inſtaurari facilem; ideóque materiam, quoties collatitiîs argenti ſubſidiîs opus erat, querelarum vulgi. Celebris interim eſt, non ſeipſa magìs, ædiúmque ſuarum cultu, civitas; quàm litteratîs quibuſdam civibus quondam, & incolîs: inter quos, ævô paullò ſuperiore, fuit *Adamus Saſboutius*, aſceticus Theologus; & *Cornelius Muſius*, POETA (QUOD RARUM) PIUS, ac SANCTUS. memoriâ quoque noſtrâ,

noſtrâ, *Chriſtianus Adrichomius*, Palæſtinæ geographus; & ingenii ſingularis, *Hugo Grotius*. Habet hæc eadem urbs intrà ſe, peregriníſque monſtrat, *Gulielmi*, *Principis Auraici*, tam monimentum oſſium & cineris, in Hippolytæo templo; quàm cædis, ſclopô Balthaſaris Gerardi Burgundionis, viſceribus ejus Principis, in ædibus Anglicanis illatæ. (20)

Verùm, in hac, tam compoſitâ cæteroquin (utì ſibi videbatur) urbe, motus hôc annô matrumfamilias, aliarúmq; promiſcuè ſexûs iſtius, incompoſitus coortus eſt; è *parſimonia* (ſi verum quærimus) ac pecuniæ ſtudiô, *Senatûs*. quod hujc, ob portûs Moſani firmitatem reparandam, E REPUBLICA, civium autem egentioribus, INTEMPESTIVUM & *avarum*; id mulieribus demum (ut amentioribus) TYRANNICUM apparebat, & vî rebellî diſſipandum, conſilium. Nempe, rectè dictum à priſcis eſt, FRUGALITATEM, quantumvis hæc, in rectoribus multitudinum, commodum ſpectare publicum prædicetur, MISERIAM tamen ESSE RUMORIS BONI. *Regere* præterea *Fœminam* (quæ *medium nihil arripit*,)

Delphtæa mulierum Seditio.

ripit,) *eſſe* debere, *deſperationem virorum*, in calore præſertim contumaciæ; rectè veréq; Publius Afer admonuit.

Cæterùm, *rebellionis* iſtius *Batavarum*, tanquam Bacchicis Orgiis inſanientium, cauſſas, progreſſum, & exitum, ſiquis diffuſiore narrantem expoſitione ſcriptorem quærat; is *Latomum* inveniet, per aliquot iſta paginas exſequentem: cujus & nos potiora quæq; *Metro* demum ſuô perambulabimus. Sum̄am autem *ſoluti ſermonis* contractiorem qui mallet, & noſtram tamen, (utpote, *Calvinianorum* haud amiciſſimam, proptereáque partium ſuſpectam,) refugeret: habeat is, de *Proteſtantium* tumultu ſuccisè (verùm, in his, ingenuè) ſermocinantem *Proteſtantem*. cujus, præter morem alioqui noſtrum, hoc locô narrationem, ſtudiô candoris, ad verbum, nec vitatis, (ſicut in opere reliquo,) ſynalœphis, adnumeramus.

Domì (de Batavis agens, inquit auctor ille,) *vix ferendæ libertati, erant animi plurimorum. Amſterodami, involabatur in ædes, quas ſacro ſuo Arminiani deſtinaverant. Delphis, nec mulieres temperabant manibus. Cognitô enim, vectigal vini minutum, auctúmq;*

fru-

frugum, eſſe; impetum in Curiam fecêre. Ibi, pecunias, ex frumentis factas, effundunt. Viros, ſeditionem inhibituros, redigunt domum, Senatum, ut arbitriô ſuô (putà, mulierum Delphtæarum,) *vectigal recidat, compellunt. Opúsq; exercitus fuit, quo Muliebris vindicaretur audacia: ut pæne Amazonum diceres prœlia integrata.* Cluveri ſunt hæc, ad aſſem, verba. (21) Quibus addere, ſatis fuerit: Hanc, incenſarum furoris æſtu, mulierum *Flammam*, fuiſſe quidem *animorum*, quam dicunt, *allegoricam*: eámq;, quibus incendii minîs orta fuerit, iiſdem & repreſſam eſſe. Sed, quidſi diceremus, Eam pariter interea, tanquam illius quondam *Hecubæa facis flammam*, fuiſſe vaticinam, ac certè præviam, *ipſarum* aliquando flagraturæ *Troja?* DELPHTÆ, dico, Batavicæ, Phrygiæ *regiam* quandam imitantis; ſi duæ præterea civitates æmulæ, primas ei concederent: quod tardè facient. Sed, quod dicere parabam, hoc exſequor.

Hæc *Troja Delphtæa*, ſicut illius Hecubææ *ligneus* uterus, ab hâc temporum ſerie, *parturire* cœpit; incrementis inſtrumentorum belli fœta; *peperítq;* demum annô no-

Delphtæa mulierum Seditio.

ſtratis Sæculi quinquageſimô quartô, funeſtiſſimum civibus ſuis *Incendium*; è pulvere tormentario, *centum quinquaginta millium pondo*, coortum: & per urbem, momentô temporis, diſperſum: ídque, clade *quingentarum* ædium; ac, præter has, *hominum*, *mille ducentorum*. (22) quæ ſtrages erat, ſine comparatione, major. Funeſta namque longè minùs eſt, ſphæræ Mundi totius (animam intelligentem non ſortiti,) quàm vel *unius unici*, de poſteris Adami, capitis *ruina*. Quid vultis? *Mundus* hic, *opus digitorum Dei*, deflagrabit (23); & flammîs innoxiîs. *Homo*, *Dei* viventis *Effigies*, in immenſum damnosè comburitur. (24)

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(1) *Apud Criſp. Salluſtium, de bello Jugurthino, Ca. Memmius, tribunus pl. deſignatus.* Quàm quiſque (*inquit*) peſsumè fecit, tam maxumè tutus eſt. (2) *De muricibus ferreis, à Dario in perniciem equitatûs Macedonici, ſed incaſſum, defoſsîs, vide Q. Curtium, libro 4. cap. 13. ad fin.* (3) *L. Caſſii, prætoris Romani, in ſententiis ferendis, & in judicando,*

cando, ſancta integritas, & inflexibilis juſtitiæ ſeveritas, notiſſima eſt, è Jugurthino Salluſtii, ante med. §. Hæc, atque alia hujuſcemodi. *&c.* (4) *In eo* Cædua *&* Concædes, *differunt: quòd* Sylva cædua *ſit, quæ ſuccidıtur ad uſum;* Forſt / oder Hauwald / *noſtris:* Concædes *verò, cæſarum arborum rami, Plinio, & Hadriano.* (5) *Annô videlicet 1612. ſub Comitiis, & iiſdem quoque ſimtîs: quibus electus ac coronatus Imperator Matthias erat.* (6) Deß Roßzolls. ἵππος *enim, Equus eſt:* τελώνιον *autem, &* τελωνεῖον, *Suidæ*, domus telonii, *equorum. &c. rerum.* (7) *Continuator Slejd. pag.1467. col.1. ad med.* Ein Trouppen Reutter / mit halbem Küriß. Holocataphracti *verò, dicuntur abſolutè,* Kürißer. (8) *Id eſt,* enuntiationibus, *de ſeipſis, & actîs ſuis. Ità vox hæc, &* Indicare, *ſæpius à Salluſtio in Catilina, & nominatim in fine orationis Marci Catonis, uſurpatur. Non ergo* Indicium *ſemper eſt idem, quod Signum, argumentum, nota,* σημεῖον, τεκμήριον: *uti nec hôc locô.* (9) Spurium Melium, *equeſtris ordinis divitem virum, largitione frumentariâ populi in ſe ſtudia, & per hæc, Regnum, affectantem, populi Romani dicta-*

Seditionum motus; & pœnæ.

dictator, L. Quintius Cincinnatus, imperiô ſuo, C. verò Servilii Ahala, magiſtri equitum, manu miniſteriôq;, in foro obtruncavit. Domum deinde *ejuſdem (inquit libro 4. V. C. Tit. Livius)*, ut monimento area eſset oppreſsæ nefariæ ſpei, dirui extemplò juſſit. Id Æquimelium appellatum eſt. (10) *Nam id Judæi, menſe jam Februariô anni 1615. impetrârant: ut Arthuſius Dantiſcanus lib. 21. geſtorum publ. tradit.* (11) *Verba illius ſunt pag. 772. col. 2. med.* Qui (*Judæi*) Francofurtum quidem pompose ſunt reducti, haud ſinè Chriſtianorum opprobrio; exitiale illud Reipublicæ virus ſuopte paſſim gremiô foventium. (12) *Matth. 7. v. 21.* Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, (*quod faciunt Chriſtiani* nominales, *& ore tantùm tenus eum ſonantes, nudâ* Fidei *jactantiâ contenti,*) intrabit in regnum cœlorum. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur. *& alibi*, Maledicti, *etiam* fideles, *ſed immiſericordes*; *&* Operarii iniquitatis *inventi*, diſcedere *jubentur* in ignem; *&* Qui gladium educunt (*auctoritate privatâ, quod rebelles & ſeditioſi fecerunt, in ipſum quoque magiſtratum inſurgendo,*) gladiô peribunt.

ibunt. (13) *Continuator Slejd. pag. 1468. lib. 21. & Abrah. Saurius, in deſcriptione Franco-furti, pag. 507. clariuſculè, circa med.* (14) *Univerſam punitæ ſeditionis hujus hiſtoriam fuſiùs apud Continuatorem, quàm uſpiam alibi, leges, à pag. 1465. & ſeqq. idiomate Germanico. lib. 21.* (15) *Die 9. Auguſti, pervigiliô S. Laurentii.* (16) Gerhard Meiß/ vom Ochſen. (17) Iſaak von der Hayden. *Harum porrò, de Aquisgranæis ciërcitis, rerum narrationem prolixiorem, invenies apud Slejd. Redivivum, lib. 21. ante finem libri, pag. 1485. & 1486.* (18) *Abrah. Saurius, De Urbibus, in* Delphta, *poſt med. Vide & Georg. Bruin, in Theatro Urbium, Tomô 1. & Jod. Hondium, in tabulam Hollandiæ, pag. 316. col. 2. à princip.* (19) *Adi Michaëlem Florentium Langrenum, coſmographum regium, in tabulam 17. provinciarum Belgii, anno 1647. editam.* (20) *Abrahamus Saurius, de Urbib. in* Delphta; *quam is &* Delphos *in titulo nominat: ſicut & Hondius, locô, ſuprà citatô, in corpore. Alii,* Delftam, *per quartam conſonantem Latinorum, à* Delf *(inquit Hondius, loc. cit.) quô Batavi* foſsam *appellant; utpote,* à Moſa, uſque ad urbem, ductam.

Seditionum motus; & pœnæ.

ctam. (21) *Pag. 775. col. 2. & pag. 776. col. 1.* (22) *Abrah. Saurius, de Urbibus, in Delphta, ipſo fine.* (23) *2. Petri 3. v. 10.* (24) *Matth. 3. v. 12. & cap. 16. v. 26. Hanc porrò hiſtoriam prodit & Latomus, pag. 89. & ſeqq.*

METRUM.

Ad finem Operis.

ANNUS

ANNUS M.DC.XVII.

Anni M. DC. XVII.
Geſtorum
SYNOPSIS.

I. HErois, ac VIRI, bellicorum laborum, & gloriæ victoriarum, inexpleti, SCHACH-ABÆ, Perſarum regis, etiam in *decimum ſeptimum* iſtius, quod agimus, Sæculi ſe porrexit *annum* ardor, expeditionúmque curſus.

Et *Achmeti* quidem, Sultano *Turcarum*, ſicut per tot alios antehac annos, ſic etiam hôc adhuc, conſtanter implacabilis; quidquid ultrà Sabæos & Syros, indéque trans Niphatem Taurúmque, montes, in Armenias uſque, reperit *Otomannicæ* poſseſſionis; id omne pervaſit armîs Perſa. Sed, præter hæc interim, à quibus in id uſque tempus vim abſtinuerat, in *Chriſtianos* quoſdam regionum, inter Septentriones & Orientem ſitarum, incenſus; exſerere furorem ſuum cœpit.

Anni Acta.

cœpit. Cujus ego rei ſpecimina poſteriùs aliquantò, ſed ſeorſum, adducam.

Achmeten autem, non ſanè ſenium ullum, aut annorum imperii numerus, ſed duo diverſiſſimi generis mala, mentis corporiſq;, peſſum dederunt: utpote *curarum* hinc, & indè Venerearum *voluptatum*, multitudo. Vixerat annos, haud plures *triginta*. rexerat *Otomannidarum* populos, *in* annum ferè *quintum decimum*. (1) *Schâchabas* tamen, pertinax juxtà, quietiſque neſcius, exagitator illius; tanquam belluam quampiam, Thraciæ ſaltibus paludibúſque clauſam, (2) canes infeſti, ſic ipſe per ſe, pérque ſuos duces, & copias, ità cominus eminúſq;, prorſum, retrorſum, ac circumquaq;, miſerum verſabat: ut nihil, aut parùm admodum, adversùs Perſas Parthóſque, proficiente *Protovizirio* Turcicô, deficeret, æger animô, ſucciduúſq; corpore, Sultanus Otomannicus.

Quas autem, ad oblivionem temperiémve curarum, ſibi ſepoſuerat, *mulieres*; Sultanam putà, gente Circaſſidem, ac pellices circiter *quadringentas* (3): eæ, ſicuti cor ampliùs effœminârunt; ità corpus planè fregerunt; donec, ad *quintum* denique *deci-*

mum

mum Novembris vitâ clauſâ, voluptates hic finiret; & alibi cruciatus ſibi novos præſtinatos inchoaret. (4)

II. *Conſtantinopoli* porrò deceſſit: ubi, cùm filiorum ejus, ex tot matribus, numerus haud exiguus educaretur; eorum natu maximus, *Oſmánes* nomine, deſignatus quidem à patre ſucceſsor jam antehac fuerat. Sed, quòd is hôc tempore, quo pater ad extrema tendebat, vitæ *duodecimum* vixdum annum inierat: moribundîs pæne jam vocibus, animô tamen adhuc valente, *Muſtapham* Achmetes nominavit, patruum Oſmanis: Turcicarum poſt ſe gentium interea regnatorem; dum in Imperii curas & ætatem *Oſmánes* adoleſceret. Is porrò, quem dixi, *Muſtaphas*, Mahomete tertiô, Turcarum Imperatore, genitus, cùm, patre mortuô, cædem ſuî, more gentis, in novis ſucceſſionibus uſurpatô, vix evaſiſset; ab *Achmete*, velut in parte gratiæ, cónditus in cuſtodiam fuerat: in qua *quartum decimum* jam trahebat *annum*; annorum ipſe viginti quinque juvenis, tunc, quando vicarium ad regimen vocabatur. Gæterùm, tempus illud univerſum, carceríſque neceſſitatem,

velando conditionis ſuæ dedecori, *precatoriam* in *cellam*, volens nolens, converterat: in qua, Mahometanis è ritibus, Deo ſupplicârat, aſceticâ ſedulitate. Cùm, ecce, præter exſpectationem omnem, à miniſtris Imperatoris educitur: *Sultanus* conſalutatur; ac, Fortunæ mirando luſu, tanquam in cellam latebráſque ſuas non *abſtruſus*, ſed ad aſpera fluctuantis Imperii tempora *ſepoſitus* conſultò fuiſset, in ſolio fratris collocatur. Operum *precarii* Muſtaphæ *principatûs* primum, aut inter prima, fuit; exutâ religionis larvâ, ſævitia. Filios fratris *Achmetæ*, præter *Oſmánem* unicum, *omnes*, ut quidam tradunt, (5) *interfecit*: ut alii, *vinculis* aſtrinxit. (6) *Juſtis* deinde factis *Achmeti*, circumſpicere fœdera, pactáque regum, cœpit, ac Principum, Europæorum. Et, quoniam *Achmétes*, hujus ipſius anni vernis æſtivisque menſibus, ad *Matthiam*, Romanorum imperatorem, legationem expedierat, quæ, magni cum pretii muneribus, & pluſquam centum virorum ſplendidô comitatu, Pragam Bohemorum, ubi tum Cæſar agebat, ingreſſa; viceſimô verò primô Julii menſis audita, placitiſq; cum pactis remiſſa Byzan-

Byzantium fuerat: nihil, rebus inter pacem bellúmq; tam ancipitibus, differendum ſucceſsor Achmetæ ratus; ab adito ſtatim principatu, *Chiauſium* (7), legati nomine, *Viennam* Auſtriorum (quò jam Cæſar redierat) ablegavit.

Is retulit; *Conditionibus, & limitibus Pacis universis, de quibus inter Matthiam nuper, & Achmeten, convenisset, etiam Muſtapham ſubſcribere; fidéq;, quâ qui maximâ, quin & optimâ, ſtaturum.* Id, quod Cæſari, proceribúsque palatinis, perprobatum; & internuntio Sultanico lucroſum fuit: quippe, *torquem aureum* ab Auguſtali munificentia reportanti. Quem is tamen dum accipit, priuſquam æſtimare diſceret; formidine planè ſupervacaneâ, noſtríſque terris ridiculâ, longè refúgit. Dum enim, in ipſa Prócerum, in qua fuerat auditus *Chiauſius*, aulâ frequentiâque, miniſtrorum principalium nonnemo, Cæſare mandante, cervicibus illius *auream*, quam dixi, *catenam* improviſus injicit: legatus, in *Matthia* ſibi *Muſtapham*, in dorýphoro carnificem, & in torque laqueum fingens ſuffocaturum; (uſqueadeo metus eum excæcârat, ut auri ful-

Anni Acta.

gorem non ſentiret!) in genua ſe dejicere, conjunctíſq; manuum palmîs obſecrare, cœpit: *Tantillum ſibi ſaltem, inter vitam finémq; vitæ, ſpatium temporis indulgerent; quantulum ad effundendas ſupremas coram DEO preces ſatìs eſset.* Cuj tamen, in pallorem jam eunti, ſed ab noſtris erecto, dictum eſt; *Non Byzantium hîc, ſed Viennam; nec Galatæ ſeptem illas turres* (8), *ſed placidiſſimam Cæſaris regiam, eſse: neque cannabî, ſericóve fatalî, colli circulos iſtos, ſed metallorum pretioſiſſimi flexibus, contortos; honorando legato, non ſtrangulando, dari donaríq;.* Tum demum ergò, recollectô ſpiritu, munus agnovit; ac muneris auctorem adoravit: poplitum ſubmiſſione, quàm paullô priùs, hilariore. (9)

III. Sed hæc, iſtô quidem adhuc annô durante, cœpta, procurrerunt exitu rerùm, etiam in primos ſubſequentis anni menſes: cùm *Muſtáphas* interea dominationem exorſus eam, quam nomine tenus, ac profeſſione, *fiduciariam* acceperat, citò, quaſi *plenè ſui juris* factam, exerceret; quippe, ſuo cuncta pro genio libitúque, non è majorum legibus & inſtitutis, agens. Ac primùm

mùm omnium, qui, *culmen Imperatorium*, duceret, eſse *Divinitatis ſolium*, quíque *pluris Regni pompam, quàm ipſum Regnum*, æſtimaret; nec minoris, ſtipatorum fugacem plauſum, quàm popularium conſtantia ſtudia, faceret: ut quàm ſplendidiſſimè purpuram initiaret ſuam; parùm habuit, ingentem, in prætoriani militis, ac ſatellitii, (10) *donativum*, effudiſse pecuniam: niſi, præter hanc, in primam quoque *cidaris* impoſitionem, *decies centena millia nummûm aureorum, ſexies multiplicata*, (11) prodigeret: ſumptum, in tantis tunc Imperii malis, bellicíſque neceſſitudinibus, ærario fiſcóque luctuoſum.

Sed non hæc ſola tum à *Muſtápha* peccata patrabantur. Homo, qui, *naſci* rectores populorum, non, inſtitutione *fieri*, crederet: quíque, *Magnam Religionem*, exiſtimaret, *magnam* quoque continuò *rerum agendarum* eſse *Prùdentiam*; &, annorum quatuordecim ſolitudinem, grandævam *Cyripædiam*, aut *Ariſtotelis Politicen*, ſibi fingeret: imperitè cumprimis negotiorum publicorum tractationem aggredi, deprehendebatur. Quod, quoties accidebat, (accidere

verò ſæpenumero, neceſse fuit, hiſce moribus,) ut illius acta, conſultáque, prudentiorum ſenſui minùs probarentur: ipſe, qui talium eſset è genere mortalium, quibus ſua ſemper omnia ſoláque perplacent; qui, nihil humani ſe paſsos eſse, nuſquam in quoquam erráſse, contendunt: *ſceptri* vitia, *furore nitebatur acinacis* obvelare; vel, rerum omnium perverſâ turbatione, (*tanquam ii, qui flammam ruinâ domûs extinguunt*,) mala publica, non *ſanare*, ſed *mutare* geſtiebat; *deteriorum* ſuſcitatione.

Muſtaphas proinde, (ne longior hic ſim,) *precator* olim melior, quàm nunc *regnator*; utì civilitatis omnis ignarus, ad immanitatem frequentiùs, & rabiem, decucurrit. Sævitum, in gentem primò Muſulmannicam eſt: & popularium, ut quiſque verbô, factô, vultúve diſplicuiſset Sultano, vel in irati conſpectum occurſúmve fortuitus incidiſset; nocens, innocens; delatus, inculpatus; quietus, & ſuſpectus, promiſcuâ ſunt barbarie trucidati. Converſâ, pòſt paullò, vî ferocientis, in cognatum quoque ſanguinem; cuſtodiâ vallatur etiam *Oſmánes*: & is accipit *vincula*, cuj *ſceptrum* aſservabatur, ac

ac *diadema*. Tum autem, & in *jus gentium* convellendum intentus, tyrannus; Oratores, Galliæ Britanniæq; Regum, ædibus includit ſuis; quæſtionibus, amborum familias exagitat; miniſtros legatorum torquet; &, ad ſummam, univerſis inviſum, excuſabilem nemini, ſeſe præbet.

IV. Hæc, quæ memoravi, Novembrî ſtatim, quô ſuſceptum imperii moderamen fuerat, ac Decembrî, menſibus, à Muſtapha gerebantur: cùm jam immoderationis illius infamia terras etiam exteras, ac remotiſſimas, pervadebat. Et in Oriente tunc claſſem & caſtra, Martémque difficilem, adversùs Perſas habens, militiæ Sultanicæ ſupremus prætor (12); aſſiduîs ea facinora nunciîs, ac litterarum querelîs, diſcebat. qui, tum actîs offenſus illius, quem, *nullo ſuo* protruſum *ſuffragiô*, totum *alieni* videbat *beneficii Principem*; tum &, ſi pari crudelitatis paſſu res & inſtituta *Muſtaphæ* ſemper procederent, haud imparia ſibi quoq; metuens, ex ingenio tyranni; prævertendum cenſuit, quidquid atrocius immineret, viribus & conſiliô compendioſiore.

Quapropter, diſſimulatô tantiſper, ſeu

veriùs dilatô, *Schachabâ*; copias ſuas univerſas, hinc quidem *Minorem* per *Aſiam* terrâ reductas, illinc autem Euxinô trajectas Pontô; reportat in Bithyniam: diditô, ſive per errorem vulgi, ſive de compoſito, fallere volentium, ſensímque Conſtantinopolim perlatô, rumore; ſalutandi novi Sultani, renòvandíque militaris ſacramenti gratiâ, *Proto-Veziriam* adventare. Quod, creditum primò *Muſtapha*, nec reprehenſum; per ignaviam, ancipitibus rebus occurrendi, vertit paullò pòſt in regnantis perniciem. *Vezirius* enim, ad Chalcédonem interea trajectô Boſphorô, repentinus incubuit. ac Byzantiô quidem retrorſum, & ad latera, cinctô triremibus; antrorſum autem clausô, validîs in terram Thracicam expoſitîs legionibus, & equitatu: circumquaque demum, non *clientem* ſe *Sultano*, ſed *hoſtem*, oſtendit.

Tum verò demum, elusâ ſpe falsâ, res intus trepidæ: præſidia, contra multitudinem, nuſquam ulla ſuffectura: Janyzarorum Spachiorúmque, fluxa, nec feliciter nuper empta, fides. in urbe, populi ſtudium, non averſum modò, ſed, tam propinquâ rerum meliorum ſpe, palàm adverſum: tyrannus intus,

intus, metu, curîs, deſperatione, perditus; & foris *Vezirius*, niſi cum ſuis continuò recipiatur, extrema denuntians.

Tot circumſeſsus ergò, victúsque, malîs Muſtáphas; *Vezirio* ſe, portas, urbémque, cum regiâ, dêdit. In parte porrò nonnullâ gratiæ, vivere juſsus, ſed in ludibrium, morte celerî deterius; imperiô victoris, exit aulâ; carcerémque veterem intrat. Hîc autem arctiùs longè, quàm quondam, vinctus; pro malæ gubernationis laboribus, in otio novo, *deſidiam exarmatam*, & meliores mores, diſcit. *Oſmánes*, è diverſo, raptus è cuſtodia, transfertur in ſolium; ſed, (quæ variantis fortunæ vices, in faſtigiis, ſunt) ſuîs tunc quidem gaudiîs circumfluens: at malis exinde, multò flebilioribus, ſepoſitus; liminéque primo *Septennii Quarti*, cujcunque tandem conditori geſtorum, incumbens, atque memorandus.

Hæc, quæ de *Muſtápha* nunc retulimus, menſibus geſta ſunt, Novembri Decembrîq; præſentis; & Januariô ſequentis hunc annum anni: quæ (dilatîs in *Apocommata* cæterîs) hîc ſola, conjunctímque, placuit exponi; ne rerum memoria, diverſos in faſtos

Anni Acta.

conjecta, divelleretur. Interim, neque narratione viſus indignus eſt, neque miraculô, Muſtaphæ *tiáras* ille, quem diximus, *inauguralis*; utpote, cujus duratio, non plenè *trimeſtris*, (13) impensâ tamen, *ſex auri millionum*; arrogantia verò, pluſquam *ſexcentorum capitum* jacturâ ſteterit.

Hunc talem ergò principatum coronavit optimè, ſuî brevitas. (14)

TESTIMONIA.

(1) *Quindecim annis imperâſſe Achmetem, Arthuſius Dantiſcanus tradit, Continuationis Slejd. lib. 22. fin. Appamianus autem, in annum 1617. num. 8. Regni decimô quartô, ait, eum obiiſſe. Quæ dijudicari debent ex iis, quæ Primi Septennii tribus primis annis narravimus.* (2) *Hâc ipsâ homœóſi Appamianus utitur, in geſtis hujus anni, num. 8.* (3) *Joan. Cluverus, Epitomês chronologicæ pag. 777. col. 1. poſt princ.* (4) *Sed aliter longè, quàm nos Chriſtiani, de* altera *patris ſui Achmetis* vitâ, *Oſmánes ſenſit, filius ejus: cujus, de illo, verba, in litteris, ad Ludovicum 13. Galliarum regem annô mox ſequente datis, ſunt, præter*

præter cætera, hæc quoque, apud Gabr. Barthol. Gramondum, libro 3. de geſtis Ludov. XIII. in annum 1618. Eo fatô, *(inquit)* Achmétus Sultanus, pater colendiſſimus, morte impræviſâ ereptus nuper nobis, & Imperio ſuo; Paradiſi amœnis ſpatiatur, & paſcitur; qualia prædeſtinatis promiſit Mahomet, propheta Altiſſimi. Ità faxit miſericors DEUS! *Hæc Oſmanes, Turc. Imperator.* (5) *Arthus Dantiſcan. Continuation. Slejd. lib. 22. fin.* (6) *Gabr. Gramond. lib. 3. de geſtis Lud. XIII.* §. Adultô annô. (7) Chauſios *id genus hominum appellat Gramondus, lib. & §. cit. quos nos*, Chiauſios. (8) *Carceres Galatæ, ſeu Pera, teterrimos; ità vulgò dictos*, Zun Siben Thürnen. (9) *Factum ipſum narrat Arthuſ. Dantiſc. libri 22. cit. fine.* (10) Janitzaren / und Spachien; *ait idem Arthuſ. ibid. fin.* (11) *Proindeq;, Sex millionibus auri ſtetit ea ſumma. Idem Arthuſ. ibid.* (12) *Proto- ſeu Major-Veʒirius.* (13) *Defuerunt enim trimeſtri pleno, dies, ut minimùm, Quindecim: cùm Achmetes, Muſtaphæ anteceſſor, diem ſuum obierit decimô quintô Novembris, anno 1617. & Muſtaphas fine Januarii ſequentis anni 1618. redactus in ordinem, & con-*

Anni Acta.

& conjectus in vincula, fuerit. (14) *Auctores horum, ſed per partes, & alius alio breviùs aut prolixiùs, ſunt; Appamianus, num. 8. Arthuſ. Dantiſc. lib. 22. fine. Joannes Cluverius, epitom. in annum 1617. Gabr. Gramondus, lib. 3. de geſtis Ludov. XIII. Gall. reg.*

METRUM.

Ad Operis finem.

APOCOMMA I.

Batavorum diſsidia; Saxonúmque tripudia.

I. ASiaticum hic Annus *Martem* habuit, atrociorem; *Europæum* verò, magnâ ſui parte, tum litigioſiorem, tum & plures in provincias diffuſum.

Dum enim à *Schach-Abais* intrà Turciam plerumque belligeratur: Occidentis Principum, ac Rerumpublicarum, alterna disſidia vagè volitabant; &, aliis fœdera, pacésque ſancientibus, alii contrà, maledictîs infenſis ſeſe lacerabant. SUNT autem ſæpe convitia, gladiô penetrabiliora; *nec omnis Pax omni-*

Digitized by Google

omnibus amica : raráque duorum fœdera, tertio non inſidioſa. Veniamus, in rerum dictorúmque fidem, exemplîs.

II. QUI nuper exitialibus diſſidebant odiîs, *Moſcus*, Michaële Fedrowizio Duce, *Suecúsq;*, Guſtavô Rege: nunc fœdere ſociantur, Polonis parùm amabilî. Quod verò difficiliùs tardiúsque futurum vulgò credebatur: idem ipſe Suecorum rex, cum Chriſtiano IV., Danorum rege, junctîs armîs & opibus, *Sigiſmundo*, Polonorum regi, (ſi præſertim hic armis repetere ſua, vel ulciſci clades, tentaret) obviaturos ſe, conjurant. (1) Quantum autem id genus ſocietates *Sarmatiis* diſplicebant; tantùm earundem ſtudium & amorem Rex Magnæ Britanniæ, *Jacobus*, optabat inſeri conſortibus ſuæ *profeſſionis*; hoc eſt (ut ipſi ſe nominant) *Reformata* Genevenſis: ut autem nos, *Calviniana*: quam eâ tempeſtate, ſicut in ſuperioribus indicavimus, inter ſe turbulentiſſimè ſcindebant Batavici declamatores, *Franciſcus Gomárus*, & *Jacobus Arminius*, in Eccleſiam (utì loquebantur) *Remonſtrantium*, & Eccleſiam *Contra-remonſtrantium*, diviſam. Pro partibus Arminianis, hoc

Batavorum, religionis diſsidia.

hoc eſt, *Remonſtrantium* (2), ferè populus, & ex optimatibus factioſiores nonnulli; pro *Contra-remonſtrantibus*, id eſt, Gomarianis, Mauritius, Comes Naſsovius, & ſimul idem, Princeps Auraicus, Principíque concordes ex Ordinibus plerique, ſtabant.

Controverſia porrò trahi compendiò videbatur, *gemina* potiſſimùm circùm *capita*; quò cætera litium membra pléraque revocari poſsent.

Alterum enim eorum erat; *Soliſne Verbi-Miniſtris* poteſtas univerſa rerum *Eccleſiaſticarum*, diſciplinæ, cenſuræ, doctrinæ, rituum, & ſynodorum convocandarum, eſset à Jure conceſsa, receptîsque fœderatarum urbium legibus? ac proinde, Civiles magiſtratus, Ordines, & Nobilitas, *ſe profanam, & ſanctitatis ac ſacrorum expertem, à Miniſtris Verbi* cenſeri, (3) non indignanter ferre poſset, aut deberet? Quò pertinebat & id, ex conſequenti; Licitúmne cuivis eſset *Communitati* (quam *Eccleſiam* appellabant), ſuopte potiùs libitu delectúque, quàm placitô civilium rectorum, *Curionem* ſibi *ſacrorum* præficere?

Caput verò diſceptationum *Poſterius*, & ſupe-

ſuperiori ſcelestius, in *Prædeſtinationis* potiſſimùm (quam *Theologi* vocant, & agitant,) cardinibus volvebatur: cuj, *Providentiæ* quoque rotam, & Oculum, innectebant. Decernebant Impii (nihil ſcilicet inter *Prædeſtinatos*, ac *Præſcitos*, diſtinguere ſolliciti) *partem mortalium aliquam à Deo conſultò ſtudiôque fuiſſe conditam; uti nunquam cæli gaudiîs fruatur, ſed ſempiternas ii morte pœnas ſuſtineat. A DEO, tantîs ad peccandum ſtimulîs adigi non paucos hominum; ut, neceſſitate ſubacti, facere ſecus, ac reipſa faciunt, ne ſi vellent quidem, poſſint. Ad æternam à Deo felicitatem vocari quosdam, quibus eam tamen ſuo tempore conferre, nunquam decreverit; immò verò, quibus, eam ſe negaturum, obfirmârit animum:* & his alia, cum injuria divinæ bonitatis & providentiæ, connexa tradebant. (4)

III. His tantis religionum turbis, tametſi *Decreta* non deerant, quæ, Mauritii Principis, & Ordinum, auctoritate promulgata, ſeſe graviter opponerent, déque Divina Majeſtate *Theologaſtros* novos tam irreverenter & impiè garrire, doceréque, prohiberent: tantum tamen abfuit, ut in tranquil-

Batavorum, religionis diſsidia.

quillitatem eæ turbæ redirent; utì potiùs longè tumultuoſiùs ex eo tempore cuncta gererentur: nec altera ſeditioſorum factio quidquam alteri concederet. Tantò furioſiùs autem horum in illos, & in hos illorum, exardeſcebant animi; quantò vetuſtioris in poſſeſſione juris ſibi videbantur, qui ſe *Reformatæ* religionis *priſcæ* nominabant (quaſi diceres, *Antiquæ-Novitatis* ſectatores:) & quantò tamen ſubtilioris inventionis famâ gloriabantur recentiſſimi Sacrorum hoſtes. *Ambſterodami* porrò, vel inprimis, ſæviebatur.

Conglobârat ſe die quodam, horâ conſtitutâ, multitudo ſchismatis *Arminianorum*, in ædibus opulenti mercatoris; & audiebat ſuæ ſectæ doctorem. Id in urbe, (viciniâ mercatoris rem evulgante,) ſimulac percrebuit; eorum, qui ſe *Veteris-Reformatæ* ferebant, ingens continuò frequentia, domum concionalem, primùm aſsultat: mox & feneſtras valváſque lapidat. vim cives intentant, & arma, domûſque vaſtitatem; ni declamator prodeat. Eo productô, ſimùl omnes, *Ecquid ſibi ſeminiverbius hic velit*, interrogant; *non utique Dei, vel divinorum, ſed novo-*

novorum quorundam dæmoniorum (5) *præco?* Neque mora; pugnîs eum fuſtibúsque contuſum, amictu ſpoliant; pars & ſaxîs impetitum, ac lutô conſpurcatum, minantur, in aquas, domui proximas, eum ſe jacturos: in quibus os porcinum, & corpus collutulatum, elueret. Feciſséntque ſinè dubitatione demum, quod ei denuntiârant; niſi trepidus is, & extrema quæque metuens, in fugam & ædes alias ſeſe, latendi cauſâ, conjeciſset. Pro quo tamen interim furentibus pœnas dedêre mercatoris ædes; intus, ac forìs, malè tractatæ.

Neque tamen, his incommodîs ſapere docti, paullò pòſt, aut Verbi miniſter Arminianus alius, aut inſtitor, (à priore diverſus;) cœptîs urgendis abſtinuêre. Non *ille*; qui, cum pari ferè concionis cœtu, famulóque pediſequô, conductus eò venit: nec *iſte*; qui venientes recepit. Et jam, ad dicendum Orator accinctus, ad audiendum cœtus paratus, & arrectus, ſtabat: cùm prætor urbanus, rem odoratus, ac publicos ſecum apparitores trahens, ſupervénit: &, ſi cavere malo vellent, conventibus ejus generis, ac declamationibus, non tantùm modum poſt-

Batavorum, religionis diſsidia.

hac, ſed & planè finem, ponerent, edixit. In quæ verba, ſilentibus illîs, diſceſſit.

At non parî tranquillitate, quæ jam interea foris confluxerat, *mille* circiter hominum, plebeja multitudo, cum congregatis illic, & domo mercatoris, egit. Hi namque, conditionis & ætatis omnis, ſordida fæx, & colluvies, otiô cæteroquin alienâque ſe quadrâ paſcere ſolita, tunc verò, *Calvinianæ doctrinæ puræ*, contra fæculentam *Arminii* doctrinam, ſtudium ſimulans; incónditis inſtare clamoribus; ad perniciem, & internecionem, *Remonſtrantium* omne nomen depoſcere: feneſtras ſaxis, portam domûs vectibus, in ipſa domo, ſcamna, ſcabella, ſubſellia, ferrô convellere; ſupellectilem, penum, cellas, diripere; reſtitantes, armatâ manu, minîſque necis, expellere; domô totâ ſoli dominari; capsîsque convulsîs, & arcîs, in auro, cæterâque gazâ, tanquam bellô victores in præda ſpoliîſque, verſari. Quod autem in ea mercatoriæ tabernæ tragœdiâ parùm tempeſtivum, & ſanè tamen ridiculum, eſt viſum: cùm pretioſæ telæ lanæque vim magnam forulis ſuîs egeſſiſsent calones hi: rapinam quidem iſtam, in ſuam quiſque rem & uſum

& uſum avertebant; nacti verò *Concionatoris Arminiani*, quem unà veniſſe dixeram, *pediſequum* (concionator enim ipſe, maturè ſe periculo ſubducens, famuli non exſpectatô miniſteriô, jam ſuîs ſolius pedibus domum revenerat) palliô ſpoliant: peſſimè priùs, inhumaniſſiméque, multatum. pallium autem ipſum, in fruſta diſcerptum, primores tumultûs inter ſe partiuntur: & laciniæ quiſque partem, tanquam ſericô quovis limbô pretioſiorem, ſpiris pileorum inſerunt; eôque capitum triumphô, poſt hæc per urbem incedentes, *genuinos*, hôc tali ſymbolô, ſe *Calvini* diſcipulos, aſſeclásque, jactant; *Arminii* verò, juratos hoſtes. Cujus gloriationis pars *poſterior*, quàm ſincera fuerit, parùm refert. *prima* quidem, rem *acu* tetigit, in aptitudine ſymboli. Nam & *Calvinus*, haud minùs, ac quondam *Arius*, INCONSUTILEM CHRISTI TUNICAM, ECCLESIAM, inquam, Luthero præeunte, forficémque commodante, fœdè diſſecuit. Hoc ergo, *Pileorum* illæ *pannucia* Batavicæ, quadam ſuî parte, non incongruè referebant. Sed ad ſeditioſos redeo.

IV. Tenuerat hic furor attonitam ac

Batavorum; religionis diſſidia.

perculſam urbem, à matutinis horis, in clarum uſque meridiem: nec illius adhuc ullus exitus affulgebat. *IRA* namque *rabidi vulgi, ſimilis eſt temulentiæ. Satietatem neutra, præterquam in ruina, reperit.* Æris igitur Campani pulſu, quo, Catholicorum olim durantibus cærimoniis, illic *precandi ſignum* dari ſolebat, tunc, ad id accedente quoque miniſtrorum publicorum denuntiatione, *domuitio* tumultuantibus, & quies, indicebatur. Sed nemo, vel recedebat, vel quieſcebat.

Tertia jam pomeridiana fluxerat: & adhuc dementia graſsantium perſtrepebat: donec demum & magiſtratus, cum armatorum centuriâ, ſuggreſſi; pontibus aliquot retractîs, turbam interſcidêre, turbulentósq; disjecerunt. Nox nihiloſecius inſecuta, terrorem propagavit, in diverſorio publico flammâ repentinâ coortâ; paullóque pòſt, in nonnullis præterea latebris urbis aliîs, incendiorum ſeminibus repertîs. Ad quæ, reſtinguenda partim, ac partim (quod curæ vix minoris erat) deprehendenda, non pauciores quater mille militum, ac civium armatorum, eâ nocte, diéq; poſtero toto, diſcurrerunt. Remedium autem malorum compen-

pendioſius, (ut tunc res erant) inventum non eſt; quàm, ubì turba nauci, vagáque, pœnâ propoſitâ capitis, ilicet urbe pelleretur. Ad *trium millium* numerum aſcendit ejectorum agmen: & è ducibus ſeditionis, ac direptionum participibus, in vincula quidam, & cuſtodias, abrepti. Tranquillitatis autem interea cauſsâ, dum *Miniſtrorum Verbi* Synodus, (à multis expetita,) finem diſſidiis, aut temperamentum, afferret; auctoritate publicâ fanum aliquod, *Arminianorum* concionibus peculiare, conceſsum in urbe, paullò quietiores eorum res, & conventus, ſed non in longum, habuit.

V. *Unius* hæ fuerunt *urbis* Batavorum turbæ; *Prædeſtinationis* abyſsum agitantes. (6) Alibi verò plures, eæq; non obſcuri nominis, civitates ejuſdem gentis, diſceptationi quoque, *De Jure magiſtratuum*, *& Miniſterii paſtoralis*, intentæ, ſententiam ſuam armîs etiam protrudebant; ſed armîs artibúsq. validioribus retruſam: ac fruſtra magnorum ſuî defenſorum *facundiâ* ſubnixam. *Cluverus*, Cimbrorum ſuorum inſiſtens Mercuriis, & alienæ gentis offenſionum unicè vel ſecurus, vel contemptor; penſi nil habet, &

Batavorum, religionis diſsidia.

turbes illas, & urbium, ad res novas, concitatores, proferre nominatim. *Ultrajectinos*, ait, *& Lugduno-batavos, & Harlemenſes, Arminianarum partium propugnatores, veritos, ut adversùm Gomariſtas* (à quibus, uti dictum ſuperiùs eſt, capita pleraque Batavici Friſiíque fœderis, ac Mauritius ipſe, ſtabant) *pede ſatis firmô conſiſterent; veritos item, ut futuræ Synodo, pares oppoſituri vires ac concertatores eſſent: quò cladem anteverterent, ſub ſignis, contractum hinc indè, militem compoſuiſſe.* Propoſitum autem id iis vulgò fuiſſe; non ſcriptis duntaxat, ac declamationibus, ſed vi quoque, telîsq; gladiîsque, tutari ſententiam ſuam: quâ contendebant, jus ac fas eſſe cuivis Eccleſiæ, Paſtorem ſibi ſuopte ſenſu libitúque, non autem alienum ad arbitrium, ac præſcriptum, cooptandi. quo decretô, Mauritii ſinè dubio ſupremum in eo negotio jus, & Ordinum directrix-auctoritas, excludebantur. *Conſilii verò, placitiq; talis, auctores*, ait, *habitos fuiſſe, Joannem inprimis Olden-Barnefeldium*, civilis Juris omnis ſcientiâ clarum virum. *tum, Joannem Utenbogardum, Hagienſem* (ut eum appellat) *presbyterum: Adolphum* item *Walaum*;

Digitized by Google

laum; *Ægidium Ledenbergium*; *&* *Rumoldum Hogerbetium*, ab arcanis curiæ *Leydenſi*; ſicut & *curiæ tunc Roterodamenſis oraculum*, *Hugonem Grotium*; hujusipſius *Septennii poſtremô* nobis *annô* memorabiliùs recurſurum.

Cæterùm, laborabat inter hæc, iiſque componendis turbis ſuam operam quàm plurimùm interponebat, *Magnæ* (ſicut dicere cœperamus) *Britanniæ* rex, *Jacobus*; accuratîs primùm ſtyli, ſeu proprii, ſeu conducti, dehortationibus. pòſt, eminus etiam & obiter, nec obſcurè tamen, oſtensâ, vel intentatâ, *Gomarianæ* partis amicitiâ; necnon ejusdem *armatâ*, (niſi quieſceretur) *tutelâ*, mare trajecturâ. Poſtremò, miſſus Londinô *Dudlaus Charletonus*, eques auratus, ac regius in ea cauſſa Legatus; in Conventu Batavicorum Ordinum frequenti, vehementer, &, ſiquis alius, in *Arminianos* acriter, dixit ac peroravit; verbîs, diſcordiæ finiendæ, quæſitiſſimè congeſtîs, & vibratîs (7), neque tamen adhuc ſua vota nactîs: ingeniô nempe, *contumacibus* ſolemnî, *quos, quantò magìs à vetitis cohibueris, tantò magìs ad eadem inflammes*; *ob idipſum, quòd vetita ſunt*.

Nec interim tamen aliter à poſteris tra-

Batavorum, religionis diſsidia.

ctari ſuis doctrina meruerat *Calvini*; qui ſemina jecit opinionum & impietatis, (8) quam *Arminius* poſtea, *Vorſtiúſq;*, multiplicatam diffuderunt. Qui tum ergo de *Regis-Cœli* majeſtate tam maledicè dixerunt, ac ſcripſerunt; ii, tantùm abeſt, ut *Inſularum regis* dicta, libellos, & oratorem, magni fecerint; paucîs ut in diebus, vulgata typicîs formîs *Satyra* proſilierit: ac ſcilicet, *Arminiani* liber *auctoris*, ſed innominati, proſtare cœperit: Britannici *regis* monitorum, *ex obliquo*, ſed *Oratoris* ejus *ex profeſſo*, contemptor, & exploſor. Nec multum, ad comprimendam hanc, & cæteri generis, gliſcentem audaciam, profecit illud, *Dudlai* poſtulatu mox inſecutum, Ordinum Hollandicorum ſeveriſſimum *Edictum*: quô *Lancis* illius *Trutinantis* (quæ Satyræ fuerat inſcriptio) non ſolùm uſus, lectio, venditio, retentio, ſparſióque, gravi ſubjacere mulctæ pœnæque, declarabantur: ſed ei præterea, quisquis *typographum* (qui ſuum & ipſe nomen ſuppreſſerat) indicâſset, ac convicisſet, *indicii* pretium, aurei Carolini *ſexcenti*; nomen autem *auctoris* genuinum detegenti, *mille* decernebantur. (9)

Verùm,

Verùm, & inter hæc, & poſtea quoque, nihilô ſegniùs, aut tepidiùs, ibant, ac redibant, ſeditionum Batavicarum illi fluctus. quos, etſi ſub hæc *Mauritii*, principis *Auriaci*, ſolers celeritas, nonnihilô leniſset; &, *Vltrajectinis* excubiis oppreſsis, armis urbi detractîs, Arminii fautoribus in ordinem aut vincula redactîs, motus illos aliquouſq; pacâſset: *unius* tamen urbis, COACTA PAX, & *ob idipſum* MALEFIDA, nec exemplô trahere tot urbes alias ad quietem poterat: &, ſiquæ fortè tranquillitatem reſpicere viderentur; poſtea tamen ad ingenium ſuum, facilitate tantâ, quantâ pelagus ad procellas, & nauta Batavus ad maria ſua, redibant. (10) NON enim *diu placere Decreta terrarum ulla poſſunt, iis; quibus jam olim obfirmatè placita Cœli diſplicebant.*

VI. Dum autem in Belgio, Batavíſque, Geuſiii, ſuîs quisque pro commentis, rixantur, & arma cudunt; in alia Septentrionis plagâ, populi, qui ſemet *Evangelicos* appellant, *lætitiæ*, (cujus cauſsam ipſi ſibi confinxerant), vacant: ejúſque vocibus, & crepitaculis, fana *proſeuchásq;* (11) ſuas implent. *Jubilaus* hic illis *Plauſus*, imi-

Batavorum, religionis diſsidia.

tamentô quodam *Catholicorum*, dictus; ex ipſo temporis fatali procurſu, gaudiîs intempeſtivîs, decerptus erat; eò, quòd *Annus* hic, Sæculi noſtratis *ſeptimus decimus*, iis pariter *Annus* eſset *Sæcularis*, ſeu *Centeſimus*, à bello, per Lutheri buccinam, ſacris Romanis indictô.

Viſa *Proteſtantibus* eſt, iísque maximè, quos *Libertas Carnis*, & *Eccleſiarum ſpolia*, ſaginârant, æquitas ſumma; ſibi quidem gratulandi, Deo verò gratias agendi, *pro renata terris illis*, *Evangelii*, *diviniq; Verbi totius* (utì loquebantur) *luce*. Poſtulârant autem *Panégyrin* ejuſcemodi jam dudum, (12) & obnixè, *Miniſtrorum-Verbi* complures; in eóque poſtulato perſeverârant, eò ſtudioſiùs, opinor: quò ſplendidiùs curatiúsq; Saxoniæ Septemvir, *Joannes Georgius*, æſtivìs hujus ipſius anni caloribus, Matthiam Imperatorem, & Ferdinandum Archiducem (à Bohemis recèns ad regnum evectum, & coronatum,) exſpectare ſe, demonſtrârat: eóſque, cum Archiduce Maximiliano, Melchioréque Cleſelio, Viennenſium Epiſcopô, Pragâ Dreſdam exſpatiatos, exceperat; & aliquot ſecum diebus *reverenter* habuerat. (13) Metus

Digitized by Google

Metus enim ex eo nonnullus ſubire *Præconum-Verbi* nationem, ad talia ſuſpicacem, potuit: ne Dux *Elector*, à turbis Acatholicorum, in Catholicos motîs, jam antehac abhorrere ſuetus, & tunc in Cæſarem *Orthodoxum*, ac Ferdinandum, *orthodoxorum clypeum*, hoſpitaliter effuſus, aliquid in Pontificios homines propenſionis familiarioris imbibiſset.

Urgent igitur, Autumnô præſertim, & Jubilæo deſtinatîs menſibus, jam ingruentibus; ut *Elector* ipſe, *plenius* teſtandæ Religioni ſuæ, ſollemnitatem eam indîcat: utpote, cuj, ſuam in Saxoniam, cæteráſque ditionum ſuarum terras, juris non minus, etiam ad talia, ſit; quàm apud Italos Camillo Burgheſio (*Paulus Quintus* is erat, Pont. Max.) ſuam in Romam, & Statûs Eccleſiaſtici fundum: qui tamen, famæ teſtimoniô, gaudiîs id genus publicîs, jam ante menſes aliquot Italiæ præſilierit; &, Junii die duodecimô nominatim, éadem *Orgia transalpinis quoque Papicolis indicere geſtierit:* (14) cauſsîs interim Pontificiorum, haud quaquam adeò ponderosîs; ac certè quidem, Evangelicorum cauſsam nunquam æquaturîs.

Faci-

Batavorum, religionis diſsidia.

Facilè perſuaſerunt Septemviro; ſuæ quoque videlicet exiſtimationis rationem habenti. Decretum igitur (ſuâne tantùm Suadâ diſertus; an & *Superintendentium* gloſsîs acer?) componit, & vulgat, Princeps civilis; cujus omnia ſinguláque verba, de Germanico Latinum in ſermonem traducta, geſtorum Ludovici decimi tertii Gallorum regis compoſitor, *Gramondus*, in hunc annum, recitat; &, ad libri viceſimi ſecundi ferè finem, Teutonicâ linguâ *Gotthardus Arthuſius* Dantiſcanus exſcribit. Decreti, (quo Lipſienſis potiſſimùm Univerſitas ſtimulabatur,) caput & compendium erat: *Quoniam Centeſimus abhinc annus id à DEO felicitatis ſortitus ſit, ut cœleſtis conſilii pretioſum inſtrumentum*, ac Theologiæ *Doctor*, *Martinus Lutherus*, *ad diem Octobris triceſimum primum*, *Diſputatione própalam affixá* (*theſium* putà, pro templi palatini valvis, adversùs *Indulgentias*, Wittenbergæ propoſitarum,) *in arenam prodiret; iisque theſibus pernicioſos obtenebrati Papatûs errores impugnaret*, *& eâdem operâ*, *dudum à majoribus efflictim exoptatæ*, *Reformationis felix ac beatum initium inveheret: ſibi*, *maturâ præmiſsâ rei totius delibe-*

liberatione, conſtitutum eſſe, ditionum ſuarum univerſis populis (quippe, qui purioris doctrinæ lumine, vel inprimis, & inoffensè, ſæculô jam ſolidô ſint perfruiti,) ſollemnitatem indicere triduanam, profanarum occupationum omnium immunem; ac ſacris tantummodo negotiis dedicatam. Dies autem illos fore, menſis Octobris poſtremum: Novembris verò, primum, & ſecundum. His porrò, præmiſſum iri, ceu profeſtum, ac ſemiferialem, Octobris trigeſimum: utpote, cujus horæ pomeridianæ deſtinatæ ſint pſalmodiæ veſpertinæ, delictorum confeſſionibus excipiundis; & animorum, in ſequens triduum, apparatui cætero. Triduum autem ipſum, in urbibus cumprimis & oppidis, tranſactum iri, ſumptione Cœnæ dominicæ; cantilenîs, populo deſignandîs; & binis indies concionibus, ante meridiem unâ; ſub veſperum, alterâ: niſi, quòd ſecundi tertiíque diei Sermones matutini ſinguli, paganis ac villaticis auditoriis ſufficere debere videantur. Concionum porrò, quorumcumque fiant in templis ac cœtibus, non, cujusvis dicentis ad arbitrium, ſed è voluntate Principis, (nec dubium, quin ſuggeſtione quoque Superintendentium,) *argumenta, materiémque, tractatum iri.* quorum

rum proinde, deſcriptus in triduum illud, Indiculus unà mittebatur; è Danielis ferè, Joannísque, vaticiniis Apocalypticis, ſuper *Antichriſto*, ſelectus. Quorum oraculorum arcana, non obſcurè, Romanum jubebantur in Pontificem, ipsámque Romam, detorquere Saxonici ſophiſtæ.

VII. *Poſt triduum* demum, in hunc, quem dixi, modum, ſinè *jejuniorum*, Jubilæis adnecti ſolitîs, oneribus *exactum*, *Elector* Theologis Univerſitatum ſuarum (eæ tunc, Lipſienſis, & Wittenbergenſis, erant) illicienti propior, quàm imperanti, *ſuggerit: Quàm ſpecioſum, Deóque gratum, præſtituri ſint opus; ſi reſiduos illius ſeptimanæ dies exquiſitis* (uti loquitur) *diſputationibus, & Orationibus, impéndere ſtudeant: in quibus, antegreſſorum temporum horribiles tenebras, cum hodierno Gratiæ claro lumine, cúmque radiantis Evangelii ſplendore, per præcipuos & pleroſque doctrinæ Chriſtianæ* cardines & *articulos*, è *fundamentis componant, intérque ſe collidant: unde, tum fructus ingentes, tum extrema denique neceſſitas, inſtauratæ per Lutherum Eccleſiæ, populis eluceſcant.* Noluiſſent æqui rerum æſtimatores, hæc, & horum ſimilia, verba *Septem-*

ptemviro, (Duci, cæteroquin in *Catholicos* moderato, miniméque contumelioſo,) *tunc* excidiſse: *cùm* eum *Catholicorum* nemo ſanè laceſſeret; honoratum verò, cuncti vellent, ſuum intrà circum, ac forum. Sed ego ſuſpicari malim; in *Decreti* calamum, ſententias illas, orthodoxis criminoſas, & heterodoxis blandas, ex ore fluxiſse ſuggeſtúve cujusdam eorum tubicinum concionalium; *Qui*, more *pſeudo-Prophetarum*, quoties libitum, ac lucroſum eſt, *Bonum dicunt malum*, *Malum è diverſo bonum: lucem tenebras appellant*, *tenebrásque* ſuas, *lucem*. (15)

Hunc talem quidem certè maledicendi genium, *Saxonici* quidam *Eccleſiaſtæ* plus ſatis expreſſerunt, in *circulari*, quam paullò pòſt ad ſuî ſimiles conclamatores exarârunt, *epiſtolâ*: quâ, permiſſu Septemviri, totius Septentrionis, & Hungariæ, Transſylvaniæ, Bohemiæque ſymmyſtas, hoc eſt, *genus* omne *Miniſteriale* (cum ſtolatis ſuîs appendicibus, ac densâ prole,) *patres-patrati* populi Fidenatis, *Anni* ſui *Jubilæi* commonefaciunt; &, ad exultandum unà ſecum, iiſdem diebus, & otiîs, exſtimulant. Putares, ſi legeres eas Encyclicas; *Ab Judæis* (ſi Superis placet) *Jero-*

Batavorum, religionis diſsidia.

Jeroſolymitis, *Judæos* Alexandrinos, & à fratribus, Palæſtinam incolentibus, fratres invitari, *per Ægyptum ſparſos ; ad diem menſis Caslévi quintum ac viceſimum*, expiando templo deſtinatum. (16) *Putares* hoc, (ut dixi:) niſi, quòd Hebræorum *illi* Scholarchæ priſci, Novatorum his Archididáſcalis modeſtiores, convitiis, etiam adversùs Idolólatras, ab Antiocho Judæis immiſſos, abſtinuerunt. *Iſti* verò, magiſtrum imitati ſuum, in Romanenſes & ritus, & homines, vix ulli maledicentiæ temperârunt. Ità verò loquuntur.

Ab inſtrumento Dei ſancto, Martino Luthero, primum ac beatum eſſe factum impetum, adversùs Papam Romanum: cùm ſuas ille Propoſitiones, (17) *adversùs impiam ac fœdam Indulgentiarum nundinationem; & Tezelii monachi conciones, earundem promulgatrices, ad Ædem arcis Wittenbergenſis affigeret; ſeséque, pro gloria meritisq; JESU Chriſti*, (quaſi verò non, hìs iisdem meritis inniti, quidquid uſquam *Indulgentiarum* eſt, ab ævo dudum *Catholici* docerent?) *generosè pugnaturum, denuntiaret*. Pergunt deinde: *Sic factum eſſe, promovente tunc negotium illud inexplicabili miſericordiâ, gratiâq;, Numinis; ut*

ut pedetentim tenebræ Pontificiæ (placet, ità ſentire, loquíque, tenebrionibus veſpertilionibus, de ſplendore meridianô,) *pellerentur; ac Sol Juſtitiæ denuò tam claro nobis nitore redderetur, ut veteres Idolorum cultus, blasphemiæ numinis, errores, & abominationes obtenebrati Papatûs, compluribus in regnis, principatibus, ac provinciis, penitùs evanuerint, & extincta ſint: è diverſo verò, per puram & incorruptam Evangelii ſancti doctrinam* (qualem iſti tunc ſuam, & ſuam *olim* Epicuréi quoque porci, jactabant) *necnon per venerabilium Sacramentorum rectum & legitimum uſum, hinc quidem à fermento tali* (Pontificiorum, putà,) *ſimùl Eccleſia repurgaretur; ſimùl autem illinc, multis millenarum animarum millibus ſuum obtingeret ſolatium, atque refrigerium. Acceſſiſse præterea cœleſtibus his Reformationis ſucceſſibus gratulandi cauſſam, non inferiorem: quòd, ultra ſolidam jam annorum centuriam, innumerabiles Chriſtiani gregis ovicula, Verbi divini ſalubribus his paſcuis, & cibatæ pariter ſint; & (adnitente vigilace paſcentium operâ) ſimul adversùs efferorum ac rapacium luporum, Papæ, papámque ſectantium, hoſtiles incurſus protectæ, ſceptrôque*

Dd *Regis*

Regis regum potentiſſimè defenſæ, perſiſtant. Subjungunt his; *Rectè Septemvirum, & ordinè meritòq́ʒ, feciſſe: cùm, imitatus Moyſen, Iſraëlitarum ex Ægypti terris eductorem, cantica gratulationis* (18) *& ipſe ſuis indiceret populis, Deo liberatori concinenda: quippe, per quem ipſi quoque ſint è myſtica domo Servitutis, & Antichriſti* (Pontificem ſignant Romanum) *vinculis, educti. Populis autem Evangelicis, ad eam gratulationem meritò ſufficere poſſe, deberéque,* contendunt, *nudas cordium orisq́ʒ laudes: utpote, quas, pietati SANCTIMONIÆq́ʒ* (qualis, & quanta nimirum, in *Prædicantium* grege reperitur) *conjunctas, ad ſuî cultum, potiùs, quàm pompam exteriorem, DEUS requirat. Quocirca, Jubilaam ad ſollemnitatem illam nemo ſuorum, aut exſpectaret, aut expeteret, Papiſmi fatuas cærimonias; aut apparatum externum* ullum. Crederes, timuiſse *ventres* illos; nequis Jubilæum illud Saxonicum ideò minoris duceret, quòd ab Electore non perinde *Triduanum* quoque *Jejunium*, ritu Pontificiorum, ſicut *Triduum gaudiorum*, aut *epularum*, indictum eſset. Pergunt dein. *Hoc igitur, nec aliud, omnes agerent: fureret licet adver-*

adverſùm hæc Antiquus ille Serpens : fremeret , ac frenderet , & immò veſaniæ furoríſque præ vehementiâ linguam ſibi ſuam dentibus excerperet , Antichriſtus Romanus ; Dirîs , ac minis , & anathemate , pios fulminaturus : homo (non Deus) *& Aquatica bulla* (contra Dei plebem nihil valitura) *Deíque Verbô jam exploſa* , jàmque ſuccidua , vel præ *laſſitudine* potiùs planè jam collapſa.

Sunt hæc Evangelicorum in Saxonia Paſtorum ſputa conviciorum litteraria ; quibus non Romanum magìs Pontificem , & Eccleſiam , quàm barbas ſuas ac fratrum ſuorum , in Epiſtola reſperſerunt ; utpote , paſſim in ipſóſmet , (ſiquis propiùs rem inſpexerit,) recaſurìs. Fuerunt autem Thraſonicæ criminationis illius compoſitores hi , quorum, *ad perpetuam memoriæ notam*, nomina cognomináque ſubjungo. *Matthias Hóe : Vincentius Schmuckius , Polycarpus Leyſſerius , Chriſtophorus Walpurgerus , Ægidius Strauchius , Fridericus Balduinus , Nicolaus Hunnius , Balthaſarus Mejchſnerus , Wolfgangus Frantzius , & Henricus Hopffnerus* : apophthegmatum (ſi cœlo placet) tam exquiſitorum figuli ; fratréſque , Satyriſcis , inter Liberi Dionyſia

bacchantibus, quàm myſtis, inter Jubilæa Sacra litantibus, viciniores. Certè quidem, Hugonotis Gallicanis, & Calviniſequis, ad Nicrum, & Oderam, habitantibus, in hoc herbam porrigentes, ac viliores, inventi ſunt: (19) quia ſanè *Sacularem* & illi fecerant *Annum* hunc Faſtis ſuis, ſed pudibundiorem; ideóque diſſimilem. Tantò magìs igitur, in riſu ſuo *Sardonio* (20), miſerandi tunc ii tales Evangelici: mirandi verò minùs. Quotus enim quiſque *canis*, allatrare nequit? aut quis *hircorum* non capriſſare; vel *ſcurra*, criminari? Qui proinde, *quidquid voluerunt*, in nos *per epiſtolam* dixerunt: *in Metro noſtro* viciſſim, audiant adversùs ſe, legántque; *quodcunq; nolunt.*

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) *Belli namq;* Defenſivi *titulus ei militioni præferebatur. Appamianus in Annum 1617. num. 7.* (2) *Ità Cluverus eos nominat, pag. 776. col. 1. med.* (3) *Sic enim loquuntur* in Decreto *ſuo, quod eſt apud Gotthardum Arthuſium, Slejd. Redivivi lib. 22. pag. 1515. col. 2. ad med.* Auß der Supplication ſelbiger Kirchen/

chen/ (*inquit*) an die Staaden in Niderland/ da dieſelben zum höchſten ermahnt werden/ daß ſie ſich nit ſollen machen laſſen zu Executorn frembder Cenſuren / (*ſcilicet, à Miniſtris-Verbi latarum,*) oder ſich halten zu laſſen für weltliche/ vngewenchte/ vnd vnheilige Leuth; die nit dörffen vrtheilen/ von der Lehr/ vnd Religions-Sachen: wie dann GOtt der HErr Joſuam geſetzt hat. *&c.* (4) *Idem, pag. 1496. col. 2. poſt princ. Plura quoque reperies, eodem ſpectantia, pag. 1517. col. utráq; : & pag. ſeq.* (5) *Actor. 17. v. 18. de S. Paulo Athenienſes.* (6) *Eos Amſterodamenſium motus deſcribit Arthus Dantiſcanus, in Rediv. Slejd. lib. 22. pag. 1496. col. 2. & pag. ſeq. col. 1. uſque ad med. Attingit eos etiam Appamianus, in hunc annum, num. XI.* (7) *Arthus Dantiſc. lib. cit. 22. pag. 1518. uſque ad pag. 1520. incluſ.* (8) *Vide Symbolum Calvinianum P. Laur. Forert, in 4. Dilingæ editum.* (9) *Arthus, citatô lib. 22. pag. 1521. col. 1. ante med.* Libellus *porrò* famoſus *ille* Arminianorum, *linguâ eorum inſcriptus erat:* Wiegen-Schale/ in aller Billichkeit zu überwiegen die Oration von Herrn Dudley Carleton. *&c.* neulich gehalten / in der Verſamblung der Edlen vnd mächtigen

Batavorum, religionis diſsidia.

Herren Generals-Staaden. *Idem Arthus, pag. 1520. col. 2. ad med.* (10) *Unde Appamanus num. XI. ait,* Diſſidiorum illorum hoſtilem curſum, in annos quoque poſteros manſiſse. (11) Orationum loca. *Non enim, uti* templa *noſtra, Sacrificiorum & Miſ*ſarum: *utpote, quas Isltbiani deteſtantur. Eſt autem* Proſeucha, *vox quidem Græca: non inuſitata tamen etiam claſſicæ Latinitati. Unde Jun. Juvenális, Satyrâ 3.* Ede, ubi conſiſtas, in qua te quæro proſeuchâ. *Si verò* Synagogas *vocari malint; per me licet.* (12) *Epiſtolam lege Prædicantium Saxonicorum encyclicam, ad* Fratres *ſuos (ut eos appellant) hoc eſt,* Comminiſtros Verbi: *quæ reperitur apud Gotthardum Arthuſium, in Slejd. Rediv. lib. 22. à pag. 1529. uſque 1530. incluſ.* (13) *Idem Arthuſ. lib. 22. de Cæſaris Matthiæ excurſu, & itinere Dreſdenſi, à pag. 1512. uſq; ad pag. 1514. Quæ Auguſti menſis principiô geſta ſunt.* (14) *Iſtius Catholicorum Jubilæi, meminit etiam Appamianus, in hunc Annum, num. 13. & Gramond. lib. 2. Arthuſius pag. 1531. bullæ Pontificiæ ſummam, ab Electore Moguntino promulgatam, affert; uſque ad col. 2. paginæ 1532. incluſivè.* (15) *Iſaiæ 5. v. 20.* (16) *Libro 2. Machab.*

Septennium III. Annus 1617.

Machab. cap. 1. v. 1. &c. (17) *Has Lutheri* propoſitiones, *in patenti folio typis impreſſas, vidi annô 1624. in celebri quodam Inferioris Bavariæ monaſterio, infrà Caſtra Aciliana, ad Iſtrum ſitô.* (18) *Exodi 15.* (19) *De Hugonotis*, jubilantibus, *auctor eſt Gabr. Barthol. Gramondus, lib. 2. de geſtis Ludov. 13. pag. 176. edit. Ambſterod. in 8. formâ. qui tamen pag. 177. de* Heydelbergenſibus *maximè Calviniſtis loquitur; ac de modo, quo Jubilæum peregerint. Arthuſius verò, librô 22. cit. pag. 1531. de Calvinianis, etiam extrà Heydelbergenſes, narrat.* Diſem Außſchreiben nach (*Matthiæ Höe, ac collegarum,*) iſt auf beſtimmte Zeit vnd Tag / das Jubel-Feſt / nit allein in der Proteſtierenden / ſonder auch Reformierten Churfürſten vnd Ständen / Landen ſolenniter celebriert worden. *&c.* (20) *Qui homines, in ipſo cachinno, ſeu verô, ſeu aſſimulatô, extinguit.*

METRUM.
Ad finem Operis.

Proteſtantium, Annus Jubilæus.

APOCOMMA II.

Enſe Gallicanô,

Benearnia reduci cœpta: ſed Anœrœus, exterminatus.

I. SInè dubio, neque *Bella* vulgò læta, neque reorum *ſupplicia* multùm amabilia, ſunt. Cruoris enim, ſive publicè, ſive ſolitariè fuſi, ſemper horridus oculis humanis aſpectus eſt. Quoties armatam tamen expeditionem, aut impietatis regnum, aut in ſe legum aciem inſolentia privata, provocat: tunc, inamœna quæ ſunt, utilitate ſuî gratiam induunt; dum illic *hæreſis*, iſtic *immodica dominatio*, coërcentur. Harum ſollicitudinum alterius, in cœlum atque Superos; alterius autem, in vulgus quoque, ſtudia grata ſunt. Placet, utriuſque generis hujus exemplum inſpicere: primùmque, De conterrita belli caſtrorúmque minîs *Sectariâ* feritate.

II. Quâ parte ſe Pyrenæi montes, ab Hiſpania Galliam dividentes, in Aquitaniæ latus Auſtrale demittunt; *Benearnia* (1) regio

gio jacet, Labretanæ domûs (2) ac proinde, regum quoq; *Navarræ-Gallicanæ*, vetus *Principatus.* Is ab *Joanna Labretanâ* relictus *Henrico* filio, Gallorum poſtea *Quarto* nominis ejus Regi, fuerat; qui, Borboniæ ſtirpis, ex Antonio Borbonio patre, Navarræ rege, principéq; Benearnenſi, germen; ditionem illam, quoad vixit, & imperavit, ſupra meritum ejus indulgenter habuit. Nam, tametſi *ſuam*, tamen haud ſecus, atque *ſejunctam* à Gallia, regníque Chriſtianiſſimi legibus, rexit, ac regi permiſerat; ſuopte quodammodo geniô morum, ac religionis, utentem, & incedentem. Succeſſor igitur Henrici IV. Ludovicus XIII. doctrinâ Calvini *totam* eam *contaminatam* (3) reperit; & poſſidendam, ut hæres, accepit. Primîs autem aliquot ab exceſſu patris annîs, dum pro filio regina mater Galliæ res adminiſtrat, qualem rex Benearniam acceperat, talem eſſe permiſerat; incompoſitam, & ex arbitrio quemque ſuo viventem, ac credentem: donec, ingreſsô tandem regni moderamen, plenâ ſupremâq; cum poteſtate, *Ludovicô*, Sæculi decimus ſeptimus hic proceſſit annus.

Eô tempore, Benearnenſium *Calviniani-*

Bearnia, ad Eccleſiam reducta.

ſimus decennia jam ſex impleverat; adeóq; *ſenium*, quale vel ſolus temporis tractus, ac mora, (licèt cætera malorum lues omnis abfuiſset) *depontanum* eſse juſſiſset. Invectum autem id malum per *Verbi-Miniſtros* fuerat, qui ſe *Reformatores Evangelii* nominabant; auſpice *Joannâ Labretanâ*, reginâ: promotore verò laborioſiſſimô, Gabriele, Comite *Montgomeriô* (4), virô quondam, ſiquis uſquam alius, orthodoxô: poſtmodum autem, cùm, ob Henricum II. Galliæ regem, in haſtarum ludicro nuptiali præter mentem confoſsum, à regina Catharina datus in cuſtodiam eſset; in ipſa carceris ærumnosâ morâ *Calvini* librum, & ex eodem errores, clam amplexô: ſub redditam verò libertatem, palàm eos profeſsô. (5) Poſt transfugium ab Eccleſia, *Comes* hic, ut à regina vidua remotior ageret, & ſacrorum, quæ mutârat, ſecurior; è Francia migrans in Benearniam, ad *Joannam*, quam dixi, *Labretanam* confúgit: paullòq; pòſt, Sacroſanctum altaris ſacrificium, *Evangeliſtæ Lucæ* feſtô die, proſcripſit; ac Benearniæ totius finibus ejecit; (6) annô ſæculi ſuperioris ſeptuageſimô. Tanti proinde, per impietatem exacti, temporis,

poris, perrecturíq; , (ſi ne tum quidem diſturbaretur,) hæretici furoris, impatiens, rex Ludovicus, unicè religioſus: compendioſiſſimam exiſtimavit, exſcindendi paullatim mali, viam; ſi *Gallicæ coronæ*, non jam ut *appendix* tantùm, Benearniæ Principatus, ſed omninò *pars*, ac *membrum*, immiſtione fieret: non utique palàm ſtatim hôc denuntiatô; *Sicuti rerum civilium, ità quoque Sacrorum, & cærimoniarum, unum utrobiq; corpus fore.*

Sed non fefellit *recoctæ ſagacitatis Sectam*; quidnam, ejus conſilii cuniculô, rex tentaret. Itaque ſtatim *Unioni* (quam vocant) *ditionum*, & duarum gentium in unam quaſi coagulo, *Benearnenſes* reclamant; quæſitiſſimis *æqui* juríſque veteris, & *exemptionum*, coloribus voluntati regis oppoſitis. Rex, & conſilii ſanctioris optimus quiſque, per *conſtantiam* (*qua ſolâ perrumpuntur & invia*) primis in placitis perſiſtere: ſub annum exeuntem, edictô refractarios ad aſſenſum adigere: rituum orthodoxorum, & doctrinæ, religioniſque majorum, reſtitutionem; incruentum item in templis ſacrificium, Epiſcopos, cœnobiarchas, animarum ſacratos curiones,

Bearnia, ad Eccleſiam reducta.

nes, & Eccleſiaſticos proventus, inſtaurari jubere. Quibus cùm paullatim utcunque ſubſcriberent *manus* magìs, quàm *animi*, provincialium; ideóque tardum extorqueretur obſequium, niſi vis & arma tandem obſtinatis admoverentur: hac quoque parte, (nec ubi juſsa regia vileſcerent,) animosè laboratum ac proviſum eſt; ídque poſteros etiam aliquot in annos. Quorum in hoc genere tamen acta, non concisè divulſéq;, ſuis quæque temporibus, ut inciderunt, reddere, mihi conſilium eſt; ſed, cùm *uniuſmodi* ferè ſint, huc breviter unum in compendium pléraque conjicere, ſimul ac ſemel, placet: ne, *Gallicanis* identidem interſpergendis, res *Germanicas* Bohemicásq;, magnô mox agmine narrationem ad ſe rapturas, interpellemus. Eam nos, ac bellorum præſertim, intercisionem crebram, adeò fugimus deinceps: ut *Metris* etiam ipſis progreſsum ſuum, jam non in *agmine, viâq; militari*, concedamus, (utì vides,) ſed, in *ſtationem ea peculiarem* ſeponamus: ubi, ſolutîs habenis *equitantem* per regna, Bellonæ licentiam, tardiùs ſecuta (NB) *pedeſtris* Muſarum acies, excipiat, atque claudat.

III. Igi-

III. Igitur, reducendæ *veteris Religionis*, & *Miſſa*, (velut loquebantur,) *à ſexaginta* prope *jam annis* exoletæ, rediviva neceſſitas populis illis impoſita, *Sectarios* urebat: eóque magìs & acriùs, quòd ea, *totâ latè Benearniá*, (7) reſtaurabatur; ac Miſſarum hoſtibus, *Verbi nundinatoribus*, Eccleſiaſtici redditus extorquebantur. tametſi rex humaniſſimus, ne miſeri ſectores illi, ſpoliis ſuîs, lege, quâ fures, diſpoliati, cum uxoribus ac liberis fame contabeſcerent; tantundem eis rependi de publico juſſerit, & curârit; quantum injuſtæ cujuſque poſſeſſioni juſtè detractum erat. (8) Eam autem compenſationis, nequaquam alioqui neceſſariæ, liberalitatem impendit urbaniſſimi Regis humanitas, haud dubiè, non favori rabularum Calvinianorum: ſed, aviæ potiùs paternæ cineribus, & memoriæ, conſulens, alioquin inſectandæ; ſi geſtis illius, ac donationibus, tanquam jam futilibus, & in irritum relapſis, iraſcerentur, ac maledicerent deinceps, ii quoque, qui *Joannam* hucuſque, pluſquam *Evangelium*, prædicâſſent. *Joanna* namque, quam dixi, *Labretana*, Navarræ regnum, maritô rege vivis exemptô, jam ſola, cum Be-
near-

nearnii principatu, tenens; ac Montgomerii Comitis apoſtatæ, præconúmque concionalium, loquacitate permota: ſimulac orthodoxa ſacra, cum eorum adminiſtris, & cultoribus, Benearniâ totâ pepulerat; Eccleſiæ Benearnenſis omnia vectigalia, redditus, decimas, ac poſseſſiones, illico *fiſci ſui* fecit. In his, & *epiſcopatuum* erant, ac cœnobiorum, baſilicarúmque, facultates atque bona. Verùm, ut, quod univerſum rapuerat *fiſcus*, id in parte tamen nonnullâ recipere videretur *Chriſtus*: perſuaſerant iidem circumſcriptores illi, quos dixi, Reginæ, quippe novatæ Religioni ſe danti totam; ut partem Eccleſiaſticorum obventuum (hoc eſt, patrimonii JESU) transferret in exſtructionem, dotationémq;, ſcholarum doctrinæ Calvinianæ, ſub unius gymnaſii tectum ambitúmq; collectarum. ſimul autem, iiſdem ex opibus, *Miniſtros-Verbi* præberet parœciis oppidanis, & agrorum: qui *decimis*, tanquam patrimoniis fixìs, ac manſurìs, alerentur, cum familiis eorum. (9) Sed cùm hæc omnia deinde (quæ nimirum Regina traxerat ad ſe, quæq; Gymnaſticis, ac paſtorum Calvinianorum redditibus, aſſignârat, in Co-

mitiis

mitiis Pariſinis anni M. DC. XV. collectus Galliæ *Clerus* univerſus repeteret; ac Rex & Regina mater, æqua poſtulari ſentientes, dari recuperatores juſſiſsent; tardiſſimè tamen, hos per annos, (etiam poſt promiſsa regia, compenſandarum aliunde decimarum paſtoralium,) res procedebat.

Nam *Edictô* quidem *Regiô* reſtitutio Pariſiis imperabatur: In Benearnia verò, *vox regiæ voluntatis* non exaudiebatur. Ab aula proinde, libellorum ſupplicum magiſter, (10) *Rejnhardus* quidam, cum *Edicto* regis, in Benearniam expeditur. Promulgat Rejnhardus; intercedit edicto Benearniæ-prorex. Is *Jacobus* tunc erat, Marchio priùs, poſtea Dux, *Forcæus*, ac Franciæ demum ſupremus Equitum magiſter: Calvini partium ſtudioſus; regiæque voluntatis eluſor. Ejus filiorum alter erat, Armandus Caumontius, Marchio Forcæus: alter verò, natu minor, Joannes Caumontius, toparcha Mompoulianus, cum rege puero puer & ipſe quondam educatus; & tunc etiamnum in regia, cum epheborum primis, agens: donec, patris poſtea cum fortuna, gratia quoque filii defloruit: ut in loco referetur. Cæterùm, *Forcæi* tunc patris

(10) Bearnia, ad Eccleſiam reducta.

patris artibus, & exiſtimatione, quibus Benearnenſe vulgus & nobilitatem illaqueaverat, præpollentibus; ſcriptum illud miſsúmq; mandatô Regis, EDICTUM RESTITUTIONIS, *utì non ſcriptum*, *non miſſum*, habetur: ac Rejnhardus fecialis, re penitùs infectâ, Lutetiam irriſus revertitur. *Non autem irridetur DEUS.* Nam haud ità multò pòſt, latè circùm omnî Benearniæ trepidante ſolô, *Pavienſis* arcis, quæ Principum olim magnifica ſedes fuerat, è fundamentis emota disjectáque pars ingens, procubuit: omine, præſagiôque, minimè dubitabili, majoris poſtmodo ſubſecuturæ cladis alicujus, ac ſtragis, rerum & hominum; ſi mentem hujc advortere *Benearnenſes*, vitioſis occupatam affectibus, potuiſſent. NON rarò certè decreta cœli, mugiens terra prædicit: (11) &, pòſt paullò, calamitates *Sectariorum* ingentes vaticinium impleverunt.

IV. Rex, inter hæc, imperatam *Edicti* reſtitutionem urgere: præteritorúmque, ſi pœniteret, factâ gratiâ, poſterum in tempus, ni pareatur, vim apertam intentare; copias ſub ſigna componere; refragantibus, bellum denuntiare. Nec tamen, ne ſic quidem,

dem, contumacia flectitur: ſed ultrò *Forcaus* pater, cujus fuerat, à rege *legem accipere, legem* audaciâ Calvinianâ *fert*: & paciſcitur, *Reformatæ religionis* omnium ordinum ac provinciarum cœtum publicum; à rege permittendum. Eô permittente, ſed optimô quôque dolos-*ſecta* manu-palpante, *Lodúni* (12) frequentiâ maximâ conveniunt; certi, vel omnium concordi ſupplicatione regis pro ſe clementiam perrumpere: vel, impenetrabilem ſi deprehenderent, ex ipſa ſuî multitudine rebellionis augendæ vires ad ſe rapere. Nec prudentes fallere (niſi mens aliò ſpatiaretur,) lateréq; debuit; *Tales ſectariorum curias, armorum eſſe Punicas officinas.*

Confluxerunt autem (ut eſſet in aperto, quàm latè tunc per Galliam diffuſus Calvinus eſſet,) in ſuis quæque capitibus, è *Nobilitate*, *Miniſterio*, *Populiq;* cenſu miſsìs, provinciæ: Franciæ primùm Inſula, Burgundia deinde, Gallicana; Nortmannia, Minor Britannia, Bitúriges, Andes, Píctones, Sintones, Rupellenſès: Aquitani ſuperiores, & inferiores; Narbonenſes item, utriuſque tractûs; Gebennenſes, Vivarienſes, Delphi-

Ee nates,

Bearnia, ad Eccleſiam reducta.

nates, & Benearnenſes. *Circulorum* item (quos vocabant) omnium, *Oratores univerſales* duo; Bertevillæus, ac Maynaldus. Calviniſequorum Principum legati; Ducis Tremollii, Pleſſibellayus: Rohanæi Ducis, Lambaudierus; Forcæi, Benearniæ proregis, Labouſſelayus. quæ diligenter omnia Gramondus, librô Geſtorum Ludovici ſextô, percurrit; etſi ſumma tantùm delibare, compendiáq; ſequi, viſus: (13) multùm interim, vel breviariô, facundus, & diffuſus. Ad ſummam; ſatìs eſt, *Comitia*, quæ dixi, *Lodunenſia*, fuiſse *Sectariorum*, & *ſolorum*, & *magnæ multitudinis*; conjuratæ, vel exorare pro ſe regem, vel in ſua vota, nolentem quoque, compellere: quippe, totâ mente, *Reformatarum Eccleſiarum* commodis incrementíſque (ſic profitebantur) amplificandis intentæ.

V. Cæterùm, erat in Comitiis illis & *Leſcúnus* quidam; audax inprimis, & rebellioni natum, in Benearniæ circulis, os: *homo temerarius*, & *nequam*. (14) Is, Lodunenſi tunc in conventu, pro nobili Senatore Benearnenſium ſupremæ curiæ, ſe gerebat: cúmque *Miniſtro* caſtri Navarræi, Cade-

Cadevilliô Calvinianô, Calvinianus ipſe quoque, ſingulis in conſeſſibus præſtò; jam non ſermonibus duntaxat, ſed ſeditioſo quoque ſcripti *pugione* (ſic libellos quoſdam priſci vocabant, Cæſarum ævô, quos *enchiridia* Græci,) contendebat apud eos, qui conſederant, & quos ei caſus offerebat obvios: *Libertatem, & ab juriſdictione quavis* exemptionem, *Eccleſiis Benearnais ab omni retrorſum ævô memoriâq; conſtare: neque poſſe, juris novi cujuſcunque commentis*, Epiſcopos *antiquam in poſſeſſionem reduci. Quòd ſi contrà tendat rex; tendendum invicem contra regem eſſe, vel armis. Nec enim*, Regum *conatus illos, ſed* tyrannorum, *eſse cenſendos; &, ut tales, idcirco coercendos. Pluris eſse, multa millia liberorum capitum; quàm unum, in libertatis excidium potens. Ad extremum:* IN CONSCIENTIAS, NULLA VALERE REGNA.

Tales igitur, taliúmque ſimiles inter motus, comitii ſui trahentibus moram, & ex hac, conſilium (ut fieri ſolet) aliud ex alio, rebus Regni Sacrorúmq; pernicioſum; Rex pius, indulgentiæ ſuæ citò pœnitens, monitores immittit *Lodúni* congregatis; principiò

Bearnia, ad Eccleſiam reducta.

cipiò quidem, blandiores. poſtea verò, cùm audire ſe vel intelligere mentem Regis diſſimularent, auſteriores; nec ſinè minis aliquoties agentes: ni comitia Lodunæa diſſolverent Hugonoti. Perſtabant hi tamen; ægréque demum, nec niſi, poſtquam congregatos illic Rex, ſi porrò permanerent, læſæ Majeſtatis reos proclamavit, mentem flexerunt: adnitentibus tamen, ut id fieret, & obſtinationem eorum aliquouſque confringentibus, ejuſdem quidem *Sectæ* popularibus, ſed in aula regis, procùl Lodunô ſeditionéque, ſe tenentibus; Franciſcô videlicet Bonnæô, D'Eſdiguerió Duce; Gaſparéque Coligniô, Comite Caſtillonæô. Delenientibus his duobus, hinc quidem Regis iracundiam, in tergiverſantes conceptam; illinc autem, conſiliantium pertinaciam: ille pacatur; hi, Lodunô diſcedunt: & antè tamen paciſcuntur; ut iis, quæ votîs omnium concordibus poſtularentur, præſtandis, ſuam Rex fidem *manu ſuapte* (Calvinianam vide modeſtiam!) obſtringeret: litterîs & gemmâ firmatam. Subſcriptioni porrò ſpatium figebant, *ſemeſtre* tempus. Summa poſtulatorum, antehac diffuſiorum, nunc contractior, ac triceps, erat.

Ut

Septennium III. Annus 1617.

Ut in Parlamentum (quod vocant) *Lutetianum par deinceps Hugonotorum unum reciperetur: Ut urbs* Lectora, *præcipuum apud Aquitanos* ſectæ *munimentum, ac præſidium, ſed ei ſuperioribus annîs extortum, ad eam poſtliminio rediret: Ut* Urbes *denique, quas (Hebræorum imitatione,)* Securitatis *&* Refugii *nominabant, quæq; Calvinianis in Delphinatu potiſſimùm ſeponi ſolebant, iiſdem poſſidendæ permanerent, in futurum omne tempus; eæq; novo regiæ*-ſubſcriptionis *diplomate ſtabilitæ. Cæterùm, in hæc omnia, ſuam interponerent fidem; pro Rege, qui de magnatibus eminebant, nec infenſi* Sectæ *viderentur:* Henricus *puta*, Condæus, *regii ſanguinis Princeps; &* Carolus *D'Albertius, Dux* Luynæus.

Hi, niſi Rex poſtulatis Lodunæis intrà pactum temporis intervallum ſubſcriberet, fide ſuâ, copiam inquietis his (ſed, ut ego reor, *temporis & tranquillitatis cauſſâ*,) faciunt; Conciliabulum ſuum, etiam inconceſſu Majeſtatis regiæ, ſive Loduni, ſive Rupellæ malint, repetendi. (15)

Morabantur interim in aula Pariſiis, (eò, tanquam ſubſcriptionis exactores, à Lodunenſi conventu ſubmiſſi,) Favaſius, Vice-

Ee 3 comes

Bearnia, ad Eccleſiam reducta.

comes Caſteſius ; & Chalardus quidam, duo Calvinianorum oratores : inſtantes, quidquid facundiâ gratiâque poſsent ; ut *libello* ſuo *pactitio*, manum regis ac ſigillum eblandirentur. Nihil effecerunt : &, *ſemeſtri*, quod in conditionibus tranquillitatis erat, evolutô, neque tamen *ſubſcriptione* ſubſecutâ, propter novas è parte Regis enatas cauſsas ; reditum à *Sectariis* ad turbas eſt, & ad iteratam conſiliorum figlinam. *Lodunum* ea, ſicut antehac, fuit : donec, *Rupellam* denique tranſcurſu facto, *Sedem* ibi *Vulcaniam* omnis flammæ Seditionum collocarent.

VI. Sed jam antè, cùm adhuc *Loduni* coitiones ferverent ; alibi ; tanquam impatientiâ moræ rebellandi, tumultuandi rapiebantur occaſiones ; à *ſectariis* Vivarienſibus, (16) & iis, qui *Privatium*, illuſtre municipium, inſidebant, aut exſtimulabant.

Ceciderat Allobrogicô nuper bellô, Calvinianis eò charior, quò Catholicis inimicior, *Petrus* quidam, cognomentô *Gouvernétus*, Chambauti dynaſta : viduámque reliquerat, adhuc nuptiis habilem ; &, ob id, aliáque, compluribus, (itidem Calviniſequis,) à rivalibus expetitam. Sed corrivalis erat, *Haute-*

Hautefortus L'Eſtrangius, *Chaylans* Vice-comes; in *orthodoxa* pietatis ſtudio ſummus. Et hunc, repulſîs cæterîs, volebat unum, ac votô mutuô, *vidua*; nec indotata. quippe, *Privatienſis* hæredii poſſeſſione clientelarî locuples, ac potens.

Contra nuptias has, ne coaleſcerent, ope ſummâ nitebatur, Calvinianum omne nomen; & nobilitas inprimis, ac *Paſtorum* ſacer (ſi Superis probatur) *ordo*. Fremit & omne Vivarium: & pro quovis potiùs, quàm illo novo Privatii domino, cum deterrimo quôque Privatienſium capit arma. Certabatur intus, ac foris: in medio poſita *Sponſa*, Victoriæ ſe præmium videbat ei fore, quiſquis ambientium prior irrupiſſet. Eum porrò fore *Chaylanum* ſuum, optare magis ſperaréque poterat, quàm efficere. Lugebat interim, in arce ſedens oppidi ſui, ſuîſmet à clientibus, Privatii civibus, obſeſſa; diúque, nullô ſolitarii mœroris ſolatiô: donec ad extremum, emptô clam excubitorum cujuſdam ſolertî dolô, perfoſſus interior caſtri murus foramine capacitatis tantæ, quantam corpus humanum unum commodè penetraret; *Chaylanaum*, ex compoſito

Bearnia, ad Eccleſiam reducta.

prius in foſsam arcis demiſsum, conticiniô tenebrarum intromiſit. Is ibi, caſtrô pariter, optatôq; potitur conjugiô. Factô verò demum diei diluculô; pèr feneſtrarum edita proſpicit *Chaylanæum*; oppidanis, ſucceſsu fraudis irritatis, & furentibus, inſultat; rebellionem exprobrat; ac pœnas minitatur. Accîtam, præter hæc, à ſeditioſis, & partim ultrò concurrentem, latè circumquaque *ſectariam* viciniam, etſi denſam & frequentem, ſpernit; ac perfert. Sed obſidentes *Chaylanæum*, obſidet paullò pòſt invicem, ſex peditum millibus ad mœnia *Privatii* raptîs, voluntate Regis, Henricus, Dux *Mommorantius*. qui, ſecum & tormenta bellica trahens, & Galliæ Narbonenſis ſelectam nobilitatem, feciali Privatienſibus immiſsô, verbîs Regis quietem rebellibus, & obſequium, imperabat. Contra detrectantes audire pacem, machinæ tonant, ignéſq; tormentarii; verberatur globîs miſſilibus oppidum: bellique tota tempeſtas *Privatii* muris & agris infunditur; parùm admodum, ac pænè nihil, contra vim Mommorantianam, obſeſsæ *Sectæ* conferentibus *Vivarienſibus*: quorum tamen, ut factionis participum, ſub umbraculo

culo velut, & auſpiciis, Privatienſes tumultuabantur; *maleſida* (ſicut ferè fit) *ſocietatis inani lucrô.*

Cæterùm, feſsi paullatim conſternatíque malîs, qui *Chaylanæum* intus obſidebant, & foris à Mommorantianis circumſidebantur, *Privatiani*; cùm aliquouſque quietem demum, ac pacem, maluiſsent: ad ingenium tamen, obſequii regii detrectatione, celeriter redierunt. *Doctrinæ* fructum agnoſceres, illius; quæ, *caput altè ſupra leges ac reges efferre*, conſuefacit.

Neque tamen ſola ſe ſubjiciendi difficultas, arrogantiam, ſectæ prorſus innatam, retrahebat ad veterem contumaciam. Nam ille quoque, *Privatianos* omnes acriùs urens, ac profundiùs infixus, dolor, metu miſtus, cruciabat; quòd *Chaylanæi*, cum *viduâ* Chambautæâ (de qua dictum ſuperiùs eſt) conjugium, opinarentur, & Sacris ſuis, & urbi, luctuoſum exitiabiléq; futurum. Unde fiebant, non nova duntaxat in urbe conciliabula factioſæ multitudinis; ſed ipſiúſmet adeò magiſtratûs oppidani, cum conſpiratis colluſio: quando, juſsi primores, conſilia turbulentorum indagare, deprehenſáq; celſiori

Ee 5 pote-

Bearnia, ad Eccleſiam reducta.

poteſtati detegere, munimentáque, quibus recèns exſtructîs arcem ab urbe ſecluſerant, demoliri; *Sanpalajſio* mandanti non paruerunt. Is, *legatus* erat *Regius*; à Mommorantio, quinquaginta cum militibus, præſidiô recentì, caſtro Privatienſium impoſitus: ſimul arci *tutor*, & urbi ſubjectæ *frænum*, futurus. Nec is defuit officio, ſibi commiſſo. Cognitô namque, decretum eſſe Privatienſibus conjuratis, Sanpalajſianum jugum excutere, Regis legato refragari, munitionéſque firmare potiùs, & amplificare, quàm, ſicut imperatum fuerat, dejicere: ſtomachoſior iîs effectus *Legatus*, ex arcis edito, vi machinarum militarium formidandâ, jactúq; generis omnis ignium, lacerare circumjectam urbem cœpit; & obvia quævis, opportuniſſimáque cladi tecta, flammîs corrumpere. Jámq; pacem cives, ac res quietas, oratum, & invicem pactîs integratîs firmatum, ibant: cùm *Briſónius* quidam, vir & Calviniſmô fervens, & armorum audaciâ ſingularî ferox, cum *Gardæo*, *Crotæôq;*, ſuî ſimillimîs, ac non exiguô militum è vicinia numerô, pacturis ſupervenit: *Privatium* irrumpit: bellum intrà muros, adverſus

sùs caſtellanos, & Sanpalajſium legatum, renovat. Nec contentus, urbem ſuæ feciſse poteſtatis; arcem quoque demum, etſi fortiſſimè propugnante Sanpalajſio, quatit: eâ, per vim extremam, ac ducentorum è ſuis vitæ jacturam, potîtur; & potîtus, ingreditur; ex pactis interim exeunte Legatô ſalvô. Sed *Briſonius* tamen, metu periculôque vacuam, in arce Privatienſi, ſedem non tenebat: novam, eámque validam, à Duce Mommorantio ſibi deſtinatam, oppugnationem opperiri certus. Interim, ingentis aliquando ſecuturi Calvinianorum belli, ſed ſuóſmet auctores ſubruturi, ſufficiens cecinerant claſſicum, hæ turbarum *Vivarienſium* ac *Privatianarum*, primitiæ: (17) quarum rerum exitum, Annus hujus Septennii noviſſimus evolvendum, fortaſſis accipiet. Nos ad *Benearniam* nunc, unde digredi curas noſtras inquieta coëgit *Secta*, revertimur.

VII. Poſteaquam, illis in terris populíſque, Calviniſmi pertinaciam, *ſexaginta* jam (ut ſuprà quoq; meminimus) annorum trahere ſenium, ídque, veluti callô ductô, propemodum in naturam vertere, palàm erat; ſic, ut & gloriæ ſibi ſenſim incolæ ducerent,

rent, non ritus orthodoxos ullos, non Antiſtites ſacrorum, aut presbyteros, neque leges regum ullas, admittere; quando præſertim, tam impudenter & contumeliosè nuper & *Rejnhardum*, edicti regii promulgatorem, tractârant: *Rex* tandem *Ludovicus*, ipſe per ſe, malis his, & intolerabilis ſuperbiæ progreſſibus, obviàm ire conſtituit.

Viſum eſt autem, hactenus armìs inſtructô comitatu ſuccinctum procedere; nihil tamen ut armorum uſquam diſtringeret, ubi ſubſcribi regio *Reſtitutionis* illi *Mandato* deprehenſurus foret: contumaciam autem immotam, ac majeſtatis contemptum, ut ferro flammâque coërceret. *Pariſiis* ergò movens, *Aquitaniam* versùs (nam hujus, in Auſtrum excurrentis, pars eſt *Benearnia*,) tranſit Ligerim: intrátque Burdígalam. Ibi, certìs cognoſcit auctoribus; Benearnenſes, ſi quieſcat Burdigalæ rex, invicem conquieturos: ſin adversùm ſe movere pergat, in motu viciſſim eſſe jam omnia. vîque ſummâ *Sectarios*, ſi laceſſantur, reſtituros; quippe, *Forcaô* quoq; *prorege* loricam & ferrum indutô: nec modò non cohibente ſeditioſos; ſed, (ne languidè tutari *Calvini regnum* videri

deri poſset,) conjurationem etiam accendente, face verborum, & exempli. Regiæ denique nec voluntatis, nec exiſtimationis, rationem illic ullam haberi.

Terruiſsent alium, & à cœpto retraxiſſent, tam profligata rebellium nunciata conſilia; quæ tamen, plenum animi magni, Regem ad conſtantiam exacuerunt: ſpe præſertim cœleſtis opis, in tanta Cauſsæ bonitate, difficultates obſtantes perrumpente. *Burdigalâ* proinde, morâ nullâ, motîs caſtrîs, (quæ tamen, *profectio* potiùs *extemporalis*, quàm *caſtra* forent, & *expeditio*,) læverſum, per viarum obliqua, flectit in Benearniam: & hoc, quod mirati meritò vel animoſi ſunt, *centum* haud ampliùs (ut *Gramondus* tradit, ac loquitur,) ſtipatus *cataphractîs*; & inſequente, ſed eminus, præſidiariô milite. Cæterà, penitùs Rex inermis erat; nec ullîs tunc ad manum, vel ab annona, vel à baliſtis, ac terrore tormentario, belli ſubſidiîs atque viribus adjutus. Tali tantæ molitionis apparatu, nec formidabiliore, *tridui* per horrida deſertáque ferè locorum exactum *iter* eſt; quoad ventum denique *Granátam Gallicanam* (18) eſt, ad Benear-

Bearnia, ad Eccleſiam reducta.

Benearniæ fines occiduos ſitum oppidum. Ibi *Forcæus* Regi, cum delectu Nobilitatis *ſectariæ*, præſtò fit. Obſequii promptitudinem, Calviniſta vafer, in futurum oſtentat: tergiverſationem præteriti temporis excuſat; & deprecatione mollit. Aureum deinceps ſæculum pollicetur; & cereas in imperia cervices. Interim (qui *Sectæ* ſuperbæ genius, ac frons, eſt, *preci miſcere minas*,) ſi Rex armîs agat, vim popularium oppoſitam, & extrema quæque, pro tutela libertatis, intentat: *Supplex*, (mirô monſtrô,) *ferox*. Denique, negotium iſtud univerſum *Reſtitutionis* ſacrorum, & *Cleri*, declarat, ex *arcium* apud Benearnios, & *animorum*, firmitudine, futurum arduum, & impervium: cuique promovendo, proregia ſaltem auctoritas ſufficere, ſi vel maximè velit, minimè valitura ſit. Alia præter hæc, in ſenſum & modum eundem, loqui *Forcæus* auſus, non admodum magni facere videbatur; Se *vices-Regis*, è Regia; *Ducis*, ac magiſterii ſupremi militum, culmen è regia; Filii, natu majoris, *Marchionatum*, ac ſpes altiores, à regia; Filium denique, natu poſtremum, cum rege nuper educatum, ut æquævum, *in ipſa* tunc adhuc

adhuc *Regiâ* florentem, habere. Tam profundè nimirum, in hujus viri ſenſu, majeſtatem & beneficia, *Secta* ſtudium ſepelierat.

At huic, verbosè dicenti, quod ei *libebat*; repoſuit Rex, quod ſe *decebat*, regiâ Spartanâque brevitate: *manum* quippe, non *linguam*, rebus admoturus. Quæ verò deinceps geſta ſint; exſequi ſerie planiore non poſſum, quàm, ſi narrationis ei tramiti per compendium inhæream; cuj, librô ſextô Ludovici geſtorum, Curiæ Toloſatis præſes, (19) hæſit; qui potuit Actis & interfuiſſe.

VIII. Relictâ, cum *Forcai* diſſertatiunculis, Granatâ; Rex die poſtero proceſſit, ab occidua regionis orâ, dextrorſum, ad interiora Benearniæ: venítque, nec opinatò, priùs etiam, quàm abîſſe Granatâ credi poſſet, *Arſacum*; urbem, *Pavío*, Benearnicarum urbium principi, vicinam. Ibi continuò, præmiſſum à ſe caduceatorem, oppidanis immittit, qui *Reſtitutionis Edictum* eis, ſi flexiles appareant, *ſuadeat*; ſi pervicaces, verbîs regis *imperent*. Ii, dum verbîs Orator, ac ſolus, agit, ſtrepunt, obloquuntur, ferociunt. Sed minitantibus, minas rex, ſinè voce,

Bearnia, ad Eccleſiam reducta.

voce, ſolôque conſtantiæ tenore, regerens; progreditur, & pergit in eos, inermis adverſùm armîs inſtructos; & cum paucis, adverſùm multitudines. Leniùs ſenſim obturbant: necdum tamen per omnia quieti. Propiùs autem, propiúsque, jam accedentem, ac per medios demum, cum ſua cataphractorum centuriâ, Regem incedentem, per ſilentium transmittunt; Majeſtate, quantumvis imberbî, conſternati. Tenet Rex *Arſacum*; intrat *Pavium*; pervadit, & occupat, extrema quoque provinciæ, Pyrenæas versùs Alpes. Muginante jam, nedum reclamante, nemine; lex *Reſtitutionis ſacrorum*, ſpreta priùs, accipi jubetur: & accipitur. In ſumma! patuit eô tempore, (quod non diſſimulavit Gramondus,) *Poſſe frangi contumaces, etiam ſinè multis armis, & ſanguine; ſiquis animum inconcuſſum indueret* audaciâ frangendi: *REGUMQUE FRONTIBUS, INESSE DEUM.*

IX. Argumento certè reſpectûs ejuſce, *Pavium* fuit ipſum, totius Benearnæi Principatûs urbium *arx*, & *Regia*: quippe, cujus (ut primùm rex adeſſe, propinquúsque portis, nuntiatus eſt,) relictîs omnibus, Conſules,

ſules, ac magiſtratuum optimates cæteri, certatim obvios effundebant ſe: genibus adſternebantur; &; promeritas obſequendi tarditate, pœnas deprecabantur.

Placatus eâ Rex ſubmiſſione, primùm quidem urbem, dein Pavienſem arcem, ingreditur; vetuſtam Navarræ-Gallicanæ regum ſedem, ædificiîs illuſtrem (niſi, quòd & proximi terræmotûs ſtrage notabilior alicubi conſpiceretur,) umbroſam moretô, viridariîs amœnam; gentis denique *Borboniæ* poſſeſſionem haud indécorem; & *Henrici Quarti*, Gallorum regis, incunabula. Quibus tamen omnibus nihil illectus ad moram *Ludovicus* rex; poſterô ſtatim die caſtello ſuccedit *Navarræo* (20); regionis totius arci firmiſſimæ.

Præerat iſti, veteranâ vir, geſtîsque rebus clarâ, militiâ, *Saleſius*; annum vitæ tunc agens octogeſimum. Is, in expeditione quidem eſſe Regem, famâ narrante, didicerat; ſed ſic tamen, ut, procùl eum adhuc agere, perſuaſum haberet: Datum iri ſpatium interea temporis, & conſiliorum, ad omnes ſeſe caſus comparandi. cùm ecce, de nec proviſo conjectis ex edito munimentorum

Bearnia, ad Eccleſiam reducta.

oculis in ſubjectam arci planitiem, imminere ſibi Regem, & jamjam inſtare proximè, conſpicatur. Terretur, ac deliberat; dúmque, quid agat, quídve prætermittat, anxiè cogitans, huc illúcque *Saleſius* ſe verſat; portam Rex, Saleſio proximam, pulſans, intromitti vult. Is à Saleſio, dimotîs & clauſtrîs, & morâ, recipitur. Uſqueadeo virum, in paucis cæteroqui bellicoſum, ac timere neſcium, ſui Regis perculerat, & propior aſpectus, & ſupervenientis celeritas. Ei continuò deditur arx Navarræa, cum armamentario pariter; apparatûs omnis bellici ditiſſimô, tormentîsq; militaribus, pluſquam centum viginti, refertô.

Quod verò minimè, (priuſquam accideret,) *Hugonoti* formidârant, & maximopere, poſteaquam acciderat, doluerunt; inciſum eſt, *Navarrini* ſubactione, totius Galliæ ſectariorum jugulum exſpectationis; ac ſpes oppreſsa, factionem ſuam latiùs extendendi, ſedémque potentiæ ſuæ firmiùs conſtabiliendi. Nam & ejus erat arx Navarræa roboris, (qualis, & quanta, tunc in manu regis,) ut, non modò, cum Benearniæ ſolius arcibus quibusvis collata, præcelleret; ſed & totius

totius quoq; Galliæ provinciarum (ut tunc res erant) munitionibus præſtantiâ certaret. Super hæc quoque *Saleſio*, præfecturâ ſemet abdicanti, ſuffectus, illuſtri vir ortu locóq;, *Bernardus Baylenſæus* erat, *Baro Poyanus*: armorum intrepidus, orthodoxæque religionis tenaciſſimus. Unde, ſucciſa ſenſim Calvinianis, eodem aliquando redeundi, ſpes omnis; in deteſtationem *Saleſianæ fidelitatis* ſe converterat: inutilibus *Sectæ*, nec *Expræfecto* noxiîs, maledictìs.

Navarrini porrò caſtri receptionem, illico totius circumquaque *Benearniæ* deditio, Regis in manum, eſt ſubſecuta: quem proinde tractus ille terrarum univerſus, paſſim & palàm, ut ſupremum caput, jure ſubjectionis, agnovit: Rege contrà, ſuæ felicitatis auctorem, agnoſcente DEI manum. Cuj proinde, (velut par erat, & alibi quoque memoravi,) delendi quoque dedecoris ergô, quòd in eum ipſum olim diem extincta Sacra Romani ritûs fuiſſent, ipſis *Lucalibus Sacrîs*, ſollemnes ibidem ſtatim actæ gratiæ ſunt: omníſq; (tunc quidem) expeditio Benearnenſis, citra Sæculi præſentis annum viceſimum, interquievit.

Ff 2 X. Cæte-

Bearnia, ad Eccleſiam reducta.

X. Cæterùm, univerſorum hucuſque per Benearniam ſtrenuè geſtorum, virtus magnanimitáſque Regis, adjutores habuit acerrimos, *viros tres*: quos temporum noſtratium enarratores *Catholici* celebrant, dum eos interim *acatholici* lacerant; at, propter hoc ipſum, celebriores poſteritati tradunt; *Carolum*, putà, D'Albertum, *Luyneſium* Ducem; *Guilielmum Veræum*, primarium olim Jureconſultum, Aquenſis Curiæ ſupremum Præſidem, indè regni Galliarum *procancellarium*, & ex hoc tandem, Lexovienſem Epiſcopum. præter hos autem, & *Jacobum Arnouſium*, Societatis JESU Sacerdotem; eloquentiâ ſacrâ cumprimis validum, indéque *Sectis* inviſum. Cujus equidem potiſſimùm odio, rear, impenſam aliquot poſt annos fuiſſe, mordacem illam Ordinis ejus totius inſectationem; à Rupellanis conjuratis illi, querelarum pleno pictacio, ſeu, (quod nominabant,) *Manifeſto*, prope finem inſertam: cùm ſic ajunt, Calvino jurati, turbatores. *Subſtituitur præſidiario, noſtrîs in arcibus*, (cujuſmodi Navarræa nuper, ſub Saleſio, fuerat) *inimicus miles* (putà, Poyanæus): *&*, *quæ Reformatis conceſſa munimenta, Papiſtæ nunc occu-*

occupant. *His accedit* (addunt punctim) *importuna CORVORUM, in aula, crocitatio; Tuæ Majeſtatis aures continuò verberans* (in Cotóno quondam, ſuſpicéris, & pòſt in Arnouſio, cæteríſque, ſimilibus eorum.) *Hi ſunt, qui, ſpecie directionis, in prava flectunt conſcientiam tuam: qui ſe faciunt omnium arbitros; deterrima gens; in excidium nata Galliæ* (credas, de Calviniſtis loqui Calviniſtas); *tibi pernicioſa, ſicut & deceſſoribus tuis; nobis, exitialis. Factioſa ſunt in nos omnia, quæ peſtilens eorum SOCIETAS vomit.* (21)

XI. Priuſquam porrò Rex è Benearnia tunc moveret; *duo*, memoriam inprimis promerita, provincialium animis impreſſit Facta: quantumvis diſpariter à diſparibus accepta.

Primùm enim, legibus Benearniam, paucîs, ſed ponderosis, in futurum omne tempus adſtrinxit: *Ut inferior Navarra, Benearniáq; principatus, ſub una Curia principali, coronæ Galliarum innectantur. Ut in ea Curia deinceps Epiſcopi Benearnienſes, ritu vetere ſedentes, cum Abbatibus pariter ſententiam ferant, & dicant: auctoritatémq; paſſim, qua-*

Bearnia, ad Eccleſiam reducta.

lem & quantam obtinuiſſent antiquitus, etiam in poſterum omne tempus obtineant. Ut Clero bona, quaq; moventur, quaq; locô moveri nequeunt, ex antiquiſſimæ poſſeſſionis jure, reſtituantur.

Alterum inſignium Regis operum fuit: quòd, pridie diſceſsûs ejus, initium, veriùsque fundamentum, jactum eſt *Inſtaurationis*, ſexaginta jam annis ſepulti, *cultûs orthodoxi*: cujus præcipuum caput eſt, *Arcanum Eucharisticum*, populis incruentô Sacrificiô corporis Sanguiniſque dominici repræſentatum. Quòd igitur, errore Berengarianô, circà Chriſti veram præſentiam, inprimis à via receſſiſſent Calviniani: per *Actum*, quo ſimul & Numini debitus honor exhibebatur, ac pro populis id, quod *res* erat, & non *Signum nudum*, offerebatur, ac monſtrabatur; Epiſcopi presbyteriúmque mittebantur, operâ pariter eâdem, in Eccleſiarum ſuarum poſſeſſionem. Hæc, *pedis* erat, in templa paſſim omnia recuperanda, *poſitio* (22): *ſacroſancti* nempe *Corporis* reverens oſtentatio. Delectum ad id negotii, Pavienſe *templum*, & urbis ambitus, erat. Sollemnibus ergò cærimoniîs ibi peractô Sacrificiô; poſt æ-

dem

dem priùs (utì Canones jubent) hæreticis ex abuſibus vindicatam, & expiatam: CHRISTUS JESUS, ſpecie *Panis azymi* tectus, circumferebatur per urbis celebriora compita; ſupplicatione *procedentium* ſollemnî. Geſtabant umbellam, ſub qua Myſterii tremendi bajulus incedebat; Epiſcopus, regni Principes quatuor; in omnem reverentiam compoſitis oculîs, ore, greſſu. Qui præibant, quiq; ſubſequebantur, Catholicorum ingens, ſagata togatáque, multitudo; ſupplicìter adorabant. Virilis ſexus, intectô vertice: ſexus alter, ac nempe, *puellaris*, redimítô ſertîs capite. Cùm enim in Benearnia, Calvinianis immixta, jam olim ab Henrici IV. regno, conjugia *Catholica*, ſobolésque, non deeſſent: ex iìs eæ, quæ Virgines adhuc erant, illìs, quibus per autumnum tunc adultum licuit, floribus coronatâ comâ, procedebant.

Cæterùm, inter venerabundos omnes, (ut congruum erat,) *rex* tum eminebat, Ludovicus *Decimus tertius*, Ludovici *Noni* premens, in hoc actu FIDEI, veſtigia (23); capite ſemper apertô, ceréumq; flagrantem geſtante manu, conſpectus incedere: *ſecta-*

Bearnia, ad Eccleſiam reducta.

riorum quidem inter grunnitus, ac fremitus; orthodoxorum autem inter gaudia, vocésq;, *Vivat Rex, ac triumphet!* acclamantium. Et hoc, per omnes, quibus proceſsum eſt, vicos.

Ut autem réditum in ædem eſt, jam reſtitutam majeſtati proavitæ, jam ex omni parte reſacratam: in ſuggeſtum *Arnouſius* (24) progreſsus noſter (is ipſe nempe, quem dixi, *dolorem oculorum* fuiſse ſectariis); argumentô ſibi præfixô concionis, ex illis *patriarchæ*, ſecum commune gerentis nomen, verbîs, *Quàm terribilis eſt locus iſte! Verè non eſt hîc aliud, quàm Domus Dei, portáq; cœli*: (25) facundiæ ſuæ potentiâ mentes auditorii; vocis autem echoniſque tonitruîs, *Domum* ſacram, implevit. templi præterea *portam*, *cardines* ac *ſuperliminaria* (velut Seraphinus alter) & denique *Locum* illum univerſum, ſuccuſſit. Verbô! *docti* ſimul, & *efficacis*, reportavit ORATORIS nomen, apud æquos rerum æſtimatores: ab adverſis contrà partibus, odii decumanum incrementum.

Hîs porrò ſic geſtîs, & legum, Benearniæ populis recèns latarum, exſecutoribus urbi Pavío relictis, Auberiô, Tarabellôque, libellorum in Regia magiſtris; Lutetiam Rex eſt

eſt reverſus; lætus, *paucis* in diebus, *multorum* alioquin *Opus annorum*, *incruentè perfectum* (utì videbatur) fuiſse. Sed non in longum ſcilicet, quæ tam brevî tunc nata fuerant expeditione, valuerunt: perinde, ſicut vivaces ac durabiles eſse fructus arborum, aut fœtus animalium, rarò ſolent; qui præfeſtinè concepti genitíq; ſunt. Annus enim (quòd ſuperiùs quoq; ſubindicare cœpi) non plenè quartus ab hoc, quem exſequimur, annô, circumactus erat; cùm *Secta* nequitia *Benearniam*, in redivivas egit turbas, ac furores; ſuperioribus ejuſdem, qua vivimus, tempeſtatis iracundiores: ídq; culpâ, non diſſimulatâ, *Forcæi* Proregis, ac pluſquam manifeſtô ſcelere *Leſcúnı*; multitudines in arma, jam profeſsa, meridianáque, concitantis. Quæ nos ſuo (ſicuti præmonuimus) tempori, per quoſcunque digerendo, reſervamus.

XII. Ad *Alterum* interea, quod *Decimus ſeptimus* hic annus ſecum vexit, & Gallicano ſpectandum theatro dedit, promiſſi noſtri caput, (funeſtum *Aularum* oſtentum,) pergamus: *Concinum*, inquam, Marchionem *Ancræum*; & Leonoram *Galıgayam*, Ancræi

Bearnia, ad Eccleſiam reducta.

conjugem. De quorum ſupremo caſu, cùm aliter *Gallia trans Alpes*, aliter *Ciſalpina*, (26) tradant & loquantur; in *cauſis* præſertim cædis ac ſupplicii referendîs: ego, ſic *Veritati* ſerviturus, ut *Odia* tamen declinare ſtudeam; Supplicia referam: ſuppliciorum cauſſas, & cauſſarum examina, tribunalibus relinquam, & DEO. Sic autem geſta res eſt.

Poſt Veris initium, reverſus Lutetiam erat Mareſchallus *Ancræus*, ex hibernis Normannicis; in quibus extremam hujus anni brumam, inter armorum meditationes, exegerat: Vir, à Reginæ Matris (ut alibi ſubmonuimus) potentia gratiâque, totus quantus pendens: & ideò periculorum, ab aliis imminentium, vel incogitans, vel contemptor. *Quem formidaret namq;, quem omnes jam formidabant? Neminem utique magìs, quàm Seipſum*; in orbe Fortunæ lubricô, volubilíque, ſtantem. *TIMEAT omnes, quem timent omnes*. Ancræi reverentiæ, genua ſubmittebat Gallia: cùm obtrectantibus, è contrario, Pariſiis *crux* ſtaret *ultrix*, in propatulo. (27) Sed, felicitatis iſta rota converſa demum in vertiginem; & hæc, in caſum, eſt. Illu-

Illuxerat *Aprilis* dies vigeſimus quartus: cùm Ancræus (incertum, an tunc *accerſitus*, quod Arthus Dantiſcanus tradit; an *ultrò* potiùs, fiduciâ ſolitâ, venturus?) comitum ac ſtipatorum ſuorum magnæ manui viam indicit in Regiam, cuj *Louure* nomen: in qua tunc Rex, & Regina mater, cum Ancræi conjuge *Galigayâ*, Reginæ lateri ſemper hærente, (28) ſe tenebant. *Hora* temporis antemeridiani *decima*, metam ſuam; & Regiæ portam primam ac magnam Ancræus, cum ſuis, attigerant. Ea porta tunc, præter ſolitum, nec tamen præter mandatum, occlusîs valvîs, non patebat. Oſtiolum patebat, inſertum majori portæ. per quod Ancræus, properandi ſtudiô, nihilquedum aliud ſuſpicatus, quàm, adhuc attineri ſtrato regem, intrudit ſe: póſtque dominum, duo famulorum, (29) à pedibus Ancræo. Cæteris omnibus, propiùs eminúsque ſubſequentibus, oſtiolô reductô, propior acceſsus, nequis deſtinata turbaret, interſcinditur. Ancræus, cum geminis ſuis, (veriùs umbrîs, quàm auxiliis,) in atrium Regiæ, triſti ſolitudine, ſe penetrat. Præſtolabatur illic loci, *cuſtodia* (quam appellant) *corpo-*

Ancræana tragœdia.

corporis præfectus, *Vitryus*, cum Haliéro fratre; cæteráque magnanimâ prætorianorum manu, tum ferrô, tum fiſtulis æneîs, armatorum.

Ut primùm in conſpectum Ancræus venit: obvius, ac prior alloquiô, *Vitryus*, in minas flexô vocis habitu; *Siſte gradum*, acclamat; *ac, mandatô Regis*, (30) *hîc illico, vel arma pone, vel vitam!* (31)

Ad quæ, non exſternato magìs, quàm indignanter admirabundo ſimilis, *Ancræus*, preſſit aliquantulò veſtigium. mox tamen animô recollectior, ac citra vocem ullam articulatam fremens; ad capulum enſis, quem ponere debuerat, dextram vultu trucî refert; ídque, (ſicut plerique narrant,) tanquam ad auxilium, ac vindicias libertatis, per *Vitryum* in vincula citatæ: ſicut autem Appamianus factum mitigat, capturo-ſe reſiſtere voluiſse, *viſus* potiùs, quàm revera reipſáque reſiſtens: Ut verò tribunalis ſupremi Toloſatis Præſes (32) ſcriptum reliquit; *vecors, furens, & obluctans.*

Quæ ſanè pugnax detrectatio deditionis ſuî, Regis in contemptum quendam trahi poterat: Si *Regis* eum *nomine* mandatô-

que

que Vitryus ire juſſerat in cuſtodiam ; & id Ancræus intelligenter, in illo compellationis imperioſæ calore, perceperat. Sed quidquid id fuerit: prætoriani quidem certè milites, qui circùm Vitryum adversùs Ancræum ſtabant, tanquam in obſiſtentem voluntati regiæ, læſæque Majeſtatis reum, ſclopos in eum (33) laxârunt : è quibus, aliîs aliò detortîs, aut aberrantibus, geminæ glandes ignitæ provolantes, ac trajectæ per Ancræi corpus ; virum, momentô ſtratum, *confecerunt*.

Ad ſonitum ictuum, & vocem prætorianorum, eventui ſui facinoris gratulantium, fit extemplò tunc, in area veſtibulôque regiæ, conclamatio ; concurſúsque catervatim ſupervenientium cuſtodum, & legionis atrienſis univerſæ : quam armatam eſſe præſtò *Vitryus* juſſerat. Fit turba quoque, tumultúsque multitudinis, & comitatûs *Ancræanorum* ; qui, cum Mareſchallo ſuo non intromiſsi, foris adhuc, pro porta Regiæ ſtantes, dominicum caſum timebant magìs, quàm divinabant : in omnem patroni nutum, imperium, aut fortunam, intenti ; paratíque, ſubſidio venire : ſi, vel ſeriùs ſaltem, aditus pate-

Ancræana tragœdia.

pateret. Miſcetur inſuper, idem ſub tempus, & aliquantò vocaliore ſtrepitu, fragoréque clamantium, & concurſantium, illa *palatii Louvræi* pars ſemotior; in qua, cum ingenti ſuorum & gynæcéi familiâ, *Regina mater* agitabat; à Rege filio, reginâque nuru, conclavium diſcrimine ſegregata. De fidioribus hujc nonnemo, nuntium afferens *Ancræi* trucidati; lamentîs, & queſtibus, omnia deformavit. His tamen tot, in nova re, motibus animorum, (amotô priùs, & vilem in cellam retruſô, cæſi cadavere,) nullâ-morâ potenter occurrit REGIS una, validáque, *vox*; cæde patratâ, ſublimî de feneſtra conſpicuum ſe dantis, ac, SUO JUSSU TRANSACTUM ID OPUS, vociferantis. In quæ verba, punctô temporis, omnium una, non quies modò, ſed adgratulatio quoq;, plauſúsq; ſubſecutus eſt.

Sed, atrocior in hæc, interveniebat actis *Regina mater*, ac minacior; quàm, ut cujuſquam vel pondere, vel lenitate verbi, placabilis ſperari poſſe videretur. Simùl enim, cecidiſſe *Vitryi* manu Marchionem *Ancræum*, allatum: ſimùl, in ſtomachum regia parens; in arma, ſanguiníſque ſitim vindicem,

cem, prætorianus ejus miles (34): & mater, ad regem filium, ruebat; incitatô greſſu, rubicundo vultu, ſpirante vindictam ore, corde, geſtu; *Quid hoc, fili Rex? Ancræum Vitryus?* Cuj Rex, hæc modò, neque plura: FECIT VITRYUS; REX MANDAVI.

Quibus mater auditîs, conticuit: & detumeſcens, ad ſe, ſuáque, rediit. (35) Nec imprudenter: Quis enim, intelligens rerum, ultricia *bella* pro *morte* ſuſcitaret ejus; cujus Rex *vitam*, publicæ *Pacis* (36) hoſtiam feciſset, & piaculum? Palatium igitur, hunc in modum, omne pacatum eſt; lege ferreâ neceſſitatis, aviditati *vindictæ* ferrum oppoſitum excutiente.

Tumultuoſiùs interim multò, *foris*, quàm uſquam *intrà* Regiam, turbatum eſſet; ſi rumori, quo per urbem Pariſiorum immenſam percrebuerat, *Ancræi ſcelere cecidiſse Regem*, tantùm infuiſset conſtantiæ, quantum præcipitis credulitatis. Sed, ſtatim contrariîs nuntiîs everſô figmentô, cùm prævaluiſset apud omnes; *Regis imperiô ſublatum Ancræum*; incredibilî cunctorum gaudiô tota quodammodo *natare* cœpit Lute-

tia;

Ancræana tragœdia.

tia: deteſtaríque, meridianis ab horis, *mortuum*, quem antemeridianîs ejusdem diei *viventem*, ac præter ora vectum, adorârat. Credidiſses; Aut alium in occiſo nunc Ancræum, aut aliam, in inſultante neci, Lutetiam eſse: *niſi, quòd urbs, éadem, & una, Felicitatis aulicæ ſimulacrum unum idémque, tunc odiſset volens; & antehac coluiſset aversans.* Sunt hæc *aſsentantis Fortunæ* ludibria; *venerari*, quem *conſputum* velis.

XIII. Neque tamen intrà ſola verba, vulgíque ſannas, interfecti Marchionis ſeſe continuit inſectatio. Libuit, annoſis in eum odiis omne laxare frænum: &, occiſum plus ſatìs, atrociùs ſæpiúsque (quantum in ipſis eſset) occidere. Cùm enim indulgentiâ Regis, proximæ ſtatim noctis altô ſilentiô, cadaver Ancræanum, latebrâ ſuâ clam extractum, ac vicîs aviîs deportatum ad Divi Germani celebrem ædem eſſet; (ubi, raptim egeſtâ per veſpillonem humô, tumulum accepit): poſtridianô nondum plenè reſplendente diluculô, bellum inferri ſepulturæ quoque cœptum eſt.

Dies erat, Divo *Marco* ſacer, *Evangeliſtæ*, Majoribúsq; (quas appellamus) *Litaniis* decan-

decantandis deſtinatus. Rúere primò per vias & compita, puerorum caterva; mox promiſcui ſexûs adultiorum multitudo denſa, *San-Germanaam* ad ædem feſtinantium: viderique poterat *ſupplicantium* procedere denſum agmen: niſi, quòd nec *Crux* ulla ſacra, neque lábarum aliquod vexillúmve religioſum, præferebatur; nec linteatorum cantus perſonabant, aut in manibus ulla comprecantium (37) inſtrumenta notabantur; ſed, è diverſo, paſſim tumultuantium voces & fremitus, & lupînis ſimiles ululatus, aures feriebant. Quæ quid ſibi vellent, aut quærerent; è veſtigio, poſtquam in *Divi Germani* ventum eſt, eluxit. Disjicere, congeſtum ſuper Ancræi corpus, aggerem: manibus, ungue, palîs, emoliri terram: refodere cadaver, &, in cervices jactô fune, circumligatum abſtrahere, profanum in locum. Cúmque certatim interrogarent omnes, *Quorſum?* & una vox iret omnium, reſpondentium; *Malam in rem! ad Corvos, & furcam!* raptatur *Ancræus*, inſanos inter populi clamores, eum ipſum in locum urbis, in quo magiſtratus Lutetianus antehac, Ancræo mandante, *patibulum* (ut

Ancræana tragœdia.

fit) *temporarium*, erigendum curârat; in eorum unicè colla, perniciémque, qui liberiorem, in Ancræi Galigayæve geſta, linguam ſolviſsent. Inter quos &, haud antè multò deprehenſus, nobilî vir locô, familiâque ſplendidâ, *Gallus Vrtenautius*; morte pœnas ibidem expenderat, carnifice miniſtrô: (38) quò cæteros ab audacia parî, metus exitii paris abſterreret.

Verùm, ſicut *expedit bono publico, ſuos* utplurimùm *in auctores* (etiam mortuos,) *exempla cruenta recidere*; non defuit hoc Ancræi ſupremis. Effoſso, ſicut dixi, tractóque ſub patibulariam furcam illam cadaveri; demitur à collo reſtis, & transfertur in pedes: à quibus, arctè revinctìs, in ſublime raptum corpus ſuſpenditur, capite deorſum jactô, pænéque terram vertice contingente. Detractæ veſtes erant, in quibus occubuerat Ancræus; ne lineâ quidem ad cutem interulâ relictâ. Maledicitur memoriæ Marchionis: increpantur, ut hominis *furciferi*, nefarii mores; ut *prædonis*, rapacitas; ut *latronis*, crudelitas; ut *tyranni*, furor, & imperandi calor. Illuditur nuditati; dedécori funeris inſultatur. pendenti præciduntur

tur aures; abſecatur naſus; carpuntur digiti; quódque factu juxtà viſúque fœdum, carnificantur illa, quæ, niſi *præfiſcinè*, nemini decenter nominantur. Nec à pendulo, niſi diversîs priùs transverberatô pugionibus, abſiſtit indomita rabies. Ad ſummam! quibus, & quàm avidis, aliquando manibus, (utì ſuô mihi locô memoratum eſt,) populus Ancræanus ædes, ac fortunas, invaſerat; iiſdem nunc furiis carnis exuvias, & membra, diripiebat: donec, furcâ tandem exſolutum cadaver, & abreptum, per varias exultantis Lutetiæ plateas trahi cœpit, & monſtrari per diem illum, quantus ſupererat, univerſum.

Nox tandem etiam ipſa, ludibriis his adjecta; non modò ſtellis, quibus tunc commodùm fulgebat (39), innumerabilibus, ſed pyrìs quoque compitorum omnium, & veſtibulorum ignibus, ac feneſtrarum laternîs, lampadibus, & facibus, lacerum diſcerptúmque *Marchionem* oſtentabat; quôvis Hippolytô conciſiorem. *Actus* ſpectaculi *ſupremus* fuit, vicinô jam diluculô; *crematum*, à bacchantibus, ſub eodem illo patibulo, *quidquid Ancræi* ſuperfuit: viríq; tanti, reda-

Ancræana tragœdia.

ctum corpus in favillam eſt; gloria poteſtatis, in fumum.

XIV. Cæterùm, ruina *mariti* ruinam pariter traxit & *uxoris*: ſicut hujus crimen, illius vulgò criminibus videbatur innexum; certéq; ſaltem, quemadmodum *fortuna mulieris fortuna maritalis* credebatur *opifex*, apud Reginam, Galliæ gubernatricem, extitiſse: cuj, Galigayæ familiariſſimus fuerat, &,(extra controverſiam ignoſcendus,) uſus, ac convictus. Nam unam eandémque nutricem, & pæne pares ætate, ſuxerant: eóque poſtea procliviùs, gratiæ coæqualis Reginæ, per Hetruſcam ſponſam *Ancræus* ſponſus inſinuatus, exiſtimabatur. Indè *Conchino* (cuj genus primò, non ultra nobilitatem, eámque patris, ac novitiam, eminuiſse ferebatur) fortunæ poſthæc affluxus, & opes, & *Marchionis* dignitas; ac tandem, à coëmpto fundo *clientelarî*, pro *Conchini* nomine, nomen *Ancræi*: quod ad eum diem *Florentia* (natale viri ſolum,) ignorârat. (40) Sed, ad Ancræi *conjugem*, quò narrationem intenderam, revertor.

Pòſt paullò, quàm illata cædes *Ancræo* fuerat; poteſtatis altioris imperiô, *Vitryus*, cædis

cædis exſecutor, ad *Eleonoram* quoque *Galigayam* feſtinat, interfecti conjugem: quippe, quam omnium vulgò mortalium opinio *nocentiorem* ipſo quoque marito judicaret. Erat, ſub idipſum temporis, in arce regia Galigaya; *Reginæ-matris* (utì confidebat) tuta præſidiô: cùm irruens Vitryus; *Conveniebat quidem* (inquit), *duorum, ſcelere parium, & molitionibus unorum, par eſſe ſupplicii fatum; & fati tempus unum. Sed omnia pleniùs evolvet dilatio. Tantisper in præſens, Eleonora, muliebrem cedò mundum; quando vir animam juri ceſſit: & univerſam Te tribunalibus, Tua verò Regi, permitte.* Quæ cùm diceret; Galigayæ vincula ſimùl miles injicit: ſimùl armillas corpori, gemmas, monilia, margaritáſque, deripit: ſcrinia reſerat: gazam ex his effert, & aſportat, regio fiſco deſtinatam. Ipſam denique *Galigayam*, paullò pòſt, in arcem Baſtilliam, captivitatis ergô-fruſtra ſuſpirante Reginâ patronâ, rapiendam *Vitryus* tradit: ubi, Julium in menſem uſque, mœſta ſedit. Ibi, non verbîs nudîs, ſed & tormentîs ſubinde, quæſitum in ejus acta, dicta, res arcanas, fuiſſe, ſunt, qui prodant: ſed ſcriptores, auctoritatis, cum præ-

Gg 3 ſide

Ancræana tragœdia.

ſide Toloſano (qui ſilet hîc) nequaquam certaturæ. (41) Sanè quidem, ſiqua fides eſſe (ſicut hîc meritò poteſt) *Appamiano* debet, hiſtorico Latino, ſed homini Gallo, qui *Galigayam*, *Diverſorum Accuſatam magis, quàm Convictam*, pronuntiat, & de *fidiculis* ipſe quoque ſilet: ſatìs apparet, *Plerumq; plus in illa quæſtione ſuſpicionibus pugnatum eſſe, quàm equuleis*: & Galigayæ facundiam acuménque (quibus oppidò valebat) interrogationum vértebris, etiam citra *nervorum* judicialium neceſſitudinem, obviàm îſſe. Poterat autem horum, quæ ſubjungam hîc, aut ſimilium aliorum, in crimen (ut reor) vocari *Galigaja*; ſicut inſimulata ſanè reipſa plerorumque ferebatur: deſerta tunc quidem à cæteris omnibus; à ſe verò ſolâ, non indefenſa.

XV. Criminabatur *Actor publicus*, (quem *Advocatum* ajunt *fiſci* fuiſſe,) parvìs, immò pæne nullìs, inſtructam opibus, ex Hetruria primùm in Gallias veniſſe; cultu corporis, haud multùm ſupra pediſequæ ſortem ſcandente. paucìs deinde ſenſim actìs in Regia tempeſtatibus, affluere copiâ rerum omnium, in auro, gemmîs, unionibus, ornatu corporis,

ris, ac parietum, cœpiſse. Regiè demum, & tanquam patronæ ſuæ laribus haud multùm concedentem, habitâſse. Cujúsnam largitione, tam profusâ? vel quibus artibus in ſe pellectâ? Sin viis aliis inventæ tantæ facultates ſint; quibúsnam cuniculis, quibus ad eas compendiis, penetratum ſit? Illa, *Fortunæ* (reſpondit) *aulicæ favore ditata ſum: quæ multos celeriter locupletat; ac celeriùs exſpoliat. cujus & ego nunc exemplum adſto.*

Quærebat *Auton.* Quid Eleonoræ, ſanguinis Italici fœminæ, profeſſione Chriſtianæ, ſacríſque Romano-Catholicis addictæ, cum *Judæis* commercii? quorum *uni* præſertim, non limen tantùm, ſed & penetralia, teri familiariter eſse ſolita: cujus manibus comportatam nobilium odorum omnem Arabiam fuiſse. cujus animæ fœtentis afflatu, ſuſcitata ſuffimenta; cur thalamum *aromaticis* quotidiè *nebulis*, ac totam Leonoram nubibus, involviſsent? numquid, ut Hebraicum referrent *Altare thymiamatis*; emortuásq; cæteras Legis Moſaicæ cærimonias reſuſcitarent? an, ut hi tales fumi, *nidores* (ſiquos illa fortaſse redoleret) *Canidianos*, (42) extinguerent, & abolerent? Ad ſummam! Quid

Ancræana tragœdia.

apud *Marchioniſsam* toties rancidus *Iſraëlita* egiſset? Reſpondit captiva: *Medicum valetudinum; & narium pharmacopolam*. Quorum neutrum abibat à vero. Nam mulier, & in multis (ut alibi retuli) degere ſolita deliciis, multùm ægrotare conſuêrat: &, inteſtinæ putredinis inimica, ſuaveolentia ſectabatur. In utroque, ſuccurrebat ei diligentia *Judæi*; cuivis fœminarum arcano, laboríque, venalis.

Sciſcitabatur ulteriùs *accuſator*; Ecquo magiſtrô didiciſset, invocatîs, elicitîs, adjuratîsque Tartari geniîs, futura prænôſse? *Futurorum* ſe Galigaya dixit, adeò vixiſse neſciam; ut in aula regia, quo die vel horâ rapta ſit in cuſtodiam, arcis Baſtilliæ ne per ſomnium quidem ſpeciem anteceperit. Diſcipulam eſse ſe Chriſti; cuj quondam & ipſi, præceptor artis, objectus ſit *Princeps Dæmoniorum*. Urgebant, *actor*, & ſubſcriptores; Ecquid inficias iret, *Annulum* ſibi, præ cæteris, in uſu pretiôque multîs annîs fuiſse: cujus annuli palæ *Spiritus* incluſus familiaris, *adamantis* gemmæ ſpecie, vî tam exquiſitâ præſtiterit: utì, quoties eum, inſertum ori, volveret, aut circumferret; quid-quid

quid *votîs* concepiſset, id *rebus* adipiſcere-tur? (43) Ejus igitur adamantis & annuli beneficiô, ſummis, aliquantò pòſt, rerum culminibus Ancræum conjugem adrepſiſse. Sic ipſam, inſediſse dominatámq; pectori Reginæ-gubernatricis: ſic, è diverſo, *Rectricis* animo Principes effluxiſse regii Sanguinis; cóndi-tum in vincula Condæum; exauctoratos curiæ Proceres; exulatum, ac belligeratum, abîſse fœderatos aulæ magnates. Sic demum, (hoc eſt, *Spiritûs annularis* illius attractu magicô,) propè propiùs in nuptias pellectum puellæ duodecennis, Ancræi filiæ, potentem quempiam, è Galliæ principibus, *Exarchum* (44); futurum Galigayæ generum fuiſse: non incaſsum abiturîs connubialibus, & pactîs, & Sacris; niſi peropportunè prior abîſset è vivis ſponſa.

Rogabant ergo quæſitores, inter hæc, Quis *Spiritus* ille *domeſticus*, quóve *colore?* Cujúsnam aurificis opus, aut ubi nunc, tam potens *Annulus?* quô demum effoſsus è monte, tam divinus *ádamas?* Illa, cum indignatione, negans ac dejerans, Cum Acheronte quidquam unquam fuiſse ſibi, rogabat invicem; Si Spiritum apud Eleonoram

Gg 5 quære-

Ancræana tragœdia.

quærerent, & formam ejus, & colorem: quàm hoc Chriſtianis convenienter facerent; apud quos, *Spiritus*, hôc ipſo, quòd *Spiritus*, figuram & colores excluderet? Quòd autem, *Annulus ubi?* rogitarent: Apud ſe nihil Annulorum, ornatûs cultûsque nihil, relictum. Omnia Vitryum abſtuliſse. Quæſtionem igitur, omiſsâ ſe, bonâ ſuâ veniâ transferrent in *Vitryum*. Quòd Annuli quoque *Gemmam* infamarent, tanquam Reginæ Matris affectus erga Galigayam faſcinô poſſidentem; *Adamatam à Regina me* (clamat) *haud diffitebor; nullius tamen* Adamantis *ullô miniſteriô: ſed, ſanctam utrimque charitatem invexit, uber unum, ab utraque tractum in faſciis: una, ſub iiſdem penatibus, ambarum educatio: natale ſolum; natale cælum, & ſidus, idem utriq; puellaris ætatis ſtudia paria. Florentiâ Pariſios, iter unum, & comitatus itinearis, & ab utriuſq; nuptiis (quantum à thalamis vacabat nobis) indivulſum, ſed inſons, commercium: quale Camillæ fertur, ac Dianæ, fuiſse. Si* dæmones *ſunt*, iſti, *coaleſcentes à teneris*, amores; *ceu ferrum, ac magnetes, à naturæ glutinô:* Dæmonem *hujuſce generis*, (*ſed* pium,) *geſtâſse nos mutuò, non in* adamante

mante *gemmâ*, *ſed in electro*, magnetéque *cordis*, *ultrò gloriabor*. (45)

XVI. Intermiſcebat porrò criminibus his *Actor*, membranam *pergamenam* coloris viridis, neſcio quam; à ſcrutantibus, poſt cædem Ancræi, ſupellectilem ejus, & arcaniora ſcriniorum uxoris; deprehenſam: in qua *ſignificationis incompertæ* (propteréaque, ſicut ajebat, *neceſſariò præſtigioſæ*) characteres & notæ conſcriptæ, lecturos ſuſpenderent, & intricarent.

Riſit, in medio mœrore, ſubtilis ingenii mulier (46), tam imperitè deductam magicæ neceſſitatis *concluſionem*. riſerunt, & poſt eam, argumentum hoc homines, Ancræanis rebus haud inimiciſſimi, cavillati tam ſimplex enthyméma; *Charta viridis erat: Artes ergo nigræ. Peregrinæ notionis elementa; ſermonis exotici litterulæ: Magicum igitur ibi carmen, & incantamenta*! (quod Arthuſius concluſit, Germanus, libro viceſimo ſecundo:) ſed quippeni, parî rationis acumine, *Baculus in angulo?* Quidſi namque notæ fuerint (inquit Galigaya) Sinicæ? quid ſi veteres Brachmanicæ? vel *Auſtralis* cujuſdam, tam *terræ*, quàm locutionis, *Incognitæ?*

Con-

Ancræanà tragœdia.

Confuſus igitur, & in ſeipſum hîc revolutus, ſophiſtes accuſator; Non tamen loqui deſiit, exprobrando: De *Veneficiis* quidquid tandem eſset; Cur tamen tam immenſam pecuniam, in Galliis corraſam, uterque conjugum in fœnus ac depoſitum apud Italos, Ancræus autem & ad *Belgas*, collocâſsent? Reſpondit illa; *Pecuniâ ſuâ quiſquis utatur, eum uti Jure ſuô.* SUO VERO JURE QUI FRUATUR, INJURIAM NULLI FACERE: NEC EOS VIDERI REM AMITTERE, QUORUM EA PROPRIA NON FUERIT. (47) Quódnam ergò detrimentum capere Francos, ex eo, quod Ancræanîs è facultatibus in Italiam, Belgiúmve, transierit?

At, hîs talibus fœnebris argenti commerciîs, ceu doloſîs cuniculîs, peregrinos apud populos abuti, pernicioſas ad ſocietates, & occulta fœdera, Marchionem potuiſſe (fremebat Actor): nec id, eâ pénitus ignarâ, quæ ſociata Marchioni conjugiô fuiſſet. Repoſuit Galigaya; *Nihil pronius ad errorem eſse, Suſpicione*: cùm præſertim facilis admodum è Galliis in Belgas, & è Belgis

gis ad Hiſpanos, cogitationum volatus ſit. Revera tamen, Ancræi clandeſtina cum exteris conſilia fœderáq;, ſe ſcire nulla: vel, ſiqua fortaſſis uſquam cum ullis interceſſerint ei viro, quîcum ſibi vitæ quondam domeſtica ſocietas fuerit; quid id ad ſe (quippe, *fœminam*,) attinere? cùm, ex aſseclis aulæ *Legulejîs*, ipſa frequenter hoc audire ſe meminiſset acroáma; SOCII MEI SOCIUM, MEUM PROPTEREA SOCIUM NON ESSE. (48)

Verùm, hîs nihilô placatior, immò verò ſtomachoſiùs efferveſcens, *accuſator*; Si pectora tam diviſa (proclamat) inter vos ambo conjuges habebatis; ſi, tam diſſonas, ad extera, ſententias, ac placita conſcientiæ: quid eſt ergò, quòd adeò ſemper convenerit utrique veſtrûm, opprimere concordî profeſsâq; tyrannide, noſtræ Galliæ populos? &, quod publicæ provinciarum ærumnæ lacrymæque lamentantur, *Tulliam* nobis ac *Tarquinium* renovare voluiſtis: quorum imitatione, Superbiæ tuæ triumphalem *currum*, ſuper omnia jura legéſque, tantúmq; non ſuper ipſos denique Reges, ageretis? Nónne, quò vos denique ſoli regnaretis? *Cælum*,

Ancræana tragœdia.

Digitized by Google

Cœlum, (exclamat rea) *cœliq; rectorem, in caput meum ultores devoco; ſi ſciens in eo, quod dicam, fefellero. Regni ſummum jus, adeò non affectavi, vel, ſiquis (extra legitimum regem) affectaret, approbavi; nihil ut in me tetriùs* Ancræus *dudum oderit, quàm extremum, quo flagrabam, imperioſæ frontis Odium. Hujus* (addit) *ardore factum eſt; ut, cùm quodam caſu, temporéq; (ſicuti mihi viſum erat) opportunô, ſeveriùs increparem ejus, in imperia proclivem, genium, & agendi modum; ab eodem invicem ego ferociùs increparer:* quòd, in arguendo viro, metas, à natura mulieri præfixas, exceſſiſsem. *Et hac ipſa nos animorum offenſio, jam tunc, alterum ab altero ſejunxit, etiam ad* rerum *uſque* diviſionem. *ut adèo, manente quidem* conjugii *nomine vinculôq;, facultatum tamen & opum, quaſi ſecéſpitâ quapiam in ſacrificiis, diſsectio fieret, ac divortium. cujus ſeparationis teſtimonium dicent,* (inquit) *apud actuarium publicum depoſita, repudii talis monimenta.* (49) *Tantâ* rerum *igitur inter nos, tantáq;* mentium, *ſegregatione; quæ poteſt, (judices) aut potuit, inter nos ſupereſſe meditationum tyrannidis conſociatio?* Corporum

tamen,

tamen, inquis, manſit connubium. Dicis *quidem cauſsâ*, nominéq; nudô *tenus*, *duráſſe*; *non diſſitebor* : Uſum *ipſum*, *non novimus. Nam, ab iis uſque diſſidiis*, (*quod* biennii *ſolidi tempus eſt*) Ancræo *corpus* Galigaya *non junxi.*

XVII. Stupuerunt, hæc, & alia talia, dicente *Galigayâ*, qui quæſtiones exercebant: admirati rem, & refutationum acrimoniam. Neque tamen *reis* miſeram exemerunt: non utique, *Quoniam in Deum hominésq; reperta perfida* (quod Arthuſius tamen memoriæ prodidit) (50) : neque, *quòd diabolicarum revicta* fuiſset *artium*; utì Cluverus præfidentiſſimè, more ſuô, próvomit, (51) poſt paullum tamen & in alio, falſitatis coarguendus: ſed, quòd à quæſitoribus demum, ad Senatum, judicúmque capitalium ordinem, rejecta cauſsa *conjugum amborum* eſset.

In eo conſeſsu, cùm pars exilio, mulctæque pecuniariæ grandi, *Galigayam* addiceret; pars verò validior, pœnæ capitis, *accuſatam magis* (ut iterum Appamianus pronuntiat) *quàm convictam*, ream pronuntiaret : Senatûs denique *placitô*, (quod Gramondus tradit) ſententia profertur Ancræi Gali-

Ancræana tragœdia.

Galigayæque condemnationis; alterius quidem, poſt mortem, alterius autem, in vivis eam obituræ. Quæ tamen ſententia mantiſsam poſt ſe trahebat, & appendicem, aliarum quoque pœnarum: *Ut condemnatorum fortunæ mobiles, & immobiles, in fiſcum redigerentur: Ut eorundem filius, qui ſupereſset, quindecennis, omnî Galliá pelleretur; & nobilitate, quam indeptus inter Gallos eſset, excideret:* ab *Ancræi* cognomento, revolutus in *Conchinorum* nomen. *Ancræana demum intrà Pariſios domus, ſolo protinus æquaretur.*

Id porrò, quod recitavi, Senatûs decretorium *placitum*, delecti quidam, è numero Judicum in Baſtilliam arcem ablegati, *Galigayæ* per ordinem recitârunt. Hæc, ubi ſibi mortem audit indîci (dictu *mirum, quas non moras excogitet, aut effugia, vitæ finiendæ propinquus articulus?*) dixiſse fertur, *Futurum id, exactô ſibi tempore. tunc quidem fieri, per leges, nequire: quippe, quæ Prægnantium ſupplicia differri jubeant, in partûs ac puerperii decurſum.* (52) *Eſse verò ſe gravidam.*

Sed huic is, qui quæſtioni toti Judex præſederat, occurrens; *Vide, mulier,* (inquit) *hac*

Digitized by Google

hac exceptione quid agas! ne malam in ſeipſa cauſſam, adventitiâ præterea malitiâ reddas pejorem: dúmque plus nimiò videri callida vis, ne parùm aut verax, *aut* caſta, *reperiaris. Acta certè quæſtionum, de vobis habitarum, quæ penès nos ſunt, teſtantur; Aſſeverâſſe te,* Bienniô poſtremo toto nunquam Ancræum tibi copulatum. *Aut igitur, ſiquid ex eo ſuperiore tempore ſuſceperis, pluſquam viginti quatuor menſium circumfers uterum; qui tamen non apparet: aut, aliunde ſi prægnans es,* adulteram *te fatearis, opus eſt,* ac geminâ *proinde plectendam* pœnâ: *vel deniq; graviſſimorum in conſeſſu virorum, ſplendidè mentitam.*

Hîs confuſa *Galigaya*; ne fateri *concubitum* extraneum cogeretur, confeſſa *mendacium* eſt: ac, timore mortis expreſſam, verborum futilitatem, paullò pòſt *moriendi conſtantiâ* perpurgavit: quæ profectò, magnanimitas in paucis memorabilis, ac pæne ſupra fidem, certè quidem ſupra ſexûs robur, omnium confeſſione, fuit. Ità nempe *quoſdam* ſubinde *ſuprema rerum tenebræ magis illuſtrant*: ut *famâ ſecundiore, quàm, quâ vixerant, emoriantur.* Optandus utique

vel ipſi fuerat Ancræo, tam præmeditatus, ac *pius*, exitus; qualem referemus.

XVIII. Dies illuxerat *Julii* menſis *octavus*; cùm jam antè, menſe Majo, Regis mater, *Maria Medicæa*, Galigayæ quondam felicitatis fulcrum, Lutetiâ Bleſas emigrâſset: cliente ſuâ (ſicut altiori placuerat arbitrio) ſub cultro juris ac legum relictâ. Quod expendatis, ſuadeo, favoris aulici quotquot captatores eſtis. Hodie, *Galigayam* procella rotavit, & obruit: in craſtinum, *te* reſervatum, involvet.

Sabbatina lux erat, & atrox Saturni ſidus; (53) in populo, contra ream, odia mera, truculentiámq;, minitari viſum. Supplicio theatrum, in platea, cuj *Greviæ* nomen, præparatum ſtabat; & in theatro, patibulum erectum. cuj, conjugis ad exemplum, alligandam eſse *Leonoram*, & ipſa præſumptum habebat; & omnis populus, in votis. (54) Jam diei veſper erat: & multitudinis civium, utriuſque ſexûs, immenſus undequaq; concurſus; *ſpectandi* cauſsâ pariter, & *audiendi*. Fuítque ſuum utrique pretium operæ. Trahebatur è Baſtillia mulier, infami ſuperimpoſita plauſtro, viis, per

per quas, vecta nuper quadrigîs aurô radiantibus, inceſserat, inter adorantis ora genuáque vulgi: non purpurâ nunc veſtita byſsóque; nec unionibus gemmîsq; nitens: ſed cultu quàm maximè miſerabili; decóte cooperta tuniculâ; revincta fune, quali cruciarii ſolent. ipſa, ſupernè ſeminuda, cute nigella, macie confecta, voce taciturna; flens, inter irridentes; nec tamen animô dejecta. Simulac autem, in theatri propatulo conſpecta *virago* (55) *fortis*, ſe totam in ſeipſam collegit; admirabili mentium mutabilitate, Fortunâ præbente ludos, (an, Deô potiùs invertente corda?) primùm in admirationem, mox & in tenerum favoris ſenſum, ſeſe publicum convertit odium. Hic autem animorum ſenſus increvit; ex quo, *ſuprema ſantem*, circumſtantes attendere cœperunt. quorum *Galigayæ verborum*, hæc ſumma fuit.

Adeſſe ſe, rerum humanarum volubilitatis exemplum, in loco, ſibi fatali. gradus poſt paucos, quibus ſcanſura patibulum ſit, adſtituram ſe mortalitatis univerſæ ſupremo Judici: cuj, de verbo mendaci quovis, exactiſſimam redditura rationem, acrésq; datura pœnas ſit;

 ſiquid

Ancræana tragœdia.

ſiquid in quoquam, ſciens prudens contra verum prolatura, tantámq; falſura populi concionem eſſet.

Et quidem, ſocietatem ſibi vitæ cum Conchino-Conchini fuiſſe, qualis uxorem decuerit, annîs compluribus; & ſe fateri perlibenter; &, ſi vel maximè negaret, teſtimonio futuram geminam ex eo conjugio prolem: filium, etiam tum ſuperſtitem; ac filiam, quæ, præmaturâ nuper morte, præſentia tot mala Conchinææ domûs effugerit. Præter hoc interim thalami commercium, ſicujus alterius, regno paciq; Galliarum pernicioſi, conſilii poſtuletur, aut arguatur: argui ſe poſtularíq; fortaſſe poſſe; coargui teneríq;, non poſſe. (56) De cætero, ſiqua Maritus abſtruſiora cum quibuſcunq; negotia miſcuiſſet, publico noxia; ſuam ea conſcientiam fugiſſe. Quòd ſi tamen eorum aliqua, nimis in aperto poſita, non per omnia latuiſſent uxorem; obſtitiſſe ſe, quantum ſuarum fuiſſet partium, atque virium: neq; ſemper profeciſſe. Notum verò ſatis eſſe, vel lippis, & plebejis; Eum carere culpâ, qui ſcit quidem, ſed prohibere non valet: (57) cùm viri ſit, imperium; uxoris, obſequium. Quæcunque tamen, cujuſcunq; culpâ demum, acci-

Digitized by Google

accidiſſent, altiſſimo Galliarum capiti, regni primoribus, & populo, gravia: deprecari ſe publicam offenſionem, & iram, de genibus, & animi profundiſſimâ ſubmiſſione; per eum, ejúſque pretioſa vulnera, qui, pro nobis ſpontè ſubiens infame Crucis ſupplicium, (quale mox & ipſa libenter aditura ſit) reo-Mundo veniam meruiſset. Invicem autem, & ſe, delicti cujuſvis unicuique, miſeriis ſuis infeſto, lætanti, vel inſultanti, gratiam ex animo facere: TEQUE, FILI, (filium, ut ſuprà memoravi, quindecennem, tunc abſentem, & regis ſub tutela deliteſcentem in aula, compellans,) *TE*, clamat, *FILI, VETO, cujuſquam eorum, quæ patimur, amaram in te memoriam ſuſcipere: quantò minùs autem, vindictæ cupidinem? &, quo temporis momentô ſuſceperis; exſecrabor, & in caput tuum, non jam pia mater, ſed aſpera noverca, Diras expoſcam.*

Pergebat indè *Leonora* multitudini ſatisfacere. Conſortia Sathanæ, veneficáraque diſciplinam omnem, cum Judaiſmo, negans unquam nota ſibi, nedum familiaria, fuiſse. Nimiam in aula felicitatem, & incantamentîs procuratæ ſimillimam, non negabat: cujus proinde ventô vanitatis abreptam ſe, proſperi-

Anerææna tragœdia.

ſperitatis fugitivæ velis permiſiſse ſuam (quod unicè doleret) cymbam: hoc eſt, pronam jam antehac faſtui, *ſuperbiæq;*, mentem. *A quâ, quòd deducta tandem hac ingenti, propemodúmq; trimeſtrî jam, calamitate ſim; paternæ tuæ, Chriſte Rex*, (inquit) *dexteræ debeo, gratáq; recognoſco*. Simùl, inter hæc, ardentes in cœlum, ac lacrymîs infuſos, oculos levans; vitæ totius delictorum à Deo veniam orabat. Exſpectans verò, quàm mox, colligatîs infra poplites veſtibus, ſublimè raperetur in aſtantem furcam; *inter media crucis oſcula*, fletu largô mixta, de nec proviſo *Galigaya* decollatur. (58)

Corpus, priuſquam Sol ſabbatínus in noctem migraret, exſtructâ publicè pyrâ, crematum: (59) populô (qui priùs eam dirîs omnibus devoverat, & odiis exagitârat immodicîs,) ab eo ſpectaculo domum ſe referente, cum ingenti commiſerationis affectu; nec ſinè *pectorum* percuſſione: *pectorum* autem, prægreſsam immanitatem ſuam *deteſtantium*; & admiratione, tam fortiter óbitæ feralis horæ, defixorum.

Ac ſanè, ſtupore digna mulier erat: quæque, quantùm in ſupremis ei DEUS cor-

cordi fuit, tantùm (& multò plus) æternîs à ſæculis fuiſſe cordi DEO videatur. Ad ſummam! utcunque *Galigaya* vixerit, publicô ſeu commodô, ſeu detrimentô; *conſilii* tamen *divini* quale quale fuit *Opus*, & hæc mulier: operæque fuit pretium, vel ideò *naſci* Galigayam; ut *ità* moreretur. (60)

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(1) *Contractè, & vulgari locorum illorum pronuntiatione*, Bearne; *ac poëtis quoq;*, Bearnia. *Dicitur autem &* Benearnium, ii; *ſicut Belgium, Pedemontium, Forojulium, ii; Picenum, i: & à nonnemine quoque*, Benearnania. (2) *Vulgò*, D'Albretanæ, *vel* Albretanæ. (3) *Hôc ipſo vocabulô utitur Appamianus, in annum 1617. hæc ſcribens, num. 2.* (4) *Gabriel Barthol. Gramondus, geſtorum Ludovici XIII. libro 6. pag. 334. Editionis Amſterod. in 8. In* Indice *verò* primô, *ſeu libris præfixô, ponit nomen totum, quod eſt*, Gabriel de Montgommery, de Lorge. (5) *Inſerunt hunc, Catholicæ Veritatis deſertorem, ſcriptores Proteſtantium, eorum ordini, qui novi Evangelii (ſi Superis placet) lucem, in tenebris car-*

Ancræana tragœdia.

cerum, *aſpexerunt* , Vexatione (*ſicut ipſi loquuntur*) dante *renitentibus* intellectum. *Vide & Zingreffii apophthegmata*, *de hoc*. *De Regis autem Henrici II. funeſto illo caſu*, *Franciſcus quoque Sacchinus Parte 2. Hiſtoriæ Societatis*, *nonnihil interſpergit* , *lib.3. num. 67. ubi ait* ; *Haſta Montgommeriana fragmine*, *caſſidem regii capitis intrante*, *graviter eum in oculo* (*qui dexter fuit*) *læſum*, *die poſt hac undecimô interîſſe*. (6) *Gramondus librô*, *proximè citatô*, *pag.334. in annum 1620. à quo numera ſis retrorſum* ; *& invenies annum Chriſti 1570* (NB) *Ità ſcitè nonnemo vir eruditus*, *ad hoc noſtrum propoſitum*, *intellectis rationibus noſtrîs* , *alluſit*. *Idq; me facturum*, *indicia ſatis clara jam eminus miſeram* , *& vibráram* , *Septennii Secundi Metrô quodam* ; *quod Anni 1611. Actis annalibus*, *pag.184. ſubjungitur*. *Laſsatur utique* , *qui rem unam eandémq;* , *unô propemodum eodémq; locô* , *iteratò legere jubetur* : *eſto*, *variatô per* Proſæ *mutationem in* verſum , *ſermonis ac ſtyli genere*. *BIS Crambe*: *nec bis unicuiq; Sapida*. *Sed nempe* : *faciendum id aliquonſq;*, *nec parcè*, *fuit* : *ut*, *quod ſcopo totius operis præfixum initiô fuerat* (*uti Septennii primi præmonita docent*,)

Septennium III. Annus 1617.

docent,) cum Fabio Quintiliano doceremus, & exemplô domeſticô commonſtraremus: Nullum eſſe ſolutæ *ſcriptionis genus, aut orationis, adeò implexum, aut intractabile; quod, accuratâ compoſitoris metamorphoſi, non transformari queat in* Ligatum: *& è ligato rurſus, in liberum. Et nunc promiſſo, bina per Septennia, paullulôque ſupra, repræſentatione debiti, factum ſatis eſt. vellem, & tibi, lector. Volve deinceps, quisquis Pieridas minùs amas, Gradivum ſaltem, pede minùs offensô. Nulla nunc hîc Parnaſſi, niſi procùl, ſenticeta ſunt.*
(7) *Ità loquitur idem, librô 3. pag. 196. à v. 1.* (8) *Idem ibidem, ſub principium.* (9) *Gramond. pag. 316. &c. lib. 6.* (10) *Gallis vulgò,* Chancelier. (11) *De illo, arcis Pavienſis* (*Gallicè* Pau) *deformatore, terra motu, narrat Gramondus libro 6. pag. 316. ad fin. & pag. 317. princip.* (12) *Ponit Carol. Stephan.* Laudunum *inter urbes Galliæ Belgicæ.* Laòn, *Paradino dicitur.* (13) *A pag. 317. uſq; ad pag. 320. incluſivè.* (14) *His* Leſcunus *iſte titulis fulget, apud Gramondum pag. 320. ad fin. & pag. 317. princip.* (15) *Hîc legi poteſt, & expendi, quod idem Gramondus refert lib. 6. pag. 322. & 323. Qui pag. 322. fine addit,* Hinc

 excu-

Ancræana tragœdia.

excuſatam poſtmodum fuiſse convocationem Comitiorum, ULTRO (*ab Hugonotis, nullo novô regis permiſsu,*) indictorum: poſtquam ſinè effectu (*aut*) fuerant, ſubſcriptionis promiſsa *anteſemeſtria. Rex autem graves habuerit utique, non ſubſcribendi, cauſsas.* (16) Vivaria, *Carolo Stephano, & Hadriano Junio, dicta; Galliæ Narbonenſis eſt oppidum. quod Gramondo lib. 6. pag. 323. eſt* Vivares, *ad marginem: Hadriano,* Viviera; *Stephano* Viviers, en Vivarajs. (17) *Hæc fusè Gramondus tradit, à pag. 323. uſq; ad pag. 327.* (18) *Jodoc. Hondius, in Aquitaniæ Tabula,* Grenadam *nominat. Gramondus verò,* Granatam, *pag. 331.* (19) *Gabr. Bartholom. Gramond. à pag. 332.* (20) Navarínum *videtur eſse Jodoci Hondii, in tab. Biſcaiæ. &c.* (21) *Vide, ſi lubet, Gramondum, pag. 338. & 339. & 340. initiô, ubi deteriora reperies, in vivos æquè mortuósq;, maledicta Rupellanorum* male-contentorum. *In annum 1621.* (22) Poſseſſio *à JC. dicitur, quaſi* Pedis poſitio. *Gravenegg. de Jur. & Juſtit.* (23) *Quantæ* firmitatis, *in articulo Veritatis Euchariſticæ, S. Ludovicus, IX. ejus nominis Galliæ rex, fuerit; ex eo patet, quòd mirificè apparentem in Elevatione ſacroſanctæ hoſtiæ*

hoſtiæ puerulum, aſpicere, pro fidei corroboratione, renuerit: affirmans, etiam absq; ullius Miraculi intuitu, ac teſtimoniô, de verâ realique totius Chriſti præſentia *in Sacramento, ſe ſatis ſuperq; certum eſſe, è nudis Chriſti verbis*, Hoc EST Corpus meum. *&c.* (24) *De hoc P. Jacobo Arnouſio ſcribit Gramondus, tum alibi, tum libri 6. pag. 334. & 335. qui tamen aulæ poſtea valedixit; & hæc, illi. Gallicè*, Pere Jacques Arnoux. (25) *Geneſis cap. 28. verſ. 17.* (26) *In qua*, Florentia *eſt urbs; cujus alumna fuit Eleonora, ſeu Leonora*, Galigaya: *municeps, Ancræus: filia, Magni Ducis Hetruriæ, regina-mater.* (27) *De hac, vide Gramondum lib. 2. pag. 159. ad med. & Martin. Zejllerum, theatri tragici Editione 7. pag. 994. poſt princip.* (28) *Ita loquutur Gramondus lib. 2. pag. 161. poſt med. cujus hæc verba ſunt.* Agebat in arce regia Galigaya, velut privatâ domô. *&c.* (29) *Idem Gramond. lib. 2. pag. 158. poſt princ. ait*, Paucis viam fuiſſe permiſſam. *Arthus verò Dantiſcanus, librô 22. pag. 1497. col. 2. med.* Vnd nach dem (Ancræo) noch 2. Diener mit eingekrochen. (30) *Id ſignatè tradit Arthus, pag. 1497. col. 2.* (31) *De* Gladio exuendo,

Arthus

Ancræana tragœdia.

Arthus refert, loc. cit. de Moriendo *vero*, ni conſiſtat, *Gramondus pag. 158.* (32) *Idem Gramond. lib. 2. pag. 158. Et verò utcunq; ſatìs conſentit Regium, de Ancrai cæde, ſcriptum, poſtea vulgatum. Ejus exemplum intulit librorum ſuorum viceſimo ſecundo, Arthuſius, pag. 1499. col. 1. ab initio.* (33) Sclopetìs transfixum (*an aptiùs*, trajectum?) *ait Joan. Cluverius, pag. 775. col. 1. in fin.* (34) *Id Arthuſ. diſertè tradit, pag. 1497. col. 2. ante fin. ſilet Gramond.* (35) *De indignatione Reginæ Matris, Arthuſius pag. 1497. ſed expreſſiùs Gramond. pag. 158. lib. 2.* (36) *Statim enim, à nece Ancrai, pax & concordia, reditúsq; Principum in aulam (quod Rex quærebat) & in Galliam, reducta ſunt: ut omnes, in calce Notationum harum nominandi, auctores conſenſu magnô ſcribunt.* (37) *Hanc cogitationem auctórant verba Gramondi, lib. 2. pag. 159. ad med.* Ire magnâ in ædes ſacras frequentiâ vulgus. *Et Arthuſius, pag. 1498. ubi de* pueris *ſignatè, col. 1. ad princ.* (38) *De hoc, ambiguè Gramond. loquitur, lib. 2. pag. 159. fin. dum ait*, Urtenautium, Ancræô procurante, patibulo ſuffectum. *an fortaſse*, Suffixum? *At clariùs Zejllerus, theatri tragici Edit. 7. hi-*

ſtor.

ſtor. 25. dum ait : Wer in der Haupt-Statt deß Lands (*putà, Pariſiis*) etwas wider den Philotimum, (*id eſt, Ancræum*,) vnd ſein Weib / redte; der muſte gleich von deß Nachrichters Hand ſterben. Darunter dann auch ein vornehmer Cavalier war; der alſo ſein Leben laſſen muſte. *pag.994. utique* Urtenautium *deſignans.* (39) *Teſtis Gramond. pag. 160. lib.2. ad init. pag.* (40) *Iſta partim annis ſuperioribus, in tranſcurſu, perſtricta ſunt: partim ex inſtituto traduntur à Gramondo, lib.2. pag.160. & pag.161. Aliquid inſpergit etiam Epiſcopus Ruthenus, Pereſix, vita Henrici IV. locis diverſis.* (41) *Arthuſius lib.22. pag.1512. col.1. ante med. ſcribens.* Iſt deß D'Ancre Weib/ nach dem ſie offtermals peynlich/ vnd gütlich / examiniert / *&c. Idem tradit & ſuprà, pag.1504. col.1. ad princ. Gramondus autem, lib.2. pag.166. iſtâc ipsâ de re agens, plus non dicit, quam,* Poſtquam inquiſitum acerrimè; *quod tamen totum, intrà* ſola *etiam* verba, *ſtare poteſt,* (*ſicut ſanè, v. g. Cicero, in conjuratos Catilinarios inquiſivit acerrimè; neminem interea torquens,*) & *verò hîc quoque ſtetiſſe, præcedentia ſatis innuunt,* De vano teſtium indicio, *De* dubiè pro-

Ancræana tragœdia.

probatis, *De* levibus, in crimen flexis. *&c.* (42) Canidiam, *fuiſſe veneficam inſignem, & Horatio lyrœdo decantatiſſimam; patet ex Epódon libri odâ 5. & 17. & 18.* (43) *Id Zejllerus ſcribit, theatri tragici edit. 7. pag. 993.* (44) *Principem illum Zejllerus eád. pag., vocabulô fictô,* Cleonthem *nominat.* (45) *Hoc nominatim argumento eluſam ab hac Leonora inſimulationem magiæ dæmoniacæ fuiſſe, clarè ſatis Gramondus indicat, lib. 2. pag. 166. ad med.* (46) *De hac Galigaya, idem hic Gramondus, lib. 2. pag. 166. poſt princ. hæc ponit verba:* Illi Ingenium, & dotes animi, ſupra ſexum erant. (*quidni &* Juris *quædam*, triviales *ſaltem, ſententiolæ; inter negotia controverſa ſubinde excepta? & judicibus regeſta?*) (47) *Papinianus JC. lib. 2. Definitionum.* (48) *Ulpianus JC. lib. 30. ad Edictum.* (49) *Gramondum vide, ſuper hôc; & expende: lib. 2. pag. 167. à princ.* (50) *Librô 22. Slejd. redivivi, pag. 1512. col. 1. poſt princip.* (51) *Pag. 775. col. 2. princip.* (52) *l.* prægnantis. *ff. de pœn.* (53) *Supplicii Galigayæ diem, fuiſſe Sabbatinum, Zejllerus ait, theatri tragici hiſtoriâ 25. pag. 996. poſt med. edition. 7.* (54) *Hoc, extrema Galigayæ ante mortem Oratio, clarè indi-*

Digitized by Google

indicat, apud Gramond. pag. 167. v. 5. ante fin. (55) *Sic eam Gramondus appellat, pag. 167. v. 7. ante fin.* (56) *Ità Galigaya apud Gramondum loquitur, pag. 167. ante fin. verba ipſa moribunda affero.* Ità victimas percuti ſolere, nullâ ipſarum labe. Innocentem ſe patibulo affigi, ob occulta, quibus nihil eſt criminis: niſi crimen eſt, vitæ ſociam fuiſſe marito. *&c. Falſum eſt igitur, quod apud Zejllerum, hiſtoriâ 25. refert, neſcio quis anonymus; qui Marchioni Rovillaco ſcriptum illud ſuum dedicavit, annô 1619. impreſſum; dixiſſe Galigayam ſupremâ ſuâ oratione,* Ich leyde den Todt (*nam ſic vertit è Gallico Zejllerus*) gedultig; dieweil mir derſelbe mit Recht angethan wird. (57) *Paulus JC. l. 39. ad Edictum.* (58) *Fallitur igitur, ac fallit, Joan. Cluverus: qui pag. 775. col. 2. v. 6. eam* ſuſpendiô periîſſe, *ſcribit; contra omnem Appamiani epiſcopi, Gramondi, Arthuſii, Zejlleri, cæterorúmq; auctoritatem.* (59) *Arthuſius lib. 22. pag. 1512. addit, Eâdem flammâ,* libros *quoque* ipſius magicos *fuiſſe concrematos. Id apud cæteros vulgò non reperias: & impudentiæ ſtultitiáq; fuiſſet extrema, Galigayam, ad ſupremum uſq; ictum, conſtantiſſimè ſemper*

Ancræana tragœdia.

per negare; Sibi quidquam magicis cum rebus fuiſſe negotii; ſi jacuiſſent ante moritura pedes, & oculos, libri, quibus uſa fuiſſet, magici; *qui in effrontem ei frontem à convincentibus impingerentur. Commentitium igitur,* id librorum *incendium videtur:* cadaveris, *verum.* (60) *Ejus extremos caſus, præter complures alios, deſcribunt: Barthol. Gramondus, libro 2. geſtorum ſub Ludov. 13. ſtylô, reæ ſatis propitiô. Appamianus, in annum 1617. num. 1. adhuc in eam (etſi ipſe quoq; Gallus, uti Gramondus,) benignior. Arthuſius autem Dantiſcanus, ubiq; infensè; maximè lib. 22. Slejd. rediv. Joan. Cluverus, locis citatis, hoſtiliter. Martin. Zejllerus denique, hiſtoriâ cit. 25. ſub ficto* Dragontinæ *nomine, laudans culpánsq; promiſcuè mulierem hanc: multorúmq; rumoribus, de* magicis *ejus artibus, & effectis, plus nimiô credulus. At verò, quidquid ſit: Enormia, priùs* auctoranda; *poſtea,* narranda *ſunt.*

METRUM.

Sub finem Operis.

APO-

Digitized by Google

APOCOMMA III.

Hiſpanienſium (1) *& Sabaudicorum, Styriorum, & Adriaticorum armorum,*

Meditamenta Pacis.

I. NOn penitùs abſurdè, pro ſuorum ſaltem geniô temporum, apud Cornelium Nepotem dixiſse videtur *Epaminondas*, belli Thebarum adversùs Spartam, ſuaſor idem, & ductor; BELLO PACEM PARI: QUA, QUI FRUI DIUTINA VELINT, EXERCITATOS EOS IN ARMIS ESSE, CONVENIRE. Quod ità, cùm vetuſtis idololatrarum moribus viſum placitúmque fuerit; Chriſtianæ tamen hodie manſuetudini meritò diſplicere debet, explodíque municipii Nariſcorum (2) neſcio cujus inſcripta curiæ, vox illa, (*bovíſne* dicam, an *hominis* Arcadis?) exclamans: FELIX ILLA CIVITAS, QUÆ TEMPORE PACIS BELLA SPIRAT! Ii verò, quibus mens ac ſententia melior eſt, Beatiores prædicant gentes eas, ac reſpublicas, quæ, Belli quoque neceſsarii medios inter

Ii æſtus,

Inter arma, Pacis cura.

æſtus, imitatione DEI, *cogitationes Pacis* (3) non prorſus abjiciunt: ſed, illorum ſimiles Iſraëlitarum, qui, manuum alterâ tenentes gladium, alterâ templum ſtruebant; (4) ſic iſti, dum pugnas hîc tractant, alibi fœdera pugnandíque finem, agitant: & è campo Martio, conditionibus probabilibus, deſcendere meditantur in templum Pacis; ac veluti *Numa*, quietis amantior, ab armamentario Romuli tumultuoſo, pacatum in nemus Ariciîni lacûs, & Ægeriæ colloquium, ſeſe recipiunt.

II. Tale quid, noſtrâ præſtare tempeſtate viſi ſunt, dum diversîs in terræ, (præſertim Italicæ,) partibus, bella geſſerunt, in amicas denique compoſitiones exitura; Solem quidem orientem versùs, in Iſtria Foróque-Julii, *Ferdinandus*, *Archidux* Auſtriacus, Styriæ Carinthiæque Princeps; & Sereniſſima respublica *Venetorum*: ad Occidentem verò, regis Hiſpaniarum auſpiciîs, Mediolani gubernator, *Petrus Toletanus*; ac, ſuopte nomine, Sereniſſimus Allobrogum Dux, Pedemontiíque Princeps, *Carolus Emmanuel*. De *poſterioribus*, quia ſuccinctioris erunt argumenti, minúsque diſperſi, prior eſto

eſto narratio: tanquam alteri ſecuturæ, paullôque diffuſiori, viam præſtratura paritatis exempli.

III. Dux itaque *Sabaudus*, mutuas ſuperioris temporis pactiones, inter ſe, Petrúmque Toletanum, initas & juratas Aſtæ; fide minùs bonâ paullatim ab Hiſpanicis ſervari, ratus, & cauſsatus; arma, nuper ingentî multorum gratulatione depoſita, nunc alacritate magnâ reſumpſerat: & ad éadem, ſuâ pro parte reſumenda, Mediolanenſem quoque proregem inflammârat.

Et Emmanuele quidem initium bellandi, ſparſim hinc indè prædîs agendîs, & oppidîs quibusdam caſtellîsque carpendîs ac capiendîs, faciente, quòd ea minùs adversùs vim inſtructa reperiebat: diverſam nonnihilô belligerandi viam, apparebat, ab Hiſpanicis inſiſti. Præteritîs enim Pedemontii *Montísque-ferrati* munitionibus ignobilioribus, Toletanus omnem Inſubricæ militiæ florem, ac robur, ad caput & arcem urbium Pedemontii, *Vercellas*, (5) rapiebat. Et has quidem, aggreſsus animosè, non ignavè tamen reſiſtentibus obſeſsis, demum menſe Juliô, poſt ſexaginta circiter dierum laborem

(5) Hiſpanica, & Sabaudica.

borem indefeſsum, occupat. dum, inter hæc, & ad urbem, haud intactus damnorum, agit; & *Vercellarum* poſseſſionem, tametſi munimentîs quotidie novîs augeri cœptarum, habere diuturnam nequit. Poſterus enim annus, ſpem ac rem evertet: dum è *pactis*, quæ pòſt paullò cudentur, & *Vercellæ* redibunt ad Allobrogem; &, quod militum Sabaudicorum à Toletano captum tenebatur, (6) exſolvetur.

At, è diverſo, rigidiùs interim ab Allobrogibus actum in Inſubricos, & univerſum Hiſpanienſe nomen, ac fœdus, erat. Emmanuel enim, in *exarchia* Mediolanenſis, Philippo regi ſubjecta, loca, præſidiáque, validis cum copiis irrumpens; & pugnîs, aliàs minoribus ac velitaribus, aliàs & acrioribus, militem Hiſpanienſem paſſim accîdens; Toletanum, captîs Vercellîs exercitum ſuum in ſtativa circumquaque, voluptariáque loca, refocillandi cauſsâ ſpargentem, urebat; & malè, ſuorum aſſiduîs in pugnam ſtudiîs oſtentatîs, habebat: eò, quòd, alicubi *victi* Sabaudici, paſſim alibi pro *victoribus* agerent. Nec id è vana famâ. Revera namque, præter aliquammulta, Mantuano quoque

que Maſeranóque Ducibus, Hiſpano ſociatis, adempta loca, detractáque præſidia; *Sabaudus* in Inſubribus etiam *La-Roccam*, & *Anfrancónam* ditionem, ac *San-Felicianum*, oppidum firmum & opulens, expugnârat.

In hoc oppido (quippe, cæterîs pertinaciori, proptereáque laborioſiùs captô,) neſcio, quo furoris inuſitati ſtimulô perurgente, cæſa non modò ſenum æquè juvenúmque, ſed ætatis etiam immaturæ, ſacratáque Deo, corpora ſunt: nullo cujuſquam diſcrimine jugulatîs incolîs univerſis. Præſidiarii militis (is ex *Hiſpanis* ferè conſtabat,) *mille ducenti* trucidati; capti, circiter, quadringenti: quorum in numero, ductores ordinum quatuordecim, & in his nominatim, *Borromæorum* è cognatione *Baro* quidam, *Wolkenſtenius*; cum viatico, caſtrenſíque copiâ, non aſpernandâ, penès eum repertâ: quam, qui ſuſtulerunt, *quindecim coronatorum* millibus æſtimârunt. Ad hanc autem prædam (quæ pléraque privatas in manus venerat,) acceſſit alia major, & publico caſtrorum utilior; ſaccorum, frumentô refertorum, quadraginta millia: cujus ſpolii pretium (ut tunc erat annus, & annona,)

Hiſpanica, & Sabaudica.

coronatorum cenſum eſt *ducentorum millium*. Frumentum autem univerſum, *Aſtam* devectum eſt, militiæ Sabaudicæ tunc apothecam penuariam: unàque, vexilla militaria, cæterâ cum præda grandî, deletis oppidanis ereptâ.

Sub idem porrò tempus, eâ *Sant-Felicianorum* calamitate conſternati cives *Annonai*, (7) quantumvis locô præſidióq; non imbellî, prætereáque majoris formæ baliſtis æneîs *quadraginta* muniti; viſíque Regi ſuo fidem, aliquouſque ſaltem, præſtituri: tamen, animîs eorum, ante murum ullum adhuc verberatum, fractîs, ultrò ſe Sabaudo permisêre. Neque tamen id nullîs, iísque certîs utrimque pactîs, eſse transactum, appáret: quæ, ſi prorſus intervenerunt, à Sabaudicis honeſtiùs utique ſervata, quàm à dedititiis flagitata, vel inita, ſunt; non planè nullo nundinationis ſimulacrô. Nam conceſsum iis omnibus erat, qui præſidium illic agitârant; Hiſpanicô, tam relictô, quàm in futurum adversùs Allobrogem ejuratô, ſtipendiô, vexillîs palàm explicitîs, & cum unius, in ſingulos, *aurei nummi majoris* (8) *donô mercenariô*, diſcedere. Quibus hunc in

in modum egreſſis, ſuccedens *Allobrox*; continuò manum admovere communiendo ſummîs viribus oppido cœpit: ut Inſubribus, Aſtam affectaturis, eô, vel inprimis inſuperabili poſthac interjectô propugnaculô, progreſsum interſcinderet. Cæterùm *Emmanuel Dux*, inter hæc, exercitum ſuum omnem geminam partitus in multitudinem; & harum alteram ipſe ducens, cum ea *Borgum*, Inſubricam munitionem, invadendam ſibi ſumpſit: alteram *filio* ſuo, Principi *Thomaſio*, commiſit; Alexandriæ Lombardicæ munimenta, quæque circùm erant, aſsultaturam. Et hìc (ut ardore pugnandi *Thomaſius*, in primis, calebat) erumpentibus undique, confertímque, præſidiîs Hiſpanicîs in Allobrogas, ventum ad manus eſt, acerrimô partis utriusque conflictu; clamantibus adversùs hoſtem Inſubricîs, *Eos fœderum eſse ruptores*: & regerentibus Allobrogicîs, *Rumpendi principium ortum ab illis eſse; pactîs violatîs*. Et clamor quidem fortaſse major ab Hiſpanienſibus, gemitu cadentium mixtus; victoriæ verò decus, à Sabaudicis, ac Thomaſiô, ſtetit; hoſtibus in fugam actìs. Nec eâ clade contenti *Sabaudici*; movent &

Hiſpanica, & Sabaudica.

& *aquis* inexſpectata bella: néve ſupportari deinceps, aut commeatus hoſti poſset, aut nova militum auxilia; Tánari fluminis, inter Alexandriam ac Placentiam Pado ſe miſcentis, pontem ſublicium, injectûs facibus, exurunt. Et quoniam è Liguria casù tunc armorum ac vitæ ſubſidia, Mediolanum versùs, & in caſtra partim, agi cœperant; incidentes in ea turmæ Sabaudorum, boves nongentos, equos militares ſexcentos, vini cados ducentos, ac pecuniæ præterea vim, in ſtipendia, copioſam intercipiunt; & in caſtra ſuorum, hoc eſt, *egentiorum*, (utì jocabantur) avertunt.

Cæterùm & alioquin, omiſsîs facetiis, Allobroges annonâ caſtrensî non nimiùm abundâſse videbantur, antè *San-Feliciani* direptionem illam, de qua diximus, frumentariam: & tunc, auctô plurimùm eorum exercitu, niſi raptô vivere diſcerent, ad penuriam erant, nullô negotiô, relapſuri. Confluxerant autem; ac ne tunc quidem confluere deſinebant, præter Allobrogas, & Pedemontanos indigenas; (initiô ſtatim ſub Emmanuelis Ducis ſigna collectos) peditum equitúmque Gallicorum; & Germanorum;

cum

Digitized by Google

cum Helvetica phalange, copiæ formidabiles, & ingentes: quarum numerum, vel ſolus unus, ſatìs exemplô ſuorum agminum allicere poterat: dum, Marchio *Ladigierius*, è Delphinatu, quem gubernabat, millia peditum quatuor, equitésq; cataphractos nongentos, ſelecti roboris militem, adducens; exercitum Allobrogicum non ornavit minùs, quàm auxit. In ea porrò tot gentium diverſarum confluge, creditu difficile fuerit; omnes ejus fuiſse pietatis, & ſacrorum cultûs, cujus, regiæ-Serenitatis-Dux, fuit *Carolus Emmanuel*: princeps, orthodoxæ majorum ſuorum religionis egregiè tenax, & ſtudioſus. (9) Quò magìs eſt mirandum; hujus ſub auſpiciis militantes, in expugnatione, quam retuli; *San-Beliciana*â, tam ſe crudeles, trucidatione vagientis etiam ætatis, ac Deo ſacratorum capitum, præbuiſse: niſi, quòd certum nobis eſſe debeat, invitô, plurimúmque reclamaturô, (ſi præſens negotio tunc adfuiſset,) *Duce*, facinus illud accidiſse: nec id *Catholicorum* aliquos, (ne calonum quidem, ac lixarum,) ſed è Germanis Gallîsque, pro more ſuo, *Zvvinglianos*, & *Calvini* ſectatores, patraviſse. Nam

Hiſpanica, & Sabaudica.

hi ferè, ſacrum profanô non ſemper diſtinguunt; nec vino ſanguinem: neque vitro Bacchico, *Calicem altaris*. Sed nos ad interrupta revertimur.

IV. A Pacis ſtudio *Carolus Emmanuel*, (ne quidem inter hæc talia cruenta ferox,) nunquam planè ſe monſtrârat alienum: princeps, indole factus ad civilitatem, & innoxii fundendi ſanguinis inimicus. Id cùm Inſubriæ proregem, *Toletanum*, non latéret; poſteaquam inſuper, & per exploratores ſatìs, & per crebra ſuorum damna plus nimiô doctus, comperit; *Sabaudi* vires ſibi prævalituras, niſi temporì cogitationes ſuas omnes ad quietem converteret: impellente præſertim ipſum ad id, ac negotium promovente, rege Chriſtianiſſimô; *quadraginta dierum inducias* armorum, per Cardinalem *Ludoviſium*, amborum internuntium, cum Emmanuele paciſcendas curat. Emmanuele porrò non abnuente: pacis interea conditiones in Italia conſcribuntur; in Hiſpaniis ratæ paullò pòſt habendæ. quarum hæc, neutri partium intolerabilis, ſumma fuit. *Ut, annô Sæculi præſentis quintodecimô latæ, pacis leges* Aſtenſes, *per omnia ſinguláq; ſarta tecta*

tecta deinceps conſervarentur. Ut Dux Allobrogum, primô quoque tempore, poſt hunc autem, & rex Hiſpaniarum, caſtris & pugnis mutuîs abſiſterent: exercitum ambo dimitterent. Ut urbes, oppida, munitiones, utrimque *bellô capta,* (*nec* Vercellìs, *nec Inſubricîs ullis præſidiîs, exceptîs,*) *itidem* utrimque, *veteres ad dominos redirent: quos inter, &* Mantuanus, *ac* Maſeranus *Duces, numerarentur. Ut* Montis *denique* Ferratenſis *lis principalis, ſententiæ Cæſaris decretoriæ tota permitteretur: quò, cujus eſt in arbitrio Romanum omne terrarum-Imperii ſpatium; in ejuſdem eſset etiam* Exarchatus *unius.* (10)

Cùm hæ tales conditiones, admoderante ſolerter legatô, tanquam *Angelô-Pacis*, Ludoviſiô, neutrâ videri deberent ex parte quidquam iniquitatis trahere ſecum; & in *Vercellarum* ſolarum (quas munimentîs quotidie validioribus, ac frumentatione, non ceſſabant Hiſpanici firmare,) maturandâ reſtitutione, contentio tergiverſaretur: etiam hâc ipsâ denique, per compoſitoris induſtriam, expeditâ, res ad pacem, ſed in annum demum proximè ſecuturum, rediit: *Sabaudô* tantiſper, quoad ab *Hiſpano* promiſſis fidem

per

Hiſpanica; & Sabaudicâ.

per ipſa facta conſtare cerneret, electi roboris aliquot adhuc millia, poſt cæterum jam exauctoratum militem, in ſubſidiis retinente. Nam *improſperè-fortem* cenſebat *eſſe ducem, non magis eum, qui temerè pugnacem, quàm, qui præfeſtinè credulum, ſe praſtaret.* Sed hîs nos interſciſsîs in præſens; ad *Iſtricum* tranſeamus, ac *Forojulienſe*, Venetorum Teutonúmque, bellum.

V. Hujus *alter* hic jam *annus* ibat: quo *Joannes*, Comes *Naſſovius*, (is ipſe, qui ſuperiori tempore, velut in loco retuli, conquiſitor militum, mercenariam aliquantiſper operam Emmanueli Sabaudo locârat,) oblatam Sereniſſimæ Venetiarum Reipublicæ ſuam in armis ſolertiam repræſentavit: cùm *Batavorum* ei manum numeroſam adduxit ad Adriam; non aſpernandam, niſi contemnendos ipſi ſe Venetis Hollandi præbuiſſent: dum Italico militandi vivendíque mori ſeſe minùs, quàm decuerat, adtemperant. Unde factum eſt, ut ad nihil magnum & illuſtre gerendum, vel accîti, vel ultrò prorumpentes; vaſa paullatim ſponte ſuâ colligerent: brevíq; pòſt, nullo ducum commeatu voluntatéve, *divolantes, hibernorum inſtar anſerum,*

ſerum, aut gruum; inter multiplices *Adriaticorum* incuſationes, in Septentrionem ſuum plerique remigrarent: gloriæ, ſpoliorúmque, nihil reportarent. (11) Sed nempe, non in longum deinceps, Italis ac Styris opus futurum erat, Batavicîs, ad fundendum ſanguinem, auxiliîs; utpote, qui, ſuopte jam pridem Marte per ſe ſatìs exercitati, terrâ marîque, magiſteria ſuppetiáſque paluſtres non requirerent. Pergebant ipſi cædere mutuò, caderéque: nec, armorum inter ſtrepitum, ſalubria Pontificis Maximi, regíſque *Chriſtianiſſimi*, conſilia-pacis adhuc audiebant. A rege verò *Catholico* quoque, ſuſceptum reconciliationis laborem, aliquouſq; laudare magìs, quàm admittere, videbantur: partim, quòd, Auſtriaci princeps ſanguinis, non nimis durè *Ferdinandum Archiducem* cognatum tractaturus, in concordiæ pactis, exiſtimabatur: & quòd, reipſa jam eminus agitari cœptæ conditiones, parùm probarentur iis, quibus, BELLO PARTA RESTITUERE, DIFFICILIUS IPSO BELLO credebatur. *Habendi cupiditas, amittendi moleſtiam invehebat: dum alienum poſſeſſor quiſque, nimis præproperè ſuum facit.* Quo

Quo proinde fiebat; ut, tametſi ponendorum demum diſſidiorum viæ tentarentur in Hiſpaniis; & in Iſtria *bimeſtres* utrimq; certaminum *induciæ* receptæ viderentur: nec *Palmâ* tamen prorſus intentatâ Styri (quamvis inutiliter) agerent; & copiæ Venetorum ingentes, hôc etiam annô, Gradiſcam Forojulienſem infeſtiùs multò, quàm antehac, incurſarent. Sed Gradiſcani quidem, aliíq; circùm ea loca Teutones, ſibi, ſociíſque, contra vim Adriaticorum non deerant. & alibi, prorex Neapolitanus, *Dux Oſſunæus*, vir genere fortitudinéque præluſtris, (12) nec adhuc eâ, quam bienniô pòſt ſubiit, calamitate dignus viſus; in Adria dominos maris illius acriter (etſi nec ipſe cladium intactus,) agitabat. In Italia verò cæterâ, qui partium erant Ferdinandæarum Hiſpanienſes, Venetorum eâ, quæ tunc eſſe videbatur, intractabilitate redditi ferociores; oppida quædam & caſtella Lombardica, circa Cremam, adorti, quæ Venetorum ditionis erant; hos invicem adversùm ſe tam vehementer exaſperârunt: ut, inſupèr habitîs ipſi quoq; cogitationibus induciarum, limitibus Hiſpanicorum, è ſuis, quatuor millia bellico-

Digitized by Google

licoſiſſimorum opponerent. Eorum virtute, ſimulac ad velitare ventum certamen eſt, repreſſus acriter Inſubricorum ardor erat. Unde, poſt captum aliquantò majus ab his, quàm, quantum pars adverſa ceperat, detrimentum; occaſio rerum utriuſque militiæ ſupremos arbitros eò mox adegit: ut, quoad de ſumma re pactionibus tranſigeretur, alternîs utrimque cladibus incurſibúſq; temperarent.

VI. Sed alibi dicto miles audiens nondum erat. nam adhuc Adriatici Gradiſcam, & in dies furioſiùs, incurrebant cominus; eminúſque verberabant: Verùm, ob incredibilem, tum propugnantium virtutem, tum murorum & operum firmitatem, inutilì ſucceſſu.

Paullatim ergò, lapſu temporis inglorió, nullâque demum re, nec ab his, nec ab illis, ad victoriæ plenitudinem adductâ; feſſi bellando, *Styrus* & *Italus*, in *pacis* revolvi deſideria cœperunt, eáq; ſeria: qualia prœliorum ancipitium tædia generant. Neque deerant, qui pacis optabilis leges aſſiduè ſuaderent; Paulus V. Pontifex, Ludovicus XIII. Galliarum rex; & enixiùs, Hiſpaniarum

Veneta, & Auſtriaca.

rum rex Philippus III. Nec procùl erant, qui, ſuorum auctoritate regum, ac Principum, leges eas proponerent: à Pontifice, ſedis Apoſtolicæ Nuntius, Antonius Cajetanus, Archiepiſcopus Capuanus; à rege Chriſtianiſſimo, Marchio Seneſeyus; à Catholico rege, Dux Lermæus; à Sereniſſima Venetiarum republicâ, Petrus Grittus; ab Archiduce quoque Ferdinando, (miſſu potiſſimùm, & auſpiciîs, Matthiæ Cæſaris,) Franciſcus Chriſtophorus Chœvenhylérus, Comes Franckenburgius. (13) Scribebantur autem *Pacis* illæ *conditiones*, Rege Catholicô coràm, & urgente, Madriti (quæ veterum fuit Mantua Carpentanorum) in Hiſpania, viceſimô ſextô Septembris, hoc ipſo, quem percenſemus, annô. quarum *conditionum* primas tenére videbantur iſtæ.

Zengam, *Vſcochorum nocentium omnì præſidiô pulsô, Germanos duntaxat Ferdinandus Archidux introducito: quietis & concordiæ cultores.*

Uſcóchis *iis, qui* Zengam *oppidum hucuſque pacatè tenuiſſent, honeſtè ſeq., ſuámq., ſinguli familiam, alentes, & rapinarum abſtinentes; moleſtiæ nihil in oppido faceſſitor. adventi-*

Digitized by Google

*ventitius tantùm Uſcochorum miles, &, ſti*pendiarii *qui vocantur, & legibus undeunde proſcripti, ſtatim pelluntor. Prædonum maritimorum celóces exuruntor.*

Archiduci *Ferdinando, poſt Germanos in præſidium Zenganum introductos, & inquietos Uſcochos præſidiô pulſos, locus aliquis, opere ſitúve munitus, ac Zengæ quàm maximè propinquus, ex ademptis in Iſtria per Venetos, ab iiſdem reſtituitor. Locum autem illum nominandi, penès Hiſpanum regem, aut Ferdinandum, jus eſto.*

Pulsìs Uſcóchis, *ejectîs ſtipendiariîs, profligatîs exulibus, & exuſtîs myoparonibus, adeóque terrâ jam mariq; ſolertiâ Ferdinandi perpacatîs; Venetiæ, quidquid locorum, ardente bellô, vel in Iſtria, vel in Foro Julii, vel ubilibet demum, quod Archiducalis antehac, aut Cæſareæ ditionis fuiſset, id, nullô demptô, reddunto. Paria viciſſim Venetis Archidux præſtato.* (14)

Captivorum itidem utrimq; reſtitutio maturator. ſub alterutris militáſse, nemini vel fraudi poſthac eſto, vel damno fortunarum. quæ militantibus eſsent intercepta; poſt arma poſita, redduntor. Commercia tandem mutua,

Veneta, & Auſtriaca.

bellô clauſa ; bellô finitô, terrâ mariq;, rurſus aperiuntor. Bonâ denique mente ; fide, quâ quid optimâ ; conditiones utrimq; ſervantor.

Cæterùm, hæc iſtum in modum, quem retuli, præcompoſita, *Pacificationis* facies, quò minùs iſtô ſtatim annô partium utriq; perprobaretur ; non per alios tunc magìs, quàm per *Adriaticos*, ſtetit ; prudenter, & examinatè, cauſsatos *Oratoris* ſui, circa triremium reſtitutionem, & alia nonnulla comprobanda, facilitatem ; quâ, non penitùs ad mentem & mandata Reipublicæ, fuiſset uſus. *Pacabit* autem hæc omnia ſequens, qui cæteram Europam *turbabit*, Annus.

VII. Inter hæc, ut minùs inglorius à caſtrenſibus Iſtriæ curis *Ferdinandus Archidux* aliquantiſper ſecederet ; & alias è diverſo glorioſiores alibi reperiret : ei *Corona*, nec ea ſimplex, in aviâ terrarum parte parabatur, ac dabatur : hujus quidem anni Juniô menſe, *Bohemica* ; ſequentis autem Juliô, *Pannonica* : præludia videlicet, coronæ quoque *tertiæ*, quam idem, haud multò pòſt *Romanorum* Rex, ſubiturus erat. Dignitatis porrò tam multiplicis radix, poſt DEUM, & viri virtutes, potiſſima juxtà potentiſſimáque,

máque, fuit *Adoptio*; qua Ferdinandus Imperatori Matthiæ, ſeni junior, effectus *Filius* eſt. Quam ego rem aliquantò curatiùs exponam; hîs, quæ dicam, principiis, ac procurſu, geſtam.

FERDINANDUS, ejus nominis Primus Romanorum Imperator, Caroli V. quadrienniô minor natu frater, & iiſdem, quibus ille, genitus parentibus, (Philippô putà Primô, Maximiliani I. Cæſaris filiô, Joannâque, regis Hiſpaniarum Ferdinandi Catholici filiâ;) matrimoniô ſibi junctam habuit *Annam*, Ladislai, Bohemiæ ſimùl Ungariæq; regis, filiam & *hæredem*. Ex hac, Ferdinandus liberos ſuſceperat *quindecim*: mares quatuor, ac filias undecim. *Filiarum* tradere nomina, noſtras ad curas, hôc locô, nihil admodum attinet. *Marium* verò nomina fuerunt: Maximilianus, qui, *Secundi* nomine, poſtmodum imperavit; ac fratres cæteros ætatis ſerie prævertit: Ferdinandus, qui Tyrolim poſſedit: Joannes, qui, præter inclytam originem, de cætero parùm ad memoriam inclaruit: ac denique, patrui Cæſaris nomine, ſuîſque geſtîs, conſpicuus (etſi fratrum natu minimus,) *Carolus*, Styriæ

Ferdin. Archiducis, gradus ad regna.

Carinthiæq; tetrarcha: qui *Græcii* ſuam poſterorúmq; ſedē, & principatûs arcem, conſtituit.

Ex his *quatuor* itaq;, quos adduxi, Ferdinandi I. Cæſaris filiîs, primus, ac poſtremus, gloriâ, *poſteritatéq;* cumprimis *maſculâ*, cæterîs clariùs effulſerunt. *Maximiliano* namque II. Cæſari, (Bohemorum & ipſi, Pannonúmq;, regi,) cùm non minùs, quàm *Ferdinando* patri fuerant, liberi *quindecim* eſſent, ex unico Mariæ, Caroli V. filiæ, conjugiô; præter ſex nimirum filias, etiam filii, Ferdinandus, Rudolphus, Erneſtus, Matthias, Maximilianus, Albertus, Wenceslaus, Fridericus, & Carolus: ex iſtis, non omnes ad parentum ſpem ac votum æquè vivaces extiterunt. Ferdinandus enim, & Fridericus, & Carolus, annum vitæ *primum* non ſuperavêre: Wenceslaus, decimum octavum non attigit. Ævi provectioris cæteri, ſuis quiſque dotibus humeríſque paria, præſtiterunt. è quibus, qui, ſæculi ſuperioris annô nonageſimô quintô, vitam quadraginta duorum annorum clauſit, Erneſtus; Hiſpaniarum regis vices in Belgis geſſerat. Noſtrâ verò memoriâ, Rudolphus, ac Matthias, Cæſares, hic *Primus* iſtius nominis, alter autem, *Secun-*

cundus, uterque Bohemiæ præterea Pannoniæq́ue reges; *imperârunt*. Maximilianus, eorum frater, à Polonis electus rex; principatui Tyroleos immori, quàm exteros regere, præoptavit: & obtinuit. Albertus noviſſimè, cum Iſabella ſuâ, gubernare Belgium, ad ætatem uſque noſtram, & obitum ſuum, perrexit. (15)

VIII. At è *Carolo*, Styriæ Duce, fratréque Maximiliani II. præter *filias* novem, quas ei peperit Alberti V. Bavariæ Ducis filia, *Maria*; *mares* inſuper eâdem parente proceſsêre: Ferdinandus; &, poſt quatuor interpoſitas ſorores, Ferdinandus alter. poſt hunc, Carolus, non diuturnus: &, poſt ſorores duas, Maximilianus Erneſtus; ac, trienniô pòſt, Leopoldus. Ut verò liberûm numerus, qui *Ferdinando I.* Cæſari, *Maximilianóq; II.* quaſi cœlô deſtinatus fuerat, (utì nempe proles QUINDECIM ſinguli generarent,) nec in *Carolo Styro*, Ferdinandi filio, Maximilianíque fratre, deficeret: en, ejuſdem anni, cujus Auguſtô menſe, menſíſque die tertiô, Carolus pater deceſſerat, Carolum *alterum*, re nominéq; poſthumum, *Maria vidua* quartô pòſt die peperit. (16)

Kk 3 Iſque

Ferdin. Archiducis, gradus ad regna.

Iſque ſobolis Carolinæ numerum *quindenarium* coronavit. Ut adeò, *trium* tunc Auguſtalis ſanguinis progenitorum in Germania, ſub unam mundi propemodum ætatem, *Auſtriaca* propago, *quadraginta* collecta capitibus, *ovaret*; in compluribus autem eorum, etiam *triumpharet*. (17)

Verùm, ut ad narrationem, de filiis Archiducis *Caroli* Græcienſis, & *Mariæ* Bavaræ, revertar: ex iis, Ferdinandus, primô loco natus, annô, quo lucem aſpexit, eodem cœlum accepit. Nec multò longiùs in terris moratus Carolus eſt; annô quippe non plenô vivus. Quatuor alii, provixêre: putà, *Ferdinandus* alter; qui, *Secundi* nomine, poſtmodùm *imperavit*: Maximilianus Erneſtus; cujus triginta trium annorum vitam, quidnam publicæ functionis admodum illuſtrârit, haud invenio: *Leopoldus*, Epiſcopus aliquamdiu Paſſavienſis, & Argentoratenſis; poſtea Tyrolcos, ad obitum uſque, poſſeſſione contentus, & clarus. Carolus denique poſthumus, Ordinis (poſteaquam adolevit) Teutonici Magiſtratu ſupremô conſpicuus; & epiſcopatu Wratislavienſi: cui, ſunt, qui Brixinenſem etiam adjungant. (18)

Ad

Ad ſummam tandem! hi, quos percenſui, Maximiliani II. Caroliqne Styrorum Ducis (fratrum) *filii* fuerunt *Archiducales*: & hinc, inter ſeſe *patrueles*: quos & ipſos proinde mos loquendi priſcus *fratres* appellâſset. (19) Nunc ad propoſitum redeamus.

IX. MATTHIAS igitur, Maximilianô, (ſicut diximus,) Secundô genitus, Bohemorum & Ungariæ rex, ac Romanorum imperator; cùm hôc, quem exſequimur, annô, *ſexaginta* jam *annorum* eſset; & hoc quidem, in corpore, valetudinibus aſſiduîs ſtatum alternante: cúmque, præter hæc ætatis ac virium incommoda, poſt ſex jam, in Annæ Tyrolenſis conjugio transactos, annos, nec prolem habere ſe, nec ſpem prolis ullam, experiretur: animô ſecum reputare, disquireréque, cœpit neceſſitudines ſtirpis proximas, adhuc in vivis agentes: ex quibus ſucceſſionem regnorum, & hæredem provinciarum ſuæ gentis, evocaret. Videbat autem fratres, è ſuis, adhuc ſuperſtites duos: Maximilianum nempe, Tyroleos principem; & Albertum, Belgii gubernatorem: ſed & ipſorum utrumque, tam ſobole præſentî, quàm ejus in poſterum exſpectatione,

Ferdin. Archiducis, gradus ad regna.

deſtitutos: quippe, quorum prior, annô non plus unô ſe natu minor, cœlibem ſemper egiſset, agerétque porrò, vitam; alter autem, unicô bienniô ſe junior, in Iſabellæ Claræ, principis Hiſpanæ, matrimonio degeret, ſterili, pænéque jam utrimque ſuperadultô. nam vitæ quadrageſimum octavum annum *Iſabella*, decenniô verò provectiorem *Albertus*, numerabant. Ab hac ergò parte gentis Auſtriacæ-Germanorum, nihil polliceri ſibi Matthias in longinquitatem auſus; reſpicere familiam propaginis ejus alteram, & ſcilicet *Carolinam* in *Styria* domum, ac progeniem, inſtituit. Tractîs autem in conſilii partem, in Germania Belgiôq; fratribus, in Hiſpania Philippo III. Caroli V. nepote; diſſerebat, apud Maximilianum quidem præſentem præſens, apud reliquos verò per internuntios fidos, ac nominatim, per Comitem etiam Ognatum, Hiſpani tunc, in aula Cæſárea, legatum:

Vergere dilabíq; ſuos, qui ſtirpis tunc veterrimus eſſet, annos. Relicturum autem ſe, deceſſu ſuô, provincias Auſtriacas & complures, & ſpatioſas; regna tria; Romanáq; majeſtatis Imperium. ſed cuj ſucceſſuro? Fratri-

bus

bus tribus, unam eſſe foréq; (ſicut tunc ſe res haberent) avi longioris, & propaginis, deſperationem. Philippos alibi duos, patrem ac filium, Hiſpaniis, Luſitaniâ, Belgiô, geminîs Indiîs, & Fortunatîs inſulis in Atlantico mari, circumfluentes; Germanicis utiq; fortunis (uti tunc res ſint) nequaquam inhiaturos. Quid ergò nunc futurum eſſe terris, ſceptrîs, orbis Chriſtiani tutelâ? quibus omnibus, niſi tempori proſpectum foret, periculum impendeat, poſt ſuum è vivis abitum; turbarum, contentionum, & armatorum in Europa certaminum. de quibus ſicut ſuſpicio nulla, vel metus, oboriatur; ecquid ei tam celeriter effluxiſſent animô, Juliacenſes, Clivienſes, Geldrorum, ac Montium, illi motus: quibus etiamnum, haud ſolus ille terrarum ad Moſam Rhenúmq; tractus, ſed univerſa pene Germania, flagraret? & hoc, ob Unum Imperii Principem, maſculæ ſucceſſionis, ex ſe, vel ex adoptione, vacuum; & rebus, partim indiſpoſitîs, è vita raptum.

An autem, & in Cæſaribus, unicos extitiſſe, Ludovicum Bavarum, ac Fridericum Auſtrium; qui, de ſucceſſione culminis in Auguſtali ſolio, caſtrîs & acie decernerent? ac non potiùs, exemplorum parium tragœdiîs Impera-

Ferdin. Archiducis, gradus ad regna.

torios eſſe Faſtos differtos, & exundantes? NIHIL autem factum eſſe quondam; quod idem fieri non poſſit, & audeat, etiam in poſterum: niſi prævortatur. *Id autem, providentiâ, conſilii maturitate, delectûsq; concordiâ, præſtitum iri.*

Quantum quidem ſuarum ſit partium; cupere ſe deſideriô, quantô quiſquam maximô, proſpectum rebus nutaturis eſſe. ſuas autem vires, & diem, ad eum redactas eſſe neceſſitatis cardinem; ut plus jam meliúsq; præſtare vix quidquam poſſit, quàm bonum Imperio ſucceſſorem; fortem Regnis principem; dignum provinciis avitis hæredem. Eum verò quandoquidem ramo Maximilianææ *ſtirpis, exareſcenti, cœli decreta negaverint; ad alterum,* Carolinæ *nempe domûs, termitem, adhuc viventem, ut decurri queat, ejuſdem eſſe cœli benignitate proſpectum: ſi modò perinde quiſq; diligere commoda populorum, ac ſuámet, in animum induceret. Suum quidem hunc jam olim eſſe ſenſum: Regere frequenter adhuc & eum, qui, cunctis optabilem, poſt ſe regem reliquerit. quantò magis autem; qui deſignâris ultrò, vivénsq; dederit? Hæredes verò poſſeſſionum, ac terrarum, ſiquibus natura negaverit;*

rit; felicius ab his interdum inſtitui, non tam eos, quos jus ac neceſſitudo ſanguinis domeſtica, quàm, quos pietas & ingenua voluntas, in propinquo legerit. Sæpe filius patrueles antecelluiſſe gloriâ, vel virtute. Tametſi, quidnam obſtare, quò minus, qui filius *reipſa naturáq; non ſit, is* adoptione *legibúsq; fiat? Non indécorem, nec genti Scipionum, ad quam tranſierit, nec Æmiliorum, à qua translatus ſit, Publ. Scipionem Minorem, imaginibus Africanorum inſertum fuiſſe: (quod ex hiſtoriagnaris ipſe non ſemel audierit.) At nunc ipſis ad manum, & præſto ſtare, non tam* Scipionem, *quàm* baculum ſenectutis *trium fratrum Auſtriorum*, Ferdinandum, *Styriæ, ditionúmq; complurium aliarum*, (20) *dominatorem inclytum, patruô genitum; heroëm, armorum pariter, ac pacis, artibus excellentem: prudentiæ præterea, cæterorúmq; mentis ornamentorum, laude præſtantem: familiâ, quæ filiis, ac ſpei poſteritatis, innixa ſit, florentem, vegetum, annorúmq; firmum. Hunc ſe, niſi quid conſultius aliud ipſis occurrerit,* filium *ſibi* cooptare. *Sic Ferdinandô, Maximilianæam in familiam inſitô, non ambigere ſe; quin tum ipſemet, tum fratrum uterq; præoptaturi ſint; elegiſ-*

Ferd. Archiducis adoptio.

eligiſse *ſe comperta claritudinis heredem, potiùs, quàm, incertas in ſpes ex ſe* genuiſse.

Reſtare nunc, ut, ſi cordi ſint ipſis, hæc adoptio, ſucceſsor, hæres; in placita fratris Imperatoris fratres Archiduces *jurent: Seipſos, è diverſo, ſuúmque jus ad provincias, in adoptatum translatas, ejurent. Ità namq; futurum, (niſi fortè cujpiam ipſorum trium, legitimus antè, vel poſt obitum, filius pronaſceretur, quod nemo nunc exſpectet) ut, ſibi firmatîs, auctoritate patruelium, Auſtriaci ſanguinis ditionibus; tutiorem Ferdinandus ad Regna quoque viam ſit inventurus; & ad ea dein expeditè gradum, ob promptiorem ex aucta potentiâ populorum aſsenſum, facturus. OBSEQUIA namque gentium, amori mixta Majeſtate, validiùs trahi.*

X. *Matthiæ* fuit hoc, quod retuli, dignum imperatoriâ maturitate, conſilium; & firmum animi decretum. quod, certîs ac juſtîs interpoſitîs pactionibus, utrique fratrum probatum, nec improbatum Hiſpano Regi; *Ferdinandus* etiam acceptavit. qui proinde *Filius* ſtatim *inſitione* (ſicut ſuperiùs dicere cœperam) *Matthiæ* factus; in *Cæſarem* poſt hæc, ſed *pedetentim*, adolevit. Ad eam

eam namque celſitudinem præmolliendus aſcenſus erat, per *Bohemiæ*, (quod hôc ſtatim annô factum eſt,) ac per *Hungariæ* (quod annô mox ſequente) regna, ſibi ſubſtrata: donec ad *tertium* demum, annô pòſt tertiô, faſtigium perveniretur. Horum poſteriora duo, ſua memorabunt, in tranſitu ſaltem, tempora. De *Bohemici* culminis aditu, tradere compendiò, quæ potiora vulgò videri queant, præſentis eſt anni labor: quem & evolvemus.

XI. *Matthias* igitur Imperator, cùm Pragam ad ſe, Majô vergente, præter Maximilianum Archiducem, evocâſſet & Ferdinandum, quem (utì retulimus) *adoptârat*: eodem adhuc menſe, (21) totius Bohemiæ comitia, Junium in menſem indixit. ad quæ, tum per curſores, tum per *Edicta*, curiarum omnium valvis affixa, regni ſolitos *tres Ordines*, ſeu *Status*, accerſivit. Hi magnâ ſtatim frequentiâ præſtò fuerunt. Unde, cùm abeſſe jam nemo videretur, quem adeſſe, publicæ ſalutis aut neceſſitatis intereſſet; ad Junii diem ſextum, in arce Pragenſi, per horæ ſpatium ſolidum, ære Campanô grandî *conveniendi ſignum*, (ſic à majoribus traditô more,)

Ferd. Archid. promotio ad regnum.

Digitized by Google

more,) datur. Eo finitô pulſu, Cæſar, & Archiduces, Maximilianus ac Ferdinandus, poſtquam ſuam *incruento Sacrificio* præſentiam, in æde Pragenſis arcis, præſtiterant; in publicum procedunt. Exinde, *prælatô* (ſicut mos in actibus ejuſmodi vetus habet) *gladiô*, cæteríſque ſuetîs deductionum regalium cærimoniîs interjectîs, in *curiam* pergunt, quam *provincialem* dicunt, & *regnipublicam*; proſequentibus Principes, & honoris obſequiíq; ſtudiô comitantibus, numerô densô, regni Bohemorum Ordinibus, præfectîs, ac Senatoribus. Illic, in ſolium regale ſe ſeſſum recipiente *Cæſare*, (quod ſolium in capite curiæ locô mediô ſitum erat;) ad latus autem aulæ dextrum aſſidentibus Archiducibus duobus; regni Præfectus ſupremus, primùm omnium conventûs illius cauſſas ſtrictim, nec non Cæſareæ Majeſtatis dignabundè gratum, erga Status, tam obſequenter comparentes, animum aperire cœpit. Hunc ſubſecutus, qui regno tunc à libellis erat; Matthiæ Cæſaris mentem, quâ Comitia nuper indixiſset éadem ipſa, quæ tunc, tantâ præſertim frequentiâ, congregata cerneret, ac lætaretur; è ſcripto, ſibi traditô, reci-

recitavit. Summus autem arcis ac regni cuſtos, (22) illam ipſam Cæſaris voluntatem, *libellô* comprehenſam, Ordinibus, ibi collectis, viritim in manum dabat. In eo porrò *libellô*, Ferdinandi, Maximiliano tunc aſſidentis, décora, virtutes, & ad regnum capeſsendum animi dotes, prædicabantur; & unicujq; ſollertiùs expendendæ commendabantur. Poſt quæ ſic ad Procerum conſultationem delata, præjactáque rei ſummæ fundamenta; *Matthias* Imperator, è tribunali ſurgens, cum Archiducibus è curia diſceſſit: Ordinibus eos ad prætorii gradus, honoris ergô, deducentibus; ſed *ad deliberationem (quâ magìs Cæſarem, quàm ullâ comitatûs pompâ, coli* nôrant) è veſtigio revertentibus. Ei porrò conſultationi, nequis negotium, ceu *deproperatum*, calumniari poſſet, *bidui* datum tempus eſt; ſuffectura, ſinè dubio, ſententiarum maturitati, mora.

Cæterùm in eo Cæſaris *placito*, quod, Ordinibus Regni conſiderandum, in charta porrectum erat, éadem illa ferè legebantur; quæ Matthias Imperator fratribus Archiducibus, & duobus in Hiſpania Philippis, in cauſſa commendationéque Ferdinandi, nuper ſug-

Ferd. Archid. promotio ad regnum.

ſuggeſserat: quæque ſummatim eò ſpectabant, ut, cupere ſe, Cæſar oſtenderet, & apertè quoque peteret: Quoniam *Filii* locô conditionéque *Ferdinandum* ipſe, ſummô totius Auſtriacæ domûs aſsenſu, volens libens adoptâſset; in eúmq; provinciarum Auſtriacæ per Germaniam familiæ poſseſſionem, poſt extinctionem Maximilianææ ſtirpis maſculæ, transtuliſset: ut idem ipſis quoque placeret. Et, quoniam è regulis, antiquo Juri receptiſſimîs, (23) *aditus-Hæreditatis, ſecum & Succeſſionem involveret, in jus illud univerſum, quod hæredis-inſtitutor habuerat*; ut eundem hunc, quem ab obitu ſuo viſuri quondam eſsent aliarum Cæſaris provinciarum poſseſsorem, paterentur, ac vellent, regni quoque Bohemici *deſignari Sibi ſucceſſorem, ac nominari*. deſignatum autem, & nominatum, REGIS Bohemorum-ELECTI TITULO, ritúque publicô, coronarent. id, quod aſsenſu, per omnia concordî, domus Auſtriorum univerſa comprobatura ſit: omníque ſuo, quasvis ad ſucceſſiones, juri, conceptìs verbis renuntiatura. fidem deniq; *renuntiationis* hujus, Auſtriacorum unumquemque, Bohemicis Ordinibus in manum datô

Digitized by Google

datô chirographô, facturos eſse, Cæſar aſſeverabat.

Ferdinandum igitur, Archiducem, Styriæ pluriúmque ditionum aliarum potentem regulum, legere *Bohemiæ* quoque *Regem*, poſt ſe gubernaturum, ne dubitarent. Super inaugurationis autem ſollemnis, primô quoq; tempore peragendæ, die, deſignandô, poſtquam elegiſsent aut publicâſsent regem, continuò ſtatuerent, ac decernerent.

Inter hæc verò, *Ferdinandum*, Ordinibus regni Bohemici juramentô, verbîsque, ſuâpte manu ſcriptîs, & in manus Procerum traditîs, confirmaturum eſse, quæ ſequerentur.

Quoad ſuperſtes futurus Matthias Cæſar ſit; auctoritate propriá ſe Bohemici regni gubernacula nequaquam attacturum: nec Reipublicæ regiæ, Cæſareæve, negotiis intruſurum operam ſuam; niſi, de Cæſaris inprimis voluntate; dein verò, conſuetô *quoque regni ſupremorum Ordinum, juriſq; provincialis Aſſeſſorum, ſuperaccedente conſiliô. Quibus legibus ſtaturum ipſum, & uſurum, ad obitum uſque Cæſaris;* (24) *ſolô tantiſper* Electi Coronatiq; regis *titulô contentum. Privilegia, ſuper hæc, & immunitates Regni veteres, eum ratas ha-*

Ferd. Archid. promotio ad regnum.

biturum: aliáq; cuncta, prioribus ab Regibus, inſtitutô vetere, præſtita, ſe quoq; præſtiturum, appromittere.

Talia, taliúmque non diſſimilia, libellus ille Cæſareus, Ordinibus ad expendendum ingeſtus, proponebat.

XII. Super his igitur eô confeſtim, quo Comitia cœpta ſunt, (qui *Martis* erat,) poſteróque *die*, deliberatum ab Ordinibus eſt. Quibus ſic exactîs diebus, in Curiam provincialem maximâ reditum frequentiâ; Cæſaréque cum Archiducibus ibidem denuò præſente, reſponſum eſt: Cùm clementer ac pacatè regantur à Cæſare Matthia Bohemi; non eſſe quidem cauſſam impræſentiarum, & eô vivô, de ſucceſſore Rege cogitandi. Providentiam tamen Majeſtatis ejus, de Succeſſore, pacis ac tranquillitatis publicæ conſtabiliendæ cauſſâ, quærendô, quoniam ea ſanè provincialium amore ſuſcepta ſit, non poſſe non omnibus viciſſim amabilem & pergratam accidere; tantòque præterea magìs probari, quòd ab ejus Majeſtate ſucceſſor in regnum is deſignetur, & expetatur, qui nepos Annæ, quondam Imperatricis pariter, & regni Bohemorum hæredis

dis è Ladislao patre, Ferdinandíque præſentis proavô, ſit; quíque propterea, quodam ſtirpitus innatô propenſionis affectu, Bohemos & ipſe proſequatur: princeps, qui, præter ductam è Cæſaribus, regibus, & Archiducibus originem, inſuper ornamentîs omnibus, & aptitudine, floreat, regem decentibus, & univerſo regno venerabilem reddentibus. Unde proinde, conjecturam ducere, pronum univerſis ſit; Ferdinandum hunc ipſum, eundem, ſuíque ſimilem, fore ſemper: ac nimirum AD DEI Ter opt. max. GLORIAM, & populorum emolumentum, ſuô tempore præfuturum. Ut adeò conſilium Electionis iſtius non *hominum* videri, ſed *DEI*, poſſit.

Quapropter *eligere* ſe, concordibus omnium, (25) in comitio tunc collectorum, votîs ac ſententiîs, & *electum publicare*, Sacroſanctæ TRIADIS accedentibus auſpiciîs, BOHEMIÆ regem, FERDINANDUM Archiducem, Matthiæ, (Cæſaris, ac Bohemorum regis,) adoptivum filium: in eás tamen conditiones omnes, ac ſingulas, in quas ipſe Ferdinandus ante triduum, eodem in loco, ſuâ Cæſaríſque voluntate, ſcriptîs expreſsâ,

Ferd. Archid. rex Bohem. Electus.

deſcenderit: quam etiam pactorum, & obligationis, fidem Ordinibus regni ſe factum ſyngraphâ ſuâ, ſpoponderit. Ejus generis, tum alias eſse, de veteri Bohemorum more juréq; leges; tum & has, cæterìs præſigniores: Superſtite Matthiâ, curarum regni, niſi juſsum, aut conceſsum, nihil attingere, tractaréve, Ferdinandum. *Regis* interea *Coronati* nuncupatione contentum fore. Regni privilegia, *Gratiásq;* (quæ vulgò nominarentur) *Majeſtatum*, immunitates, jura, *probásq;* (26) conſuetudines, & inſtituta, *nunc* polliceri, ſe confirmaturum: poſt Imperatoris verò deceſsum, *reipsá*, ſingula per membra pactorum, habiturum rata, ſarta, tecta. Quæ ſi præſtiturum ſe Ferdinandus recipiat; ſe quoq; Regni *Coronam* quàm primùm Carolſteniô Pragam devehendam curaturos: inaugurationi futuræ *coronarium*, ex more, collaturos (27) honorificum: diem interim inaugurationi Ferdinandi (ſi Cæſari præſertim placeat) deſignare ſe, Junii menſis viceſimum nonum, Apoſtolorum principibus ſacrum: & coronationis locum, Ædem arcis Pragenſis, Divo Vito martyri dedicatam.

XIII. Secundùm hæc, eô, quem expoſui,

poſui, modô depacta transactáque, *Comes* regiæ Pragenſis *caſtellanus*, voce clarâ perrogatîs omnibus univerſim, qui tum aderant, Ecquis eorum omnium, quidquam adhuc, quod contrà moveret, vel tacitus ſentiret? id nunc expromendi tempus, & fas, eſse; poſtquam nemo ne mutire quidem inventus eſt; idem is, in medio ſtans comitii: *QVOD fauſtum igitur* (inquit) *fortunatúmq; ſit, quódque Diviniſſima* Trias *omnî favorum cæleſtium calculô comprobet! Bohemici, quotquot unà ſumus, Ordines, regni totius ore ſenſúq;, Sereniſſimum FERDINANDVM Archiducem, ex hoc temporis momentô, REGEM noſtrum accipimus, & declaramus. VIVAT REX FERDINANDVS! ac floreat longævus; ſibi, nobis, & BONO Bohemiæ PVBLICO!*

Secutæ mox, curiæ totius acclamationes, & voces eædem, feſtô cum applauſu: Rege novô, porrectam primis Optimatium dexteram, in animi grati pignus ac ſignificationem, jungente.

XIV. Quidquid autem utrimque tunc promiſsum & decretum *in comitio* fuit; id ſuô poſtmodum tempore locôque (quoad

Ferdin. rex Bohem. electus, & coron.

ejus fieri, pace Superûm, potuit) repræſentatum eſt *foris* : inter quæ, præſertim *Inauguratio* Regis conſpicua, Junii diem (uti Proceres deſtinârant) penultimum honeſtavit. Verumtamen, ejus pompæ, cærimoniarúmque, ſingula quæque pertexere ; non noſtri *laboris*, ad potiora feſtinantis, ſed *otiorum* eſt, ac theatralium feriarum, opus. *Metrum* tamen, ad Operis hujus extremos cancellos, eorum nonnulla delibabit.

Quòd autem ſuperiora nonnihilo diffuſiùs, pérque minutiora ſubinde, tradiderimus : id venerationi dedimus, & innocentiæ, *Domûs Auguſtiſſimæ* : quam, Ferdinandæîs in Actis, annorum proximè ſecuturorum *livor*, & rerum quandoque Germanicarum (præcipites apud calamos) peregrinitas, arrodet. Profectò, nec *Ambitionis* ingenium, nec *Coactionis* clavus trabalis, fuit hæc *Electio*. vel, ſiquibus iſthæc adhuc *Intruſio* videtur : ex his, quæ memorata ſunt à me, nec exterorum eſſe malevolentia debet *irreprehenſa* ; neque candoris Auſtriaci perpetuus tenor *indefenſus*.

TESTI-

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) *Qui tunc, contra Ducem Sabaudiæ militabant auſpiciis Philippi III. regis Hiſpaniarum; eos non omnes continuò neceſſe erat,* Hiſpanos *& ipſos fuiſſe: ſed eorum plurimi Mediolanenſes, & Inſubres aliorum nominum, erant. multi quoque Italici, ducum Mantuani & Maſerani ſtipendiis aut auctoritate, ſed à partibus tamen Hiſpanicis, bellantes: & ideò* Hiſpanienſes *(quia caſtra ſectantes, aut cauſſam, Hiſpanorum regis,) potiùs, quàm* Hiſpani *ipſimet, erant.* Hiſpanum *porrò, &* Hiſpanienſem, *diſtingui; habes & apud Martialem, Hiſpanum è Bilbili poëtam, epiſtolâ nuncupatoriâ libri XII. epigrammatum.* Ne Romam *(inquit)* non *Hiſpanienſem* librum mittamus, ſed *Hiſpanum.* (2) Nariſci, *Ptolemæi tabulis, ex antiquitate revocatis, olim erant, ubi ferè nunc populi finésve Superioris Palatinatûs.* (3) Cogitationes Pacis ego cogito ſuper vos, & non afflictionis *&c. Jerem. cap. 29. à v. XI.* (4) *Eſdra 2. cap. 4. v. 17.* (5) Vercellæ, *à Carolo Stephano, & Adriano Junio, aliiſq;, Urbs dicitur Italiæ tranſpadana, in regione Italiæ Undecimâ, Taurinis vicinâ.*

Ll 4 *Para-*

Hiſpanica, Sabaudica.

Paradinus, *in Sabaudia ſua*, *Italicè compoſitâ*, *ait*; *eam vocatam olim fuiſſe* Vercell en Piedmont, *ad diſtinctionem* Vercellarum in Liguria, *apud S. Hieron. quam is ait*; *avô ſuô*, rarô fuiſse habitatore, ſemírutam. (6) *Dionyſius Petavius*, *in Rationario temporum*, *Parte* 1. *lib.* 9. *cap.* 14. (7) *A Gotthardo Arthuſio lib.* 22. *Slejd. Rediv. pag.* 1521. *col.* 2. Annone *dicitur*: *niſi mendum aliquod intervenerit librariorum*. (8) Ducati; *non* floreni. (9) *Vide S. Franciſci Valeſii Vitam*, *latinè ſcriptam in* 12. *ubi de modis conſervandæ religionis Orthodoxæ*, *quos B. Saleſius Sabaudo Duci ſuggeſſit*, *admodum utiliter*; *ob capacitatem videlicet pii principis*: *cujus in corde ſemen verbi divini bonum*, *fructum protruſit optatiſſimum*: *ut & in ſucceſſoribus ejus*, *in hodiernum uſq; diem*; *quæ DEI fuit gratia*. *Quibus ſanè fructibus* (*ut hoc*, κατά τινα παρέκβασιν, *curioſo talium lectori*, *gratificer*) *fructus*, *longiſſimè contrarios*, *ac Saleſianis diſſimiles*, *ſe ſperavit ſeminaturum Proteſtantium* Quintus Evangeliſta, *in corde unius è majoribus Caroli Emmanuelis*, Sabaudiæ *Ducis*: *dum*, *ad eum à Catholicis alienandum*, *omnem movens lapidem*, *è Saxonia litteras dat*, *aſſentato-*

Digitized by Google

zatorias quidem, ſed, (ut res, lingua, ſtylus, loquuntur) hirtas, & inurbanas: quæq; certè, ſpe ſaltem ſuâ deluſa, pro Pedemontio, Trachonitidem ararunt; cavámq; ſeverunt ſiliquam, in Arabia ſabuloſâ. Princeps enim (ſicut & ejus Sereniſſima poſteritas) in Eccleſia majorum, ut immobilis Columna, *perſtitit: dum interea larus, ad piſcem expetitum hians, ità ſcribit VVuembergâ, annô milleſimô, quingenteſimô, vigeſimô quartô.*

Dem Durchleuchtingen / Hochgebornen Fürſten vnd Herren / Herren Karolo / Hertzog zue Sophy / ſeinem gnädigen Patron in Chriſto / Martinus Luther.

Gnad vnd Frid / in Chriſto Jheſu / vnſerm Hailand / Amen. Aufs erſt / beger ich / Hochgeborner Fürſt / dein Gnad wöll mir für guet halten / daß ich vernichter Menſch darff / weder gehaiſſen / noch erſuecht / zue deiner Höche zuevor ſchreiben. Das thuet die Herrlikheit deß Euangelii / in welcher ich auch mich berüeme / vnd frewe / wo ich yrgend ſehe vnd höre die Liechter aufgehen. Darumb ſoll dein Durchleuchtige Gnad der Euangeliſchen Sache diß nachgeben / daß ich ſy von erſt begrüeß. Dann / ein Geſchray iſt für vns khommen / vnd daſ-

Sabaudiæ Dux, ſollicitatus.

ſelb hat Annemundus Cotus, ein Ritter auß Frankhreich/ der ſeer prünſtig in die Herrlikheit deß Euangelii iſt/ beſtättiget; wie der Fürſt von Sophejj ein groſſer Liebhaber der lautteren Gottſeligkheit ſey. Ein ſeltzame Gab iſt fürwahr das/ vnder den Fürſten. Derhalben hat mich für guet angeſehen/ daß du/ wyrdigeſter Fürſt/ von mir Vnwürdigeſten/ wurdeſt durch mein Freude vnd Wunne/ ſo ich an dir auß ſchuldigem Verdienſt habe/ aufs wenigeſt Gebenedeyet vnd geſterkhet. Damit Christus möcht/ mit dem faſt ſchönen Exempel deiner F. Gn. vyl gewinnen. Daß aber dein F. Gn. gwyßlich müg erkunden/ wie ferr ſy mit vns vberkhomme (*i. e.* übereins komme/ vnd einſtimme/) vnd diß/ was Küerchenraubiſchen Sophiſten darwider vnder dem Bapſt haben gelehret; ſoll mir nit verdrüßlich ſeyn/ hie ettlich Hauptſtukh/ nach einer Ordnung erzehlen/ vnd mit den/ gleich Vrſach vnſerer Lehr halben anzaigen: Damit daß dein F. G. habe/ was ſye wider die Sage vnd Antwurte/ die verkherte Ding wider vns reden/ vnd wöllen die Lautterkheit deiner F. G./ mit Luſt deß Teufels/ verſuechen.

Zum Erſten/ werden wir geleernet/ vnd leer-

leernen / daß deß Hails Anfang / ja die gantz Summ (*en, quàm ſubdolè irrepat Pſeudopropheta, in doctrinam ſuam, de Fide nuda & ſpeciali Novatorum, qua Sola juſtificet ac ſalvet! quod mox clariùs, §. 2. apparebit*) ſeye / der Glawbe in Chriſtum. *&c.*

Auß diſem Erſten Hauptſtukh volget / daß ein Kyrchen-raub / vnd Grewel iſt / was biß-her Biſchöff / Hochſchuelen / Klöſter / von Gnuegthon / verdienſtlichen Werkhen / füeglichenn vnd gleichwirdigen / in der gantzen Welt außbrayt haben: vnd / daß alle Einſetzunge der Klöſter vnd Pfaffen / gentzlich Secten der Verderbnus ſeyen.* Darumb iſt alle Müeh vnd Arbeit aller Klöſter / vnd Werkheyligen / vmb ſonſt. *& alia maledica, falſa, impia complura*, reti *harum in Ducem* inſidiarum *incluſa, & nimis meridianè tralucentia. quod proinde* rete fruſtra jaciebatur ante oculos, *adhuc limpidos, talium* pennatorum. *Quocirca ſurdo fabulam, in illis etiam Epilogi ſui verbis, occinebat Balaam iſte. dum ſubdit.*

Das iſt ſchier die Haupt-Summa / welche ich wölt / Durchleichtigiſter Fürſt / daß dus mit höchſtem Fleiß helffeſt außprayttten. *& paullò inferiùs.* Der halben fahr fort / Durch

* Sabaudiæ Dux, ſollicitatus.

Durchleuchtigiſter Fürſt vnd adelichſter Herr; vnd mach/ daß das Feur von dem Hauß Sophey gee/ wye von dem Hauß Joſephs/ vnd ſey im gantzen Frankhreich / als agen / vnd brenne/ ja flamme. *&c.* *Quibus*, bis *ſubdit*, Amen, *hoc eſt*, fiat! fiat! *Sed*, ſemel locutus eſt Deus, *& dixit*. Non fiet. *ideóq; nec factum eſt: & futuri ſpem, irridebit annus 1619.*

Sed interim elucet, ex his; quantum improbæ fiduciæ Luthero ſuſcitârit, eô tempore, unius Cotti *mendax de Carolo Sabaudo ſuſurrus, & rumuſculus, jactantis futurum, quod fieri cupiebat. Verùm*, *tam* malus *fieri non poterat, qui* Carolus *erat III., cognomentò BONUS; Beatricis, filiæ Emmanuelis Portugalliæ regis, maritus; Catholicis ortus, annô 1486. Catholicè vitâ functus, annô 1553. die 27. Auguſti, pridie S. Auguſtini, Doctoris Eccleſiæ, cujus ſanctiſſimum Ordinem eremiticum Lutherus per apoſtaſiam deſeruerat.* (10) *Hæc Arthuſ. exactè narrat lib. 22. pag.* (11) *Hoc de illis memorat etiam Joannes Cluverus, pag. 774. col. 2. poſt med. Editione Lugd. Batav. in 4.* (12) *Mortuo Philippo III. Hiſpaniarum rege, annô 1619., ex improviſo conjectus in vincula*, incertâ (*ut Gramondus ait*) cauſſâ. *lib. 4.*

Septennium III. Annus 1617.

Digitized by Google

lib. 4. pag. 255. (13) *Hæ geminæ Pacificationes, una videlicet, inter Sabaudiæ Ducem, ac Proregem Mediolanenſem, adeóq; & regem Hiſpaniarum; Altera verò, inter Sereniſſimam rempublicam Venetam, & Archiducem Ferdinandum (quantùm ad legationes, & pacis conciliatores, attinet), ab Arthuſio lib. 22. pag. 1522. & 1523. & pag. 1524. confuſe miſcentur. Sed ità demum, uti hôc locô eas protuli narravique, diſcernendæ ſunt viſa: præſertim, ſi probè expendantur omnia, quæ referuntur pag. 1523. col. 2. med. à §.* Bey allen diſen *&c. Eruetur enim ex illis nebuloſæ narrationis involucris; vix dubium eſſe debere, quin pars eorum, qui pacem promoverunt inter Sabaudum & Hiſpanum, etiam interpoſuerint operam ſuam Venetorum & Archiducis reconciliationi.* (14) *Hoc apud Arthuſium non reperio. Sed videtur extra dubium eſſe: cùm alioqui legum & conditionum iſtarum æquitas altrinſecus claudicatura fuerit.* (15) *De hujus univerſæ proſapiæ ſerie, à Maximiliano I. Cæſ. uſque ad ultimam Maximiliani II. progeniem, vide, præter cæteros, Nicolaum quoque Rittershuſium in Genealogiis, in fol., Tabulâ 2. Imperatorum Archiducum Auſtriæ.* (16 *Die 7. Au-*

7. Auguſti anni 1590. Rittershuſius, in tab. Geneal. cit. & Gabr. Bucelinus in Auctario hiſtor. univerſal. Tabul. Carolinæ ſtirpis. (17) Plus enim, & glorioſius fuiſſe, Triumphare, quàm Ovare tantummodo, nôrunt vel tirones; ac diſcunt paſſim è Livio, & aliis poſt eum: ut, Tacitô, lib. 3. Annal. longè poſt med. ubi de aſſentatrice ſententiâ Corn. Dolabellæ erga Tiberium, è Campania redituriendem in urbem. Diſcrimina verò Triumphi & Ovationis, particularia, ſuccinctè ſimul & clarè tradita à Joan. Schildio invenies; Commentariô in Suetonii Auguſtum, cap. 22. è Dionyſ. Halicarnaſſ. (18) In his R. P. Gabriel Bucelinus, in Hiſtoriæ Univerſalis Auctario, Tabulâ genealogiâ Caroli Archiducis. Hic porrò, defunctum eſſe Carolum hunc poſthumum, aſſignat, annô 1642. cùm Nicol. Rittershuſius annum mortis ejus ponat 1624. ut neceſſum proinde ſit, inverſione numeri poſterioris altrinſecus interveniſſe mendum. (19) Sicut Cicero Lucium, patruô ſuô genitum, appellat fratrem, ad Atticum epiſt. 5. libri 1. (20) Id ſignatè Matthias Imper. expreſſit, in ſuâ ad fratres ſuos, & ad Status regni Bohemiæ, parænesi, apud Gotth. Arthuſ. lib. 22. pag. 1508. col. 1. ad fin. Ipſi quoque Status,

Digitized by Google

rus, *ſeu* Tres Ordines *regni, illud ipſum in Ferdinando celebrant, infrà pag. 1509. col. 2. poſt med.* §. Uber diß auch *&c. ubi & paullò ſuperiùs memorant; Ferdinandum Archiducem nepotem eſſe* Annæ *reginæ, quæ fuerit heres regni Bohemiæ.* §. Dann/ in Betrachtung *&c. in m.* (21) *Ità expreſſè Boicorum Annal. ſcriptor recentiſſimus, Partis 3. lib. 3. num. 5. fin.* (22) *Arthuſio dicitur,* Der Obriſte Burggraff. *pag. 1507. col. 2. poſt med. Cluverius autem, pag. 778. col. 1. poſt med.* ſummum arcis regníque cuſtodem *vocat eum; quem in annum ſequentem nominat* Adamum Sternbergium. (23) *Julianus lib. 6. Digeſtorum.* (24) *De his conditionibus, & à Matthia Ferdinandôque ultrò poſitis fixîsque, & à Regni Statibus deinde requiſitis, auctores Latini, Germanici, Gallicaníque, magno conſenſu tradunt.* (25) *Hîc aliter aliquantò loquitur recens Noricarum rerum ſcriptor, Partis 3. lib. 3. num. 6.* Bohemici (*inquit*) Ordines, menſe Majo, Anno M. DC. XVII. à Matthia Pragam vocati, PAUCIS QUIBUSDAM PRIMUM REFRAGANTIBUS, POST VERO SILENTIO PROBANTIBUS, majore ſuffragiorum numerô, Ferdinandum Archiducem

Digitized by Google

ducem legunt Regni ſucceſsorem. *&c. At Arthuſius lib. 22. pag. 1510. col. 1. princ. & col. 2. fine, nobiſcum ſentit. nec reclamant Gramondus, pag. 242. & Cluverus, pag. 774. col. 2. fin.* (26) *Obſervare, lector accurate, memineris; apud Arthuſium lib. 22. pag. 1510. colum. utrâque, à Statibus Bohemicis, inter Conditiones, ab eis Ferdinando præfixas,* TER *ſignatè voces has, in idem planè recidentes in re ipſâ, poni; cùm* Confirmari, Conſervari, nullúmq; in præjudicium aut imminutionem trahi, *ſtipulantur*, Deß Königreichs Böheim Privilegien. *&c.* alte GUETE Gewonheiten vnd Gebräuch. *& mox infrà*, Alter Gueten Ordnungen vnd Gebräuch. *& deniq; col. 2. poſt med.* Gueter Ordnungen / Alten Herkommen / Gebräuchen / vnd Satzungen. *In quibus, ut vides*, bonitas *ac* laudabilitas *requiritur. id, quod pro cauſa Ferdinandi facit; quem poſtea rebellio, tanquam Conditiones, ſibi à Statibus poſitas, transgreſſum, per calumniam incuſavit. Credidit autem, verum eſſe, quod ea calumnia rebellium mentiebatur, ſcriptor exterus; vir alioqui bonus, & egregiè Catholicus, ſed* ſuarum partium (*quod in hiſtoria vitium eſt*) nimius: *dum in regis ſui geſtis*

geſtis lib. 4. pag. 242. poſt med. ait : Ferdinandus, datam fidem PERJURIO violans. &c. *quem idem tamen inferiùs, pag. 243. circa med. ſublevat, & contra refractarios latenter excuſat. Sinceriùs autem eundem defendit, Boicorum ſcriptor Annalium noviſſimus, Partis 3. lib. 3. num. XI. ubi de Cardinalis Cleſelii captivitate.* (27) Ein gwiſſe Steur zue der Crönung/ nämblich/ Ein halb-jährig intereſse. *&c. ait Gotthard. Arthuſius, lib. 22. pag. 1510. col. 2. ad med.*

METRUM.

Ad finem Operis.

APOCOMMA IV.

CATHARINA,

Regina Georgianorum; in odium Chriſti caſa.

I. REctè, Neronis exagitator, Satyricus affirmat; *Neminem noſtrûm non peccare.* ſed dicti ſani cauſsam adfert, ex altera ſuî parte loripedem, & claudicantem: cùm ait, *Homines nos eſse, non deos.* tanquam

diceret: *In mortalibus*, nullam eſse rectè faciendi voluntatem *ſemper firmam*, immobiliter fixam, & *propoſitorum immortalem*. Sed numquid in *deos*, (quales quidem in Neroniano, vel larario, vel cœlo, vel palatio, verſabantur) cadere nulla poterat, aut iniquitas, aut rectè cœptorum inconſtantia? Præter eum, qui *Solus eſt id, quod eſt*, Solus Unus, Verus, Supremus, à Nerone Petronióque vel ignoratus, vel ſpretus, *deorum* nemo dicere de ſe poteſt, EGO DEUS; & NON MUTOR. (1) *Angeli boni*, ſeſe *deos* non jactant. *Angeli mali*, videri DI, geſtiunt; ac nominari ſe *deos* ambiunt: ſed, oraculô Davidis, (2) *omnes DI gentium dæmonia ſunt*. Qui denique dignitate cæteros ſupra mortales eminent; purpurâ quidem illi, ſed nondum immortalitate, circumdati: de tribunalibus ſanè ſuîs *Judices*, aut è ſoliis *reges*, priſcô loquendi ritu ſe *deos* ſalutari (3) gaudent; ac *deos* haberi ſe, compellunt. ipſi tamen, ex omni deorum veterum exercitu copiâque, vix in ullum celeriùs & proniùs, quàm in *Vertumnum*, illabuntur: ad quem &, (niſi quàm primùm ſeſe referant,) hærebunt.

II. Ec-

II. Ecce! noſtri nuper ævi magna ſpes, in magnâ potentia, *Schahabas*; tot nomen orbémque Chriſtianum colere legationibus, ac donis, ſolitus; & à noſtris invicem percultus: qui *diſcalceatos* (quos vulgus appellat) *Carmeli* montis anachorétas, & eorum Chriſtianè vivendi, docendi, ſacrificandíque ritum publicum, unà cum aris, in regni viſcera receperat; Turcas Orientis & Aquilonis, (etiam noſtris in eo ſerviens commodis,) omnî calamitate mactârat: ſibi ſuíſq; *divinè* cuncta gerere viſus, ac *Deo* proximam utique potentiam affectans; quò, quæſo, demum *inſtabilitatis*, ab hoc potiſſimùm annô, delabi cœpit!

Cùm in regno ſucceſſor fuiſſet fratrum ſuorum, tum Iſmaëlis Tertii, tum & *Emir-Hemſe-Myrſa*, (quorum alterutri, non plenos octo menſes imperanti, tonſor novaculâ guttur, & unà vitam ac regimen, abſciderat:) ipſe Schach-Abas tamen hic, nec *mortalitatis communis* memor, nec *mortis* adeò *propria* ſuſpicax, quam obiturus demum erat Anno Sæculi noſtratis triceſimô, regni quadrageſimô quintô, ſuæ verò vitæ ſexageſimô tertiô: tanquam æternum quoddam

Catharina, Georgianorum Regina.

ævum in terris, tum ipſe ſibimet acturus, tum in prole quoq; multiplici poſt ſe conſtabiliturus: Regum Orientis omnium *progignendi*-ſtudium ſe facilè ſuperaturum, oſtentavit; quando, Salomonis etiam ipſius antegreſsus cubilium multitudinem, præter *Uxores tres*, *Mille* prorſus, & *octingentas* concubinas, *palàm* alere, non erubuit. (*)

III. Præter hanc autem gynæcomaniam, Schachabas hic, in pravas inſuper ſe religiones effudit: Suíque *Mahometis*, (quem is tamen, cum Turca diſſidiîs æternîs diviſum, ac lacerum, ventilabat) ſuperſtitiosô furens amore; *Perſarum-Alcoránum*, ſupra non ſolùm Otomannicum, ſed quemvis alium ſacrorum cultum, omnium infigere mentibus ardebat. Iſtius porrò Conſcientiarum tyrannidis, prima, poſt Turciam, potiſſimáque tempeſtas, è Perſide, *Georgianorum* in terras, eruperat.

Hi, (ſicut in *Ruina* Regum *Perſidis* aliô diximus opere,) populus ſunt, ſecundùm Armeniæ montes: Chriſtianîs jam olim utentes inſtitutîs; ſed noviſſimè, propemodúmque noſtrâ demum memoriâ, repurgatioribus, & ſincerè defæcatîs. Quæ religio-



SCHACH – ABAS
PERSARUM, PARTHORUM REX

gionis ſanitas eis obtigerat, proximè beneficio Numinis, etiam operâ religioſiſſimorum quorundam *Auguſtinianæ* familiæ *Sacerdotum*; qui, noſtrîs è terris, acti tractíq; divinitus, illuc tempore prorſus opportuniſſimô penetrârant.

Schábabas igitur, *Támerâ*, qui *Georgianos* rexerat, armîs tandem oppreſsô, *Gurzianam* quoque ſexûs utriuſque *nobilitatem omnem* in ſuam redegerat poteſtatem. Ex hac, quotquot poſset, in ſuæ legis ritus pertrahere connitſus, dum operam perdit; heroum Principúmque nonnullos, cum multis plebis optimatibus, eâ duritie tractat; ut, relictô ſolô patriô fortunísque ſuîs, in exilio mallent, ac ſub Otomannidis, ſalvâ religionis ſanctitate, vitam trahere; quàm, Schahabæ ſibi demerendi ſtudiô, Chriſtum ejurare.

Regulorum autem quoſdam, conſtantiâ ſacrorum clariores, ne fugâ parî cæteros imitarentur, fraude multiplicî circumventos; alium alibi necandos ſeorſum curat: in cumulum fúnerum adjectîs compluribus eorum aſseclîs, ac proprætoribus. (4) Omnes hi, ne Chriſti ſacris exciderent, ſub acinace ceciderunt.

 IV.

Catharina, Georgianorum Regina.

IV. Nec deſtituêre fortitudinis virilis prævium agmen, victricia, *matronarum* quoque, vexilla: quorum longè maximè conſpicuum populis omnibus extulit, hôc eodem annô, CATHARINA, *Gurzianorum* regina. Cujus, in pugna pro Chriſto, pluſquam Amazonicæ virtutis acta, tam parcè ſucciſéque nobis ab annalium conditoribus eſſe tradita, ſtomacharer equidem: ni compertum haberem, à piis, & acutis, plura, quàm ſcribantur, geſta colligi: cùm, breviariô rerum ſimpliciſſimô, *Catharina* dicitur, A Schahaba tyranno comprehenſa; ſoliô regiô detracta; religionis ad transfugium ſollicitata minîs, illecta blanditiîs, impulſa pœnîs, lacerata crudeliſſimîs tormentîs: animantibus tamen ipſam aſcétîs *Auguſtinianîs*, ex ungulis unguibúsque milvorum Perſicorum evolâſſe; non in *Sinam* Arabiæ, ſed in cœleſtis Jeroſolymæ *Sionem*. Altiùs autem efferri nulla poteſt Anima; quàm, ut in ſinu quieſcat Altiſſimi. (5)

TESTIMONIA.

(1) *Malachia cap. 3. v. 6.* Ego Dominus. *&c. Et pſal. 101. v. 28. & Hebr. 1. v. 12.* Tu

Tu autem idem ipſe es. *&c.* (2) *Pſal.95. v.5.* (3) *Exodi cap. 22. v.8. dominus domûs, applicabitur ad deos. & v.9. ad deos utriusq; cauſa perveniet. i.e. ad judices. ſubditur enim protinus. Et, ſi illi judicaverint, reſtituet. De iiſdem canit pſalmus 81. v.6. Ego dixi, Dii eſtis, & filii Excelſi omnes. Vos autem, ſicut homines moriemini. Vide & v.1.* (*) *Hæc & in Icone ſcripta reperi Schachabaeá; per Dominicum Cuſtodem incisâ: mihiq; à Nob. & Clariſs. Viro, Greg. Hillingio, Archiatrô Norimb. transmiſſâ, Auguſto menſe anni 1675. Redolent autem Perſicam poſtremorum temporum Archontologiam. De* Schaaba *verò, plura reperies in Ruina Regum Perſidis, à me tradita, à pag. 1045. edit. Dilingana.* (4) *Appamianus, in ann. 1617. num. 9.* (5) *Idem ibid. Pluſculum verò de his egi Decadis Ruin. 4. Parte 2. pag. 1062. & pag. 1063. & 1064. Edit. Dilingana.*

METRUM.

Ad Operis finem.

Catharina, Georgianorum Regina.

Annus M. DC. XVIII.

Anni M. DC. XVIII.
Geſtorum
SYNOPSIS.

I. M*Uſtápham*, Achmétis, Turcarum Sultani mortui, ſucceſsorem ſeſquibimeſtrem, à *Vezirio* detruſum ſoliô, cuſtodiæq; redditum; Annus, proximè ſuperior, vidit, ac memoravit; ut & illud: Ei, menſe ſtatim Januariô, ſuffectum eſse filiorum Achmetis natu maximum, *Oſmánem*.

Hic, etſi duodecennî non major, ingentium tamen animorum, & ingenii jam tum fervidiſſimi deprehenſus, adoleſcentulus; per eundem militiæ prætorem ſummum, cujus operâ gubernacula ceperat imperii, cœpit ac perrexit éadem firmare ſibi; contráque Perſicam inprimis potentiam vallare. Miſit igitur è Thracia Natoliâque (quæ Minor eſt Aſia) lectum exercitum ingentem, adversùs *Schach-Abam*, Parthorum Perſidíſq; regem; Oto-

Otomannicæ domûs *hæreditarium* paullatim *hoſtem*. Concurſum ſummîs utrimque viribus eſt, ad Ardavillam urbem. eôque prælîô, quo *millia* propemodum *octoginta*, Turcarum Perſicorúmq;, promiſcuè deleta ſunt; quantumvis Oſmannicorum clades alterius partis ſtragem magnitudine ſuâ plurimùm exceſſerit: tantus nihiloſecius Perſici quoque cruoris torrens fluxit; ut eô perterritus *Schach-Abas*, ille vetus licèt Muſulmannorum, & novus Chriſtianorum, *lanius*, victoriæ tamen ſuæ curſum ultrò repreſſerit: perturbatúsque ſortis humanarum viciſſitudinum ancipitî metu, pacem in poſterum ab Oſmane, *victor à victo*, quæſierit. Eô verò conditiones pacis conſultò faſtidioſéque trutinante; nequa tamen mora dilatióque vota diſturbaret, eam ipſe Perſa, prior ac pronior in tranquillitatem, annuîs Sericarum telarum tributîs depactîs, redemit. (1)

Uſqueadeò ſcilicet Rex hic, poſt negligi cœptum Chriſtianorum Deum, proculcandam ſuámmet etiam auctoritatem viliorĭbus sê præbere, cœperat: &, poſt Georgianorum reginam Regulóſque trucidatos, is, qui terruerat, ubi terroris meritum non

Anni Acta.

fuerat; timere coactus eſt, ubi timoris cauſſa non erat! (2) Hæc in *Aſia* tunc gerebantur.

II. At illô Perſicô longè ſanctius durabiliúsque fœdus, in Europa noſtra, Ferdinandum, Bohemiæ regem coronatum, inclytæ Venetorum Reipublicæ jungebat; & hanc illi. Pacis hujus, annô jam ſuperiore (ſicut exactè docui) ſuſceptum negotium, cùm ad obices adhuc difficultatum quarundam, tanquam ad Adriæ ſcopulos navigium, aliquantiſper hæſiſſet; revulſum denique magnanimitate *Venetorum*, ac ſub hujus anni naſcentem Februarium *Neoſtadii* reſumptum eſt, in Auſtria, Viennæque viciniâ. Revocatîs autem ad æquitatis leges, ac partim magnificâ liberalitate conceſsîs iîs utrimque, quæ priùs in controverſia reſederant; pacificatio, proſperè nuper affecta, nunc proſperiorem invénit exitum: promoventibus concordiæ ſtabilitatem virîs utrobique ſummîs; Aſcaniô Geswaldo, Sedis Apoſtolicæ nuntiô; Georgiô Juſtiniani, Reipub. Venetæ; Julio Medicæô, Magni Ducis Hetruriæ, Legatîs.

Ad horum induſtriam, ac prudentiam, momen-

momentum ingens conferebant, & *Ducis Lermai*, pro ſuo rege ſpondentis, (Hiſpaniarum, inquam,) *auctoritas*; & longè maximum, niſi negare manifeſta volumus, *Melchioris Cleſelii* Cardinalis excellens boni publici ſtudium, *amabilíſq;* rerum tranſigendarum *dexteritas*. (3) Et hunc tamen ipſum (Cardinalem, ajo,) manebat, eodem hôc annô ſecutura, *captivitas*; ſeu cui rectiùs hanc dicere libeat *honeſtam* Erenbergenſis arcis *cuſtodiam*; quò, conceſsu ſummi Pontificis, (ejus cauſsâ præmoniti, probantíſq;,) deportatus poſtea fuit à miniſtris Archiducum, ad uſque cauſsæ totius liquidiorem inſpectionem. Quæ res ipſa *Bohemicarum* poſtmodum, in *Ferdinandum* regem, calumniarum occaſio fuit; aliquamdiu fertilis, & ex voto partium æmularum: quoad, cum tempore denique, non minùs ex opaco *candor* Archiducum in lucem, quàm in libertatem veterem Cleſelius, emerſerunt. (4)

III. Haud multò lætiora (niſi perniciem, Dei providentia detorſiſſet in mali machinatores,) Pacis inſtauratæ primordia, clariſſimæ Venetiarum urbi, Reíq; publicæ, provenissent. Nam, ut omnes intelligant,

Perſi-

Periculoſiorem longè viſceribus eſſe, tabem interiorem, quàm vulgò vulnus, membris conſpicuis inflictum; & peſtilentiorem civitatibus accídere molitionem malorum inteſtinam, ac latentem; quàm foris hoſtem apertum, ac mœnia verberantem: conjuraverant, in ipſo Venetiarum urbis ſinu, pacatô jam Iſtrico Forojulianóque bellô, *tribuni militum*, numerô *Sexaginta*; conjecturâ cauſsæ, quæ conjuratos impulerit, difficilî. num, ob finitum, ante ſpem prædarum expletam, bellum? an, ob ſoluta ſibi malignè (quod, in *tribunis* præſertim, minùs eſt veri ſimile) ſtipendia? vel, quòd miſſionem denique, parùm pro meritis honeſtatam, aut donatam, acceperint: ut omnes geſta noſtra majoris plerumque, quàm aliis æſtimentur, facimus? Ad ſummam! *Conſpiraverunt*: ac, nequid infra Catilinariam improbitatem auderent; delere Senatum ſereniſſimum occidione, curiam & urbem injectîs flammîs, condixerunt. Ut autem & *intus* malum, & *foris*, incluſos urgeret, etiam ipsâ factionis multitudine: communicârant ii parricidæ, tanti ſceleris conſilia, præter *ſexaginta* primos illos, etiam aliis inſuper, ferè *ſeptingentis*,

Digitized by Google

gentis, per urbem ſparſis; è variarum colluvione nationum. Extra tectorum autem ambitum, alios præterea *mille*, lectos & exercitatos in audaciam, tenebriones diſperſerant; per celoces, ac phaſelos, & diverſi generis alia navigia, diviſos, ac præparatos; ut in tempore ſociis conſilii ſui, ſimulac gerendæ rei ſignum dari cœpiſset, operam ſuam conjungerent. Præſtituri verò ſceleſtum hoc eis miniſterium erant, *excidii Venetiarum* variîs, quæ paſſim in naves retruſerant, inſtrumentîs invehendis: inter quæ, faces erant, ac malleoli, ſuſcitandis & propagandis incendiis; tormenta militaria; ſecures, & id genus alia ferramenta: quibus pontes ac tranſitus interſciſſi, flammam reſtincturis aditum eriperent. Maji menſis initium erat: & omne jam malum in foribus; ac primùm omnium, arſurum armamentarium, cum fornicibus arcuatis quinquaginta, flammarum alimento multiplici repletîs: interímque tamen, in tam ingenti conſciorum numerô, (quod obſtupeſcas) *index* nemo: cùm repentè, quod voluntate non emanâſset, neceſſitate prorupit. Conjurationis enim participum unus quiſpiam, in facinore

nore fortè deprehenſus, penitùs diſpare, raptúsque propter id in cuſtodiam; daturus legibus pœnas erat. Has ut effugeret, urbi calamitatis imminentis effugiendæ viam aperuit; conſpiratione patefactâ. Rectè nimirum hic, quantumvis in cauſsa propriâ, judicabat; *Præſtare, conſervari vivum improbum unum, quàm, ab improborum tantâ multitudine tot millia-vitæ-promiſcuæ, dari neci.* Proditori porrò proditionis fide, ſicut res monebat, habitâ; continuóque proximîs quibusque, quos ille nominârat, arreptîs, eadémque faſsîs: indicium *primi vincti*, ceu legitimum & incorruptum, Reipublicæ decretô comprobatur: vita, tanquam *urbis Conſervatori*, ſervatur: præmiorum (quibus, poſt animæ condonationem, majus nullum eſt) appendix prætereà fit; *in Indicem conſpirationis* ipſum, pecunia ſtatim ingens, ac præſens. in *ſanguinis* deinde *poſteros legitimos*, *annua-Summa luculenta*, *de publico conſtituta*. Cæterùm, è facinoris tanti participibus, quotquot in manus venerunt, ii morte pœnas dederunt. Ad decimum Octobris diem *ducentîs* extra portum demerſione ſuffocatîs: ſupplicium reliqui diffugiîs eluſerunt. (5) IV. Tu-

IV. Tutiùs in Italia quietiúſque, pace cum *Hiſpanis* reſumptâ, bellum *Sabaudi* finierunt; eò feliciores, quòd inter cæteros, ſacramentô Pedemontanô ſolutos, *Erneſtum* quoque dimisêre, *Mansfeldium*; omnis, quam paullò pòſt Germaniis per Bohemos importabit, infelicitatis facem: ut in loco ſum expoſiturus. (6)

Pergebant interim, pacis adhuc incurii, flammam ventilare ſuarum, inter Gommariſtas & Arminianos, altercationum Batavi; *gladiô* quoque plerumque *fodientes ignem*; donec eum ſanguine tandem, etiam primariô, reſtincturi ſint.

Hollandicô Calvinô non multò pacatior, PURITANORUM in Scotia ſpiritus; hoc annô *Perthæ*, (7) Scotorum Caledoniorum, ad amnem Taum, oppidô, præter modum omnem verſare ſurſum omnia, deorſúmque, contra Jacobi regis voluntatem ac mandatum, eſt auſus. Is Scotorum illorum furor, ne vel ullos Anglicanæ quoque ritus Eccleſiæ, vel mores, qui Catholicæ pietatis reliquias olerent, approbare videretur; univerſum Romanenſium cærimoniarum, etiam radiolum, & ſcintillam, extinxit; illud enixè

xè cavens, ne *ſemi-calvinianus* tantùm eſſet. Quapropter, Aut Nihil eſſe, laborabat; aut, ad unguem hæreticus.

Cum Scotis his, æmulatione Zwingliani rigoris, in Rhætia Griſones certabant; pro Contumaciæ ſuæ tutela ferociter, etiam ad cædes uſque *Plantanorum* fratrum, (fuerant hi capita columnæq; Catholicorum, illis in vallibus,) & ad excarnificationem diram Archipresbyteri Sonderenſis, progreſsi. Fuit is, ſanctæ memoriæ, *Nicolaus Ruſca*: quem crudeles ſectarii, priuſquam eum, ob conſtantiam in profeſſione religionis majorum, exanimarent, ſuſpenſum in equuleo multîs horîs torſerunt; applicitîs ad nudata-carne latera faculîs; & corpore, coſtarum iliúmque tenus, ſævîs ungulîs diſcerptô. (8) Manſuetudo nempe Sectarum hæc eſt, Phalaridæa! neminem, niſi *ſæpius*, ac *diu*, necare. Truculentiam interea Griſonum iſtam, & increpare viſum eſt, &, exitii celeritate corrigere, *Plurſii*, Griſonici municipii, repentinum, ab illapſu montis, excidium. Id nos ſeorſum trademus.

V. Benigniore nonnihilô, brevioréque, nec tamen omnibus Ancræanæ cauſsæ fautori-

toribus probatiſſimâ, morte, ſupplicium publicum Pariſiis ſuſtulit, *Durandum* quendam; & *Sitium* præterea, gente Florentinum; ac *Sitii* fratrem. Horum priores duo, poëma Satyricum, operâ junctâ, condiderant in Carolum D'Albertum, Ducem *Luinæum*, Franciæque Comeſtabilem: tanquam præcipuum Ancræi Marchionis, & Galigayæ conjugis, occidendorum auctorem. *Sentius* eos ultus eſſe ſcriptîs, arguebatur, eò promptiùs ac dicaciùs: &, quòd eorum utrique commune natale ſolum haberet; &, quoniam, florentibus olim *Ancræi* rebus, ab epiſtolis *Archiepiſcopo Turonum* fuiſſet, fratri *Galigayæ*. Tertius autem ille, quem Sentii dixi fratrem, laqueum nactus, & perniciem eſt, è *transſcriptione* fraterni carminis: unde valuit in eum, & *vulgantis* crimen. Ut adeò, via mortis éadem, & indiſtincta, panderetur tam iis, qui Satyræ verſibus ingenium commodâſſent, quàm, qui ſupremam manum. (9) Mitiùs, utì par fuit, ac nempe fatô ſuô, deceſſit, iiſdem in terris, in quibus ingentî ſemper gloriâ vixerat, *Jacobus Davyus*, Epiſcopus primùm Ebroicorum, poſtea Sénonum Archiepiſcopus;

Anni Acta.

pus ; & Eccleſiæ Romanæ purpuratus, ſub *Perronii* cognomento. Quintus hunc Septembris dies, & annus vitæ ſexageſimus tertius, ævo meliori transſcripſit : virum, Eccleſiæ toti perutilem ; regni Galliarum ornamentum ; orthodoxæ veritatis acrem, & cum victoria, propugnatorem ; in eô cumprimis argumentorum certamine, quo, Bellaquæum ad Fontem, *Philippum Pleſſimornæum*, Calvinianorum ſophiſtarum Călypham, concluſionibus irretivit ; ac Regem, Henricum Borbonium, auditorem, dubitationum nodîs evolvit. (10) *Unus homo*, (quod mireris,) orator, philoſophus, Theologus, diſputator, legatus principum, Politicus, & (quis exſpectâſset?) *poëta* quoque, ſummus : id, quod Gallia prædicavit ; & libri vulgati probant.

VI. In *Germania* verò, mortalitatem eodem, tum annô, tum autumnô, finierunt, duo potentiſſimæ domûs Auſtriacæ culmina ; *Maximilianus*, Matthiæ frater ; & *Anna*, Ferdinandi Tyrolenſis Archiducis filia, Matthiæ conjux : *ille*, poſtridie Calendarum Novembrium ; *iſta* verò, duodecimô poſt lévirum die : quorum utrique fatalis, Cæſaris regia,

regia, *Vienna* fuit. *Maximiliani* porrò luminibus non officit ſcriptor illorum temporum exterus; in laudes ejus non modò ſiccus, (ut & in cæteros pleroſque gentis ejus) ſed, earum imminutione, tantùm non contumelioſus: id, quod non malitiâ, ſed ſolùm immoderato quodam partium ſtudiô, peccat.

Equidem hujus ipſius *Maximiliani* modeſtiam, prudentiam, & in rebus agendis omittendiſque maturitatem, alibi ſuperiùs, cùm de rebus Tranſſylvanicis agerem, ex merito celebravi. quódque feci tunc, mirari ne nunc quidem deſino, ſubmiſſionis ejus tam excellens, in ea fortuna, ſtudium: ut, apice fulgoris *Archiducum* contentus, nec *Sarmaticis* pro gubernaculis, ad quæ vocabatur, capeſſendis ſollicitudinem intenderit, ambitioníſque vel levem ſpeciem admiſerit; nec accerſentes ad *Tranſſylvanicum* faſtigium, vel aure ſaltem, & auſcultatione perfunctoriâ, ſit dignatus. qui noviſſimè denique, cum Alberto fratre, (quod annô proximè ſuperiore vidimus,) alacritate magnanimâ ſpes omnes in *Imperio* celſiores, in Ferdinandi patruelis gratiam, ejuravit: prorſus per-

Nn 2 inde,

Anni Acta.

inde, tanquam ſibi peculiariùs, (tam altè licèt nato collocatóque,) dejiciendi profundiùs animi cauſsâ, dictum divinitus illud eſſet; ALTIORA TE NE QUÆSIERIS. (11) Cuj præcepto ſi morem ex amuſsi gerere ſuggillator *Maximiliani* voluiſſet; fortaſsis inoffenſiore demum ipſe quoque pede feſtinâſset ad vitæ metam: nec adeò præceps eliſiſset animam.

Ad *Annam* quod attinet, *Imperatricem*; naturæ, gratiæque *cœleſtis* ornamentorum nihil in ea non eminuit. Illud autem eminentius, quod & alibi ſuperiùs, ac ſuô locô, delibavi: *Sectarum odium, & fuga.* Quo præconiô, quódnam potuit Auguſta mulier hinc, in *ſæculum mortuorum*, exportare ſecum *immortalius*; quàm, quod ei, cum Epheſino præſule, quin & ipſo cum rege Chriſtô, commune ſucclamaretur? *Hoc habes; Odiſti facta Nicolaitarum*, (quales & hodie ſunt omnes carnarii, pinguiarii, Veneriíque, ſectarii,) *quæ*, (ſubjungit Chriſtus) *& ego* pariter *odi*. (12) Magna laus! etiam extremâ lineâ, laudari cum DEO.

Quò porrò *tergeminum*, (& hôc ipsô, vicinius *omini*,) funus *Auſtriacorum* deprehendere-

deretur, *unius* intrà decurſum anni; præceſſerat, haud antè multò, *Caroli* quoque *Marchionis Burgavienſis* obitus, illius; qui, Ferdinandi Tyrolenſis & ipſe filius *legitimus* (13), haud ex Anna Catharina, Gulielmi Mantuani Ducis filiâ, (ſicut Imperatrix Anna;) ſed ex Auguſtana Philippina, Franciſcô Welſerô genitâ. Secuturæ quoq; paulillò pòſt mortes erant Archiducum, *trium* itidem, & quidem, potentiâ præſigniorum; *Matthiæ* Cæſaris; *Philippi* tertii, Regis Hiſpaniarum; & *Alberti*, Belgarum Principis. quorum primum, annus mox ſequens; at poſteriores duos, annus, biennio ſequenti proximus, ac nimirum, hujus Septennii poſtremus, in cenſum extinctorum referent. In hunc ergò modum, *ſex* feſtinatîs, intrà quadriennii compendium, deceſſibus, majeſtatis Auſtriacæ continuus antehac profluens, minari ſiccitatem videbatur: niſi *Carolinæ* Styrorum reliquiæ, regiſque Bohemorum *Ferdinandi* præparata jam poſteritas, procurſum inſtauraſſent, & vota bonorum impleviſſent. Aliquid nihilominus, ejúsq; non aſpernandæ, calamitatis, huic eidem incubiturum regiæ domui, timeri poterat (quod in eam tamen

laboris plus, quàm *labiis*, intulit) ex enormibus illis terrarum damnis, ac vaſtitatibus; quas, nemini dubium erat, à *cœlo* per hujus ipſius, ac ſequentis anni, *cometam* denunciari, fuiſſe juſſas.

VII. Videor mihi ſidereum hunc futurorum *malorum nuntium*, tantò majore fidei meritô, narrationiſque dignitate, deſcripturus; quantò tunc, cùm ortus & extinctus eſt, jam pridem in vivis agens, & eodem tempore philoſophicis diſciplinis operam *Dilingæ* dans, cum multis æqualium centuriis, frequentiùs, ac diuturniùs, eum contemplatus ſum. Refulgebat enim is ab Orientis æquinoctialis partibus: & nobis, eodem obverſis, tantùm non ſupra frontes, & in oculos, flammîs clariſſimîs incidebat; quoties, poſt horam à noctis medio ſextam, ex *Academicorum* aulâ, conſummatâ re divinâ, revertebamur. Eâ namque tempeſtate, tam *hibernô*, quàm *æſtivô*, Solis curſu, *diluculis* adhuc, ad *Sacrificia quotidiana* juventus *Academica* (ſic à majoribus traditô more,) confluebat.

Cometes hic igitur, (ut ad inceptum redeam,) qui Gramondo Gallo memoratur, *in mo-*

Digitized by Google

in modum ignis miſſilis crines latè diffuſos porrexiſſe; Brachelio verò, *minacî caudâ*, *tanquam flagellô* quopiam, *armatus* apparuiſſe: nobis, *inſtar ſideris prælongi*, *deorſum in ſerpentini gladii* mucronem *deſinentis*, & occaſum versùs inclinati, conſpectus eſt.

Eundem, eodem ipſo tempore (ſi tamen penitùs *eundem*) diversô, ſicut ratiocinantur, aſtrorum aſpectu, ſitúque terrarum, *Thraces*, & *Aſiani*, viderunt; exeuntem, in acinacis figuram, cujus acies incurvata Byzantium intueretur, ac terreret. Quid plus horum minúsve fuerit, in illo *meteóro*; doctiſſimæ Cyſáti, Schœnbergeri, cæterorúmque, nobis obſervationes depingerent; ac, ſi brevitas id operis inſtituti ferret, eruditiùs aperirent. Aſtrorum enim, phænomenorúmq;, ſui noſtríq; temporis experientiſſimorum, illi duo viri nomen, & famam, ex merito gerebant. *Hiſtoricis* ferè, conſenſu placuit; *Cometen* hunc exortum eſſe, penès Scorpionis in Zodiaco ſignum, inter Martem ac Mercurium planetas: unde, pedetentim egreſſus Cancri Tropicum, in Septentriones deflexerit. Ibi nobis in Europa videri denique deſiit; non eâ tamen occubitûs ſui celeritate, quam, & quan-

& quantam, aſſignat ei Belgicus Annalium ſui temporis compoſitor: cùm, *eum ad dies ferè triginta durâſſe*, tradit: *pro numero videlicet annorum, quibus acerrimè poſtea depugnatum in Germania ſit*. (14) At, è diverſo, nos *oſtentum* illud, à *Novembri* vergente præſentis anni, per continentem dein *Decembrem* conſpeximus, in procurrentem uſque ſubſequentis anni *Januarium*: & id, quotidie. Quò proinde minùs, in hoc, falſitatis arguendus Appamiarum epiſcopus ſit; qui Belgæ ſcriptoris à placitis diſſentit: & Gramondus, qui, *ſpatiô trium menſium apertô cœlô* fulſiſſe ſic, ait; ut ætherem, *altâ nocte dixiſſes ardere, vel nocturnô quodam fulgére Sole*. (15)

Germaniæ verò *bellis* quis dicat, è cœlo decretam *annorum triginta* metam? cùm hic, in quo luci publicæ curas has adornamus, *Sæculi decimi ſeptimi tertius* ſit, *ac ſeptuageſimus*; cùm ſit, ab illo præſago ſidere, *quinquageſimus* jam *quintus*: nec adhuc tamen, bellorum in Inferiore Germania finis, aut expeditionum militarium in Imperio quies? Nullus hic igitur præſagiis humanis, ad acûs tactum, locus eſt. Superi, lævum

Digitized by Google

vum omen avertant ; ne, *ſecundùm Annos,* pacem ac bella diſponamus ! *Ab annis* certè *mille* (quod verè fortaſſe Præſes ſcripſit Toloſanus) *cometa major, aut horridior, non apparuit.* (16) Abſit, ut, cui-ſimilis in cœlo, decem ſæculîs latuit, is nunc per ſæcula totidem in terras ſe promat, ac deſpumet!

Potuit hic tamen, ſatìs ſupérque ſuîs omnibus ſe portentîs ac dirîs exſolviſſe, credi, vel in ſolo præſentis anni *motu Bohemico* ; quo, totius Europæ concuſſa tranquillitas, adhuc tremit : niſi cladem terrarum, & incendium imperiorum, exſuflare Marcomannia cœpiſſet, jam antè, quàm hæc à face ſiderum indicerentur. *Novembrî* quippe demum ardere cœlum orſum eſt ; cùm jam antea, *Majô* menſe, rebellio Bohemorum in flammis eſſet. De quo rerum turbine, quàm fieri poterit, accuratiſſimè, veriſſiméque, nunc dicam : ſalvô tamen, per omnia, promiſſæ breviationis rerum inſtitutô.

VIII. POSTEAQUAM, noviſſimîs his tempeſtatibus, in Imperio maximè Romano, culpâ ſceleréque *novationum religionis*, populi, capitáque populorum, alienari

mentibus inter ſeſe, magìs magísque, cœperunt; & alteros alteri ſuſpicionibus, ac diffidentiâ, reſpergere: quò maturiùs firmiúsque *ſuis quiſq; rebus*, & (ut nemo non præſeferebat) *in commune*, conſulerent; ab anno demum hujus ſæculi potiſſimùm *nonô* (velut in ejus percurſu ſubindicavi.) maniſeſtiùs *in fœdera* deſcenſum à partibus, & in fœderum *oppoſitiones*, diſceſſum eſt. Horum alteri, coitiones ſuas *Unionem* nominabant *Evangelicam*; & ſeipſos inter ſe, *Correſpondentes*: quod alibi dixi. Catholicorum è diverſo nexum, imitamentô quodam (quantùm ad vocabulum attinet) illius Gallicanæ Guiſianæque, ſub Henricis tertiô quartóque, *Ligam* appellabant utrique *Catholicam*. Ambæ, Rudolphi II. Cæſaris extremô vitæ potentiæq; trienniô, coaluerant. In quo quidem narrationis articulo, non inutilem *Adolphus Brachelius* operam publico bono præſtitit; quando, principiô ſtatim hiſtoriæ ſuæ, *Principes* utriuſque partis fœderum ordinè claréque recenſuit: necnon eiſdem continuò ſubjecit, exteræ quoque potentiæ, quæ pellicerentur in pacis armorúmque ſocietatem, utrimque capita. Cujus

Digitized by Google

jus inſiſtere proinde veſtigiis, & ordini recenſionis, propemodum ad verbum, (niſi, ſiqua fiat ex aliis acceſſio,) non erubeſcam. Proderit autem id, erítq; lumini, poſteriùs exponendorum eventuum; ut palàm fiat, ad quæ quiſque fortunarum ſuarum incrementa præſidiáve, durîs aut ambiguîs in rebus, vel ex pacto tetenderit; vel è ſperato reſpexerit: ut animîs tantò majoribus cogitata ſuſciperet; aut ſuſceptis inſtaret: id, quod in *Bohemia conjuratis* patebit.

IX. *Catholici* fœderis igitur, de quo dicere cœperam, ſocietatem, annô Sæculi præſentis nonô, cœptam, inter ſe, progreſſúque temporum, aliis ſuper alios accedentibus, auctam, die Julii menſis decimô, coierunt; ex Electoribus Imperii, Joannes Swicardus, Moguntinus; Erneſtus, Colonienſis; Lotharius Trevirenſis, Archiepiſcopi. (17) Wolfgangus Theodoricus, Salisburgenſis archiepiſcopus. (18) Ex Epiſcopis, Archidux Leopoldus; Argentinenſis ſimul, ac Paſſavienſis, præſul. Julius, Herbipolenſis; unáque, Bambergenſis: (19) Henricus, Auguſtanus; Wolfgangus, Ratisbonenſis; Joannes Chriſtophorus, Præpoſitus tunc Elvacenſis, epi-

Anni Acta.

epiſcopus poſtmodum Aichſtadianus: (20) Henricus, princeps & Abbas Campidunenſis. (21) Hanc autem Principum *Eccleſiaſticorum*, & tunc eorum, quos enumeravimus, & poſtea ferè ſucceſsorum, utcunque diu, multitudinem tantam colligârat, primò quidem, ſtudium Religionis majorum, ſartæ tectæ conſervandæ. Poſt amorem antiquæ Pietatis, metus inſuper, haud utique temerè vanéque plerorumque mentes ſubingreſſus; ne, quod hucuſque facere vidiſsent *heterodoxos*, éadem & in poſterum magìs magíſq; quotidie facere perſeverarent: (22) adversùs *Auguſtanæ pacis* decreta, fortunis, ac poſseſſionibus Eccleſiaſticis, manus rapaces injiciendo; vel armatas eis inſidias tendendo. Quod ne poſthac eveniret; declarabatur eo fœdere, concordibus omnium ſuffragiîs, ſupremus armorum, pro juribus Eccleſiarum defenſandis, præſes, DUX BAVARIÆ MAXIMILIANUS, Guilielmi Quinti filius. Per hunc, & hujus auſpiciîs, ut undecunque miles conſcriberetur; útque duces, arma, caſtrenſis annona, pararentur: conſtitutum ingenti curâ, tunc ac deinceps, eſt, *Quantam quiſq; pecuniæ* (ſine qua

Digitized by Google

qua geri nihil poſset) *ſummam*, ſtatîs temporum intervallîs, &, ſub cujúſnam quæſtoriâ diligentiâ fidéque, conferret.

X. *Partis* autem *adverſæ* fœderum ſigniferos, licèt in ſuperioribus ego, præſertímque Septennii tertii limine, non obſcurè produxerim; libet hîc tamen & *Brachelii* fide, verbîſque, clariùs proferre. Nominat is, Ducem Wirtenbergicum (Joannem putà Fridericum); Mauritium, Haſsiæ Landgravium; Marchiones, Erneſtum Onoldsbacenſem, & Fridericum Durlacenſem; Chriſtianum, Principem Anhaltinum, *& alios* (inquit). ad quos & acceſſiſse memorat, *urbes Imperii* Germanicas, *pleraſq;*. Caput autem, & conſiliorum, & univerſi quoque *Correſpondentium* fœderis, Anhaltinô promovente, (23) conſtitutum fuiſse, tradunt, Joannem-Fridericum (24) Comitem Palatinum, Imperii Romani Septemvirum; Heydelbergæ plerumque ſe tenentem.

Subjungit verò fœderatorum hujc Albo, ſcriptor idem; Magnîs inter hæc utrimque ſtudiîs ſollicitatos, ad armorum ſecum impendiorúmve conſortium, *externos* quoque *Principes*, atque populos. A *Pontificiis* quidem,

Anni Acta.

dem, ipſum inprimis Pontificem Summum. tum, Hiſpaniarum ac Poloniæ, reges; Magnum Hetruriæ Ducem; & Belgarum Principem, Albertum Archiducem. A *Correſpondentibus* verò, Britanniæ, Franciæ, Daniæ, reges. è populis; Adriaticos, Hollandos, Transſylvanos, Hungaros, *Bohemos*. Jam tum ergò, ſicut arida ſarmenta concipiendis incendiis, ità *Bohemia*, cum cæteris quibuſdam regionum turbidarum, idonea ſocietatibus *exteris* videri cœpit; quæ novandarum rerum illecebrîs exemplîsque, neque multùm invita, neque valde cunctanter, accenderetur.

Cùm autem BOHEMIAM, & impræſentiarum nominamus, & in ſubſequentibus ſæpiùs accuſare compellemur; non eam ſanè, *quæ qualiſq; nunc eſt*, arguimus: quippe, *laude quavis*, ac præcipuè, *tranquillitatis publicæ*, dignam, & inſignem. Et verò, nec *eam omnem*, quæ Rudolphô II., Matthiâ I., Ferdinandóque Secundô, regibus & Imperatoribus, viguit: cujus, multitudo magna perſtitit inconcuſſa; pietatíque majorum ſuorum, ab uſque *Divo VVenceslao*, reſpondens virtus.

Sed

Sed eam ego loquor, & poſtmodo quoque producam, *pſeudo-bohémiam*, & aliquouſque degenerem ab avita religione *Marcomanniam*; quæ, Joannis Huſſii, circiter, & Hieronymi Pragenſis, à temporibus, aliîs ſuper alias influentibus in regnum ſectîs, paullatim ſentinam ſe, colluviariúmque, præbuerat: Calixtinorum, Picarditarum, Proteſtantium Pſeudevangelicorum, & Calvini Zwingliíque diſcipulorum. Hos pariter univerſos, ut à *Catholicis* ſecerneret, vulgus UTRAQUISTAS, aut *Subutraquaos*, nominabat; eò, quòd, unâ *Panis* ſpecie non ſaturi, *Calicem* inſuper, in *Synaxibus* quiſque ſuîs, expoſcerent, & uſurparent; quantumvis, tam Sacerdotii, quàm legitimorum Sacrificiorum, expertes. (25)

XI. Cæterùm, ſicut inter hos, ob *potentiam* Magnatum ſuæ profeſſionis, ac *numerum* aſſeclarum, agmen ferè ducebant ii, qui ſe nominabant *Evangelicos*: ità, quoties à temporum horum expoſitoribus *Subutraquaorum* acta molitionéſque referuntur, id, in *Lutheranos* plerumque valere, cenſendum eſt; ut, eô tunc locô regnóque, poſt orthodoxorum multitudinem, potiores. (26)

Hos

Hos ergò, poſtremîs maximè turbidíſq; Rudolphi II. temporibus, &, ex quo, ſuam prenſari ſocietatem ab illis, quos dixi, Germaniæ *Correſpondentibus*, ſenſerunt, ingens invaſerat, non Pragæ duntaxat, ſed in omni, ſibi commodô, regni locô, templa nova condendi libido: ne foris, aut *precariò*, poſthac uſpiam, centuriari; néve controverſos, & è Romanenſium indulgentiâ pendentes, agere conventus ac ſynaxes concionales, cogerentur; & ſic, *in diem* quodammodo *vivere*. Viſum his aptiſſimum eſt (ut ad vota demum ſua pervenirent) anni *noni decimiq;* (27) rebus, Rudolpho Cæſari durîs & arctîs, in rem ſuam abuti; cùm is, à Matthia fratre validô circumſeſsus exercitu Pragæ, niſi Pragenſium omnium junctîs armis & animîs defenderetur, extrema ſubiturus videretur. Ibi *Catholici*, Cæſarem adjuturi *gratìs*, numerô viribúsque, ſi ſoli forent, deſtituebantur. *Acatholici*, cæteris adjuncti, juſtas erant ad victoriam copias expedituri; ſed quæſtu ſordido, pactîsque violentîs, mercenarias, hoc eſt, *Si Cæſar, quæ Bohemici Proteſtantes bono Religionis ſuæ peterent, indulgeret: & indulta, diplomate re-*

giô

giô Cæſareôq; firmaret. Inter poſtulata verò, non ſegniter urgebatur *libertas, in regno Bohemiæ nova pro ſe templa conſtruendi.*

Tardè quidem ea, ſed conceſſa tamen demum eſt; quoniam concedentis periculîs expreſſa. Scriptæ, ſignatæ, traditæ nundinatoribus importunis, LITTERÆ; quas MAJESTATIS, & DIPLOMA RUDOLPHINUM, appellârunt. Iis item in vigore ſuo conſervandis, permiſſu Cæſaris, appoſiti cuſtodes ſunt è ſecta; quos *Conſiſtorii* pariter, ac *Privilegiorum*, & Univerſitatis Carolinæ, DEFENSORES nominabant: è *Pragenſibus* ferè proceribus delectos. (28) Has porrò *Majeſtatis tabulas*, in *Apologia* ſua primâ, (29) rebelles affirmant, non à *Rudolpho* duntaxat ſibi traditas, ſed à *Matthia* quoque poſtea, Rudolphi germanô, primîs ſtatim aditi regni Bohemici curîs, non *univerſim* modò, verùm & *per ſingula quæq;*, (putà, conſtruendorum etiam fanorum facultatem,) validè cumprimis approbatas; inſigniq; munificentiâ conſtabilitas fuiſſe. Nos, quid illi *pro ſe, contra regem* ſuum ac Cæſarem, afferant, parùm ſolliciti; ſatìs habemus, affirmare pro

Oo com-

Anni Acta.

comperto; quod poſtea conſultiſſimus quiſque ſinceriſſimúsque, verbîs Diplomatis exactè trutinatîs, judicavit; *Proteſtantes Bohemos*, in laxa verborum interpretatione *juſtô longiùs* (ut ne dicam, quod quidam (30) dixit, *malignè*) progreſsos.

Cùm enim in *Majeſtatis tabulis* (uti Matthias poſtea Gæſar illis demonſtravit,) ſcriptum eſset; *Solis* regni Bohemorum *Statibus* copiam fieri poteſtatémque, nova templa, *ſuîs in fundis*, exſtruendi; clientium verò, ſeu *ſubditorum* quorumcunque, vel *alieni fundi*, nec unâ quidem voculâ, vel apice tenus, mentio fieret; minimè gentium autem, fundi, vel poſseſſionis-*Eccleſiaſticæ* (31), quem fundum cuivis, etiam *ſubdito*, fas foret, ædificationibus involare: Cùm hæc, inquam, ità ſe, quemadmodum relata nunc ſunt, haberent; *Subutraquiſtæ* Bohemi, Juris Pontificii neglectores, Civilis autem contortores, ad ſuas omnia partes trahendo, divina miſcuerunt humanis, & profana ſacris. In diſcernendis porrò fundis, ac poſseſſionibus Eccleſiaſticis, à civilibus & regiis; cavillatores magìs, quàm eruditi, legulejos ſecuti ſunt, Henricianos in Anglia, Carolinos in

Digitized by Google

in Sueonibus, Chriſtiernæos in Cimbrica Cherſoneſo, cæteróſq; nonnullos cæterorum Septentrionis exarchorum: quibus perverſè placet, ac ſedet, *Omnia regnorum ac Principatuum bona, poſſeſſionéſq;, præſertim verò, quæ Reges Principéſq; patronos & auctores agnoſcant, regum & principum eſſe; fuiſſéq; nominatim, ad id uſque temporis, in regno Bohemiæ; plenô proprióq; dominiô* (32), *regiam ad quæſturam ſpectantia.* Regum eſſe, fuiſſéque ſemper, ſupra patrum quoque memoriam, quidquid *Bohemia* comprehenderet: adeóq;, citra controverſiam ullam, *Epiſcopatuum* etiam & *Archiepiſcopatuum*, multóque magis *cœnobiorum* omnium, urbes, oppida, caſtella, villas, pagos, agros, ac fundos. Super iis, mandandi, diſponendi, necnon eos alienandi, donandi, commutandi, ſumendi retrahendíque, plenam & arbitrariam eſſe Regi poteſtatem: fuiſſéq; Ferdinandi quoque primi, Maximiliani ſecundi, noviſſimèque Rudolphi temporibus, (33) & adhuc eô, quo Bohemis conceſſa PRIVILEGIA MAJESTATIS eſſent, annô. nec aliâ ſanè mente, vel auctoritatis ſuæ reſtrictione minimâ, Rudolphum ea conceſſiſſe. Summa-

tim! in fundis ac poſseſſionibus Bohemicis; antiſtitum & Abbatum, *uſum* eſse *fructuum*, & *adminiſtrationem*, quoad illi viverent: *regis* autem, (ut in bona fiſci regii,) jus & arbitrium in eas perpetuum: ac circùm eas, poſseſsoribus etiam invitis, ſtatuendi poteſtatem ſupremam. (34)

Quocirca, ſemel indultô Bohemis, per *diploma Majeſtatis*, ut *Proteſtantibus* fas ſit, nova templa ſuum in uſum *in regno* condere: cùm ad Regem regnúmque ſpectent *univerſa* ſoli Bohemici, ſeu *propria* cujuſque, ſeu ſint *aliena*, ſive *ſacra* cenſeantur dicantúrve, ſive *profana*, profeſſionis: *nullo diſcrimine magnatum, ac populi*, quiſquis argentum in ſtructuram impendat ac conferat, ubilibet ei ſtruendi fana, jus eſse: cujus juris *imminutioni*, ſiquis eam tentaret, *litteras* obſtare *Majeſtatis*.

XII. Hac igitur, quam retulimus, tam interpretationis privilegiorum, quàm ipſorúmmet interpretum, impulſi fiduciâ, privatæ quoque ſortis homines ex *Utraquiſtis*, præſertímque Lutheranorum aliquantò pecunioſiores, ſtipe plurium collatitiâ, moliri delubra jam tum orſi ſunt; ex quo, *tabulas* illas

illas immunitatum *Rudolphinas* extorſerunt. Ac principiò quidem, ædificabatur in ſolo, controverſiis nullis expoſitô: de quarum baſilicarum unâ quapiam in ſuperioribus narratum eſt annîs; intrà Pragæ muros conſtructâ. Sed è veſtigio ſequebantur, qui ſtruerent & in *alieno*, ſuburbanîs Pragæ locîs. Fuerunt autem hi, Proteſtantes *Brunovienſes* (35); &, hos ſubſecuti, *Cloſtergrabienſes*. (36) *Brunoviam* Brachelius, & Matthias ipſe Cæſar, *oppidis* adnumerant (37): quam & Ordines Bohemici, ſuarum apologiarum quadam, (38) *urbem* appellant. Hoc verò, tam oppidum, quàm ejus omne ſolum, ditionis ac juris eſt Abbatum & monachorum, qui connexum Brunoviæ cœnobium incolunt. At *Cloſtergrabium*, Brachelio *vicus*, Imperatori Matthiæ nunc *oppidum*, nunc *urbs*; (39) proteſtantibus Bohemicis, in *Defenſione* facti ſui, per contemptum, eſt *urbecula montana*. (40) quam vocabuli vilitatem ab illis hujc loco rear aſperſam, non magìs ob exiguitatem ſpatii, quàm propter indignationem, quâ *Defenſores* inflammavit in Cloſtergrabianos, eorum *præpropera* (ſicut ajebant) *obtemperandi vecordia*.

dia, qua Romanenſium edicto paruiſſent. Cùm enim *Cloſtergrabienſes* cives, ſectâ quidem Lutherum ducem, ſubjectione verò Pragenſem Archiepiſcopum, ut oppidi dominum, agnoſcentes, exemplô Brunovienſium ædem & ipſi ſtruere, ſed in ſui *Primatis* (diſſentientis, & reclamantis,) fundô, cœptâſſent; ad extremum tamen Archiepiſcopo, Cæſaris è voluntate jus ſuum, ſeveritate, legibus conſonâ, perſequenti, fabricámque funditus ſubruenti, dicto fuerunt audientes: nec de reparatione ſolliciti, ſolum *alienum* domino *ſuo*, poſſeſſorique, liberum ac purum reliquerunt. (41) Laudati verò propter hoc, à prudentiſſimô quôque, *Cloſtergrabienſes* hi; *Brunovienſium* tamen invidiam, & *Defenſorum Utraquiſtarum* fremitum, haud effugerunt: ab his, utpote, tanquam *imbelles*, & *effœminati*, traducti.

Sed, non eâdem imperii patientiâ *Brunovienſes* egerunt Proteſtantes; digni ſanè, qui totius, pòſt paullò ſecuturi, Martialis incendii *prima ſulphurata* nominentur.

XIII. Hi, quod ſuperiùs dicere cœperam, adhuc ſuperſtite Cæſare Rudolpho, ſtruere ſanum ſuum, in oppido (42) ſolóq; *Bruno-*

Brunovienſis cœnobiarcha, conati; prohibebantur ab hoc, *in alieno* quidquam, *invitâ dominâ*, moliri. Contemnentibus autem illîs obnuntiationem hanc, & opus inſtitutum nihiloſecius urgentibus: ut primùm Bohemici regni gubernacula *Matthias* ſuſcepit; annô ſæculi præſentis undecimô, præſul Brunovienſis, æquitatem hinc quidem cauſſæ ſuæ, ſupplex, illinc autem ædificatorum iniquitatem, querulus novo Regi propoſuit; ac remedium popoſcit. Rex, clementer auditô dimiſſôque præſule, poſtquam eádem & è provinciæ prætore, (quem in crimen, ad ſe delatum, & in auctores ejus, quærere juſſerat,) cognovit: ædificatoribus, ut apud conſtitutos à ſe judices cauſſam illico dicant, & opus interim, de quo controverſia ſit, ad uſque litis diſcuſſæ diremptionem, intermittant, auctoritate regiâ mandat. Brunovienſes illi, quantumvis & juriſdictioni præſulis, ut *cives*, & multò magìs tribunali regis, ut *Bohemi*, ſubjecti, pœníſque, ni parérent, obnoxii: quâ tamen fronte *cœnobiarcham* priùs, eádem mox Matthiam, *regem* ſuum, aſpernantur: ac neutrum eorum, quæ mandata fuerant, præſtant. Nam, nec ab

Oo 4 opere

opere cœpto fabros, vel ad punctum temporis, retrahebant; & regis præceptum reſponsô pénitus nullô dignabantur (43): nedum, ut diem, ſibi dictum, obirent. E contrario verò, tanquam *aram aræ* (quod in adagiis eſt) *oppoſituri*, rectà DIPLOMATICOS illos, de quibus ſuperiùs dictum eſt, DEFENSORES appellatum eunt: iíſque mandata Regis exponunt. Ab his autem iſti non modò nihilô reprimuntur; ſed, *tanquam à regum-regibus*, (tanta *ſectarii* ſpiritûs eſt impudentia!) vehementiùs in contumacia firmantur: Utì *diem, ſibi dictum, & tribunalia, floccipendant; ut ædis nova cœptis operibus inſtent; ac, quoad impoſitum his faſtigium cernant, ab iis* nec ad pedis latitudinem *recedant*: (44) *ut mandata denique regia, pro non-mandatis, ac frivolis, hàc tenus, habeant*, & coràm, & reſcriptîs *Defenſorum* iſtorum, incitantur. Ità, ſpretus rex, ludificatus Abbas, inflati Brunovienſes, ſubditi triumphantes, triumphati domini ſunt. ità victum aliquouſq; jus eſt; facta victrix, iniquitas; ædificandi protervia continuata: donec culmen ſuum, opus acciperet.

XIV.

Septennium III. Annus 1618.

XIV. Non abjecit tamen rei tantæ curam rex *Matthias*; ſed diſtulit: quoad, proceſsu temporis, omnia maturiùs, ac præſertim *Diploma Majeſtatis* Rudolphinum illud, quô niti contumaces illos intelligebat, ipſe ſecum expenderet. Sed Rudolphi fratris pòſt paullò ſecuta mors, &, ejus in locum, Matthiæ per Electores in Auguſtum ſolium evectio; tum, poſt hæc, aliorum ex aliis itinerum, & expeditionum curarúmque, catenatæ neceſſitudines: annîs aliquammultis Cæſari, nec Pragæ, nec in controverſis illis curis eſse, verſaríque, conceſserunt. unde, ſuſpenſa lis templaria, tantiſper deſedit: templum ipſum à *Brunovienſibus* erectum; dum interea *Cloſtergrabienſe* jacet. At, annô demum hujus ſæculi decimo ſextô, reverſus Pragam Cæſar, ſepoſitámque *litterarum Majeſtatis* diſcuſſionem reſumens; de ſententia Juris-conſultiſſimorum, probéque ſingulîs etiam per ſemetipſum expensîs, auctoritate ſuâpte pronuntiat; *In diplomate Majeſtatis, Subutraquais Bohemis conceſsô, permiſsam Ordinibus regni, nova condendi templa ſui cultûs, in regio fundo, facultatem fuiſse: quam proinde, ſê quoque ratam habente, ra-*

tam & illis, immotámq́; permanſuram. At è diverſo, quòd ſint, qui contendant, permiſſam iiſdem, in Eccleſiaſtici dominatûs agris, fundô, terrîs, templa, cujuſcunque (nedum Evangelicæ) religionis excitandi, pro cujuſvis arbitrio, dominis invitîs, & adverſantibus, poteſtatem; ejus conceſſionis ne veſtigium quidem ullum in Rudolphinis *apparére* tabulis. *Aliud alii, ſuum cujque, ſuas in res ac poſſeſſiones, jus eſſe. Sinè præjudicio tertii, largiri Principem beneficia debere. Dare profanis, & eripere Deo-ſacratis, Juris eſſe fortaſſe Neroniani: Canonici, vel Cæſarei, ſeu Juſtinianæi, non eſſe. Quòd verò ſint, qui dicant; ſacra, non-ſacra, poſſeſſionis, omnia bona fortunáſq́;, quæſturæ ſubjacere regiæ; falli vehementer eos, qui non diſtinguant inter* fiſcum, *&* Chriſtum; *inter* Cæſarem, *ac* Deum. *Ad ſummam! In his, diplomate ſuo firmatîs immunitatibus,* Rudolphum *Imperatorem (quippe juſti tenacem-principem) noluiſſe lædere jura Sacrorum: ac, ſi voluiſſet quoq́;, ſalvô titulô* Protectoris-rerum-Eccleſiæ, *nequiiſſe, quin, exutâ majeſtate, ſemet in ordinem ipſe redegiſſet. Quòd ſiquibus tamen, poſt hæc argumenta, tam invicta, nihilô ſegniùs etiámnum contentio-*

Digitized by Google

tentionis funem ducere, conſtitutum ſit; &, re licèt clariſſimâ, nodum in ſcirpo quærere libeat: nôſſe, qui tales ſint, oportere, Regum eſse, non autem Regibus-ſubjectorum, *ſiquando dubium quiddam, aut opacum, apparere cœperit in immunitatibus, vel à ſe, vel à præcedentium regum quopiam, conceſſis; lucem tenebris illis affundere: verba, ſententias, mentem, interpretari; ſuâq; Deciſionis oraculô litem amputare: ſicut ipſe nunc faceret, & in præſenti decerneret, ac decretum declararet; ut* Rex, *ut* Imperator, *ut* Lex in terris Animata. (45) *Supremis Principibus incumbere, ſiquid, à ſubditis-ſibi, contra jus Sacrorum flagitetur, id non modò non indulgere; ſed etiam indulta jam, à quibuſcunq;, repetere; dominiſq; legitimis inviolata reddenda curare. Nec id cuiquam videri debere, Judicis eſse duri, vel inhumani. NAM idipſum, partem eſse beneficii; quod* malè *petitum ſit,* bene *negare:* (46) *quin, &* piè; *ne pariter alioquin, & dans & accipiens, pœnas incurrant, offensô per tale nefas DEO, ſempiternas. Denique, cupere ſeſe, Juſtum terris exhibere* Principem; *qui proinde,* juſtâ pro lege ſit, etiam in privilegiis, ducendus. (47)

XV. In

Anni Acta.

XV. In hunc ferè, quem retuli, modum locutus tunc *Matthias* Cæſar, eadémq; repetens in arce poſtea Brandisínâ, Pragæ finibus utcunque vicinâ; præſentes habuit, & auditores, eam ipſam ob cauſsam accerſitos, (48) è *Diplomatis* Rudolphini *Defenſoribus*, viros tres: quorum illuſtriores erant, *Henricus Matthæus*, *Comes Turrianus*, (49) Carolſtenii tunc, & Coronæ Bohemorum regiæ, ſupremæ cuſtodiæ præpoſitus: (50) & *Udalricus Gerſtdorffius*, curiæ regiæ procurator. (51) Hi, quibus animis hanc Cæſaris ſententiam exceperint; paullò pòſt & factîs declarârunt, & conſiliîs, audaciam veterem innovantibus.

Primùm enim, ingratiîs regis, auctoritate propriâ, Comitium omnium Regni trium Ordinum, Defenſores in Collegium Pragæ Carolinum indicunt: juſsis ei, tanquam pro poteſtate, Catholicis etiam intereſse. Laboratur illic ab heterodoxis pro cauſsa Brunovienſium, adversùs Regem defenſandâ. Pro Rege verò ſtatur, ac diſseritur, ab intelligentioribus æqui, nonnullis orthodoxis. Ità tum, Matthiæ decretîs inconvulſis, & rebus infectîs, è concilio diſceditur.

Quòd

Quòd autem tunc in procinctu Cæſar itineris erat, quo Viennam Auſtriæ petebat; mittit is iterum iterúmque, qui Brunovienſibus auctoritate Cæſareâ mandent: fanô, quod in Abbatis area condidiſsent, excedant; quod ſtruxiſsent, id Abbati cedant. Hi primò, ſicut antehac, diſſimulare: pòſt, ignominiam ceſſionis deprecari. ſæpius autem inſtante, mandante, remandante Cæſare, *palàm* denique, *ſe ceſsuros*, *negitare*. nec aliter, ac dixerant, fecerunt. Nimirum, in hanc eos pertinaciam impellebant, aliîs ſuper alias demonitionibus, privilegii Rudolphini præclari-*Defenſores* illi, cumprimísque Turrianus Comes; *negantes*, *Rudolphææ mentis nucleum aſsequi Matthiam: & ea propter, imperiis ejus, (ut in errore verſantis,) obſequium deberi, palàm abnuentes*. Itaq; vulgò Cæſaris legum-inſcitiam, per ſummam inter ſe contumeliam, traducebant; pro fiſco regio facundi, pro regis auctoritate balbi. Quæ poſtquam agi Matthias adversùm ſe, garriríque, ſenſit; claudi templum illud, *contumaciæ ſuſcitabulum*, juſſit; ac templi claves in tabularium curiæ Bohemorum regiæ deportari. Sic Cæſar quidem, hîs poſt ſe reli-

ctîs mandatîs, abiit in Auſtriam: Brunovienſes autem, manſerunt in ſententia; déq; patronorum ſuorum voluntate certi, contraria cuncta fecerunt; jus ſuum Abbati non conceſſerunt; fanum aperuerunt, & intrârunt; fani claves, ſuum in uſum retinuerunt.

Quæ ſiquis univerſa ſinguláque ſecum expendat; nónne videbitur ei BOHEMIA (quæ, qualíſque tunc *Utraquiſtarum* fuit,) bellum & exitium, ſuîſmet ultrò manibus, ac pedibus, in caput ſuum accerſiviſſe? Poterátne *Matthias* (& *rex*, & *imperator* eorum,) aut debebat, eam in ſe, tam ingentem, támque multiplicem, *Majeſtatis* contumeliam accipere; quin, *ferendo tot veteres injurias, provocaret in ſe novas?*

Eorum ergò feſſus tandem, exaſperatúſque, malitiâ, de via *Cæſar* mandat, Pragam miſsîs imperatîs: utì Brunovienſis pertinaciæ præſultores, (52) è civibus illius municipii primîs, ut quiſque cæterîs ſeditioſiùs egiſſe deprehenſus eſſet, in cuſtodiam, & vincula regiæ Pragenſium arcis, rapiantur. Hoc erat, (ſimulac effectum eſt,) rebellionis quatere faces: & Furiarum, quod vulgò fertur, *crabrones irritare*. Seditioſiſſimus quiſ-

quiſque, cumprimis autem, cæterorum facilè caput, *Turrianus Comes* ſenior, obſtructô jam armatâ vî Brunovienſî fanô, conjectis item in carcerem ædificationis præſtitibus, ac ſimul in oculos incurrentibus delubri quoque *Cloſtergrabienſis* ruinîs; in furias ſæviores agi; pérque Cæſaris tunc abſentiam, omnia ſolitô tumultuoſiùs agere. Placuit igitur factioſis illis, *Comitiis* in Carolino collegio jam *alteris*, ſub ineuntem hujus anni Majum, (& quidem, frequentiâ, quàm antehac, denſiore, ſed ſine Pontificiis,) congregari. queri de geſtis, de decretis, & conatibus, Matthiæ Cæſaris. *Non id jam agi, quod actum videant; ut alibi Domicilia, Deo colendo deſtinata, maximisq; ſumptibus educta, poſitoribus ſuis præcludantur, & eripiantur; alibi, ſolo penitùs eradantur (id, quod unum & grande* litterarum-Majeſtatis *vulnus, in* Evangelii *quoque* purioris *opprobrium redundet): ſed in gravioribus inſuper, ſuæ Religionis totius, immunitatúmq;, jugulum ab inimicis, & à Matthiâ, peti. Diſſolvi manifeſtîs paullatim, non modò conatibus, verùm experimentîs quoque, pactam coalitámq;, Catholicos inter, & Utraquiſtas, ſacrorum pacem,*

cem, *&* *in civilibus animorum concordiam. peſſum ire ſenſim*, *&* *univerſa cætera Bohemici regni privilegia. de diplomate Rudolphino prorſus antiquando, de premendis & opprimendis Subutraquæis, agi. Datos in cuſtodiam eos, qui pro libertate fortiùs hucusq; ſtetiſſent. cuſtoditum parî duritie paullò poſt iri, ni præverterent inimicorum ſtudiis, ipſos quoque legum ac privilegiorum* Cuſtodes, *&* Defenſores. *Ad ſummam! in extremo ſitas eſſe Bohemorum, Evangelicæ-profeſſionis, ſpes ac fortunas: &, ſi qui fortè contumeliis iſtis reclamaturi ſint;* vanum fore, ſinè claſſico, clamorem. *In momento, Cæſari præparatum ſtare militem externum: & hunc, ingentibus copiîs, ſimulac tubæ clangor inſonuiſſet, influxurum: niſi pariter armis arma, Bohemúsq; Belgis & Hiſpanis, occurrerent.* AUT NULLAM EVANGELICIS, AUT, A GLADIO, VENTURAM PACEM.

XVI. Hæc, per extremam in Cæſarem calumniam, ementiti Pſeudevangelicorum illi duces; apud credulum præſertim vulgus, fidem inveniebant: cùm è contrario potiùs, rectè rem æſtimantium, neminem fugeret; ipſos priores arma ſpirare jam olim cœpiſ-

Digitized by Google

cœpiſse, variis è cauſsîs: quas clarè ſatìs prodebant indiciîs diversîs, nominatim autem: *Cupidine* fœderis, cum Germaniæ turbatoribus jungendi; *faſtidiô* paullatim eis obortô *ſucceſſionum* regiarum, ex *Auſtriaca* domô: *Metu*, ne ſenſim ab hac, nimis eis orthodoxâ, familiâ, *Ferdinandôq;* maximè, retraherentur ad Eccleſiam: *Studiô* denique, vel ſolô turbidis ingeniis ſuffecturô, rerum (utcunque tandem eæ ceſsuræ forent) *novarum*.

Et id eos cogitâſse, decretô jam ante comitium iſtud inter ſe civilî bellô, patuit: quòd, ab Imperatore, nullô mox illis oblatô novô rebellionis irritamentô memorabiliore, tamen eodem adhuc menſe *tertium* ad *Conventum* Ordines, & ab hoc, ad apertam ſtatim vim, proſilierint. Quid enim aſperum, Cæſaris in litteris, ad inquietos Pragam Viennâ miſsîs? Increpuerat, paternâ magìs querelâ, quàm ſupremi judicis acrimoniâ: *Rege non præconventô, contra legem regni, conventus actos: improbata ſua, traductaq;, circa Brunovienſes & Cloſtergrabienſes, decreta: querelas, adversùm ſe, ſuſpicaces, nec ſine calumniâ contemptúq; majeſtatis,*

Anni Acta.

tis, jactas: & belli metum pánicum falsò populis injectum. Abrogationem verò privilegiorum Majeſtatis, & libertatis ſacrorum everſionem, nec ſibi, nec cujquam ſuorum, in mentem unquam veniſſe. Talia, per immodicum otium, *aut, (quæ deteriora ſint* otiîs,) *per inutilia Comitiorum* negotia, *confingi diſpergiq;. Velle ſe juberéq;, coitionibus ejuſcemodi modum tandem, immò finem, imponi. nolle ſe; Bohemos poſthac ad eas, citra permiſſum ſuum, convocari: nolle, convocatos comparére; vel contumacibus Utraquæis, in poſterum, ut antehac, à* Defenſoribus *auxilium præſtari. Morigeris denique, regii favoris præmium; inobſequentibus, è diverſo, reddendæ rationis onus, exſpectandum reſtare.*

Matthias Imperator hæc regni Bohemici ternis Ordinibus, præcipuéque Rudolphinarum tabularum *Defenſoribus*, ſcripſit. Reorum, neminem unum nominavit. de pœna ſontium, ne per minas quidem, verbum ullum interjecit.

At *Defenſores*, duce tunc quoque *Comite Turrianô*, perinde, quaſi Cæſar mitiſſimus imperia, Manlianîs atrociora, cum faſcibus ac ſecuribus, diſtrinxiſset, ab eo tempore longè

longè ſeditioſiùs agere: fremeréque; *Regem ſuum, ex abſentia vires ſumentem audacia, tanquam gravidam nubibus tempeſtatem, eminus attonare gregem Evangelicum; latentíſq; fulminis, pòſt paullò ſecuturam, iram fulgure noviſſimæ perſtrictionis denuntiare: niſi maturè ſibi quiſq; proſpectum irent; & congreſſu* tertiô, *quantumvis à rege per edictum interdictô, rebus regni conſulerent.*

XVII. *Dies* venerat *Maji*, Gregorianîs in faſtis *viceſimus*, iſque *dominicus*; hebdomadæ *Rogationum* (quas *Catholici* nominamus) initium: quo die, juſſu *Defenſorum*, Ordinúmq; Bohemicorum nomine, per Verbi-præcones Lutheranos, in diem craſtini concilium, in aula Carolini Collegii futurum, promulgatur omnibus è pulpitis Pragenſium *Utraquiſtarum*. In diem autem, præſentem tunc, populis, ad conciones pro more collectis, cura mandatur, *Evangelii purioris* omnî ſtudiô, próque viribus, defendendi; DEUMq; precibus, ut volens favénsque Comitiis adeſset, exorandi. quod præſtaba ..hythmô *de Pace* mox accantatô. (†)

Poſtridie (53) proinde, Carolinum in Collegium, ingens undique frequentia *Subutraquae-*

Anni Acta.

quaorum concurrit. Eſt *Praga* (quoniam hôc locô nos res admonet, ut eam vel obiter adumbremus,) urbs ampla cumprimis, ac populorum capax; meritóq;, regni princeps. Mediam *Multavia*, (vulgò *Molda* quoque dictus,) fluvius interſecat; ab Auſtrína cœli plaga Septentriones, & Albim amnem, petens; cuj mixtus, in Oceanum denique Germanicum elabitur. *Tripartita*, jam olim, urbs, ad dextram Moldæ ripam, quæ ponte ſaxeô ſiniſtræ jungitur, *Veterem* habet *Pragam*; & hujc in Ortum æſtivum adnexam, ſpatiôque diffuſiorem, *Neapolim Pragenſem*, ſeu, quam *Novam* dicunt *Urbem*: *Caroli Quarti*, Romanorum imperatoris, opus. *Læva* verò fluminis ripæ, *Parvum*, quod appellant, *Latus*, (quod idem & *Urbs Parva* dicitur,) inædificatum eſt, murô ſeptum: &, à pontis extremitate ſiniſtrâ, ſurſum versùs, ad Occaſum æſtivi ſolſtitii procurrens, extenditur ad *Petrozînum* uſque *clivum*; cuj *Strahóſa*, cœnobium Præmonſtratenſium, inſiſtit. Hujc autem ipſi *Parvo*, quod dixi, *Lateri*, foris oppidulum contiguô ſitu connectitur, quod *Angezdum* Bohemis, *Neyſsa* verò cæteris, dicitur.

Septennium III. Annus 1618.

citur. unde *porta* quoque *Neyſsaa* nomen hæſit; quâ *Praga Minor*, meridiem inter & occidentem, intratur. Contra *Parvi-Lateris* ſitum, ad occaſum itidem æſtivum, in colle ſtat, & adhuc *urbi-parvæ* contribuitur, olim urbecula; nunc verò *Rathſchinum*, ac nonnullis *Praga ſuperior*, dicta. ponè verò Rathſchinum, inter Occaſum ac Septentriones, *Arx* Pragenſium *regia*; Bohemiæ Regum, quoties urbem incolunt, ſedes, & palatina Curia. Locus hic eſt ſpatioſus; ædium, palatiorum, & ambitûs amplitudine, juſtæ ſpeciem urbis præ ſe ferens; ut adeò, (niſi, velut extra ſortem, trans Moldam conſtituta, *Parvæ Praga* quoquo modo conſerta ſtaret,) Pragam ipſam univerſam facilè *Quadripartitam* effectura foret. Nunc ea pleriſque *Tripolis* habetur; & manet: ut adeò *Palæopoli*, ſeu *Civitate Vetere*; Neapoli, vel, *Urbe novâ*; *Parvô* denique *Latere*, cui Rathſchinum & Regiam accenſent, omnis hodie *Praga* contineatur. *Hebraeorum* enim coloniæ, tametſi ſat amplæ, diſtincta ratio non habetur: utpote, quæ *Veteris Pragæ* Borealem ad partem pertineat.

In ſingulis autem earum *trium*, quæ-

nam, ad inſtitutum noſtrum collatura, nominatu digna præfulgeant; cognoſcere, vel per tranſennam, haud extra rem fuerit.

Igitur in extrema *Novæ Civitatis* parte, quà vergit hæc ad Euroaquilónem, præter fora ſpatiorum ingentium, ac templa, cœnobia, domiciliáque cæteri generis præniti-da, compluriáque; reliquiæ viſuntur molis ingentis, & adhuc in ruinis quoque ſuis antiquæ magnificentiæ pompam ſpirantes; *Arcis*, inquam, ſeptimô poſt Chriſtum natum ſæculô cónditæ: (54) quam *VViſcherádum* vulgò dicunt. *Urbis Veteris*, ſpectabilia loca pleraque ſunt: in quibus, Ædes eſt magnifica, memoriæ *Dei-genitricis* antiquitus erecta. Curia vetus urbica, *Rychta* nomine: Curia poſteriorum ætatum; præaltæ turris, & incomparabilis horologii, ſtructurâ memorabilis. *Caroli Quarti*, ſuperiùs aliquoties memoratum, nec inferiùs ſilendum, grande *Collegium*; & Univerſitas; quam, Huſſiticum ante bellum, auditorum facilè *quadraginta quatuor millia* frequentâſſe, rumor ac fides fuit. (55) *Pons* ipſe, de quo ſuprà dictum eſt, quíque *Veteris* adhuc *Urbis* pars cenſetur, (56) pedes triginta quinque

Digitized by Google

que latus: &, haud adeò procùl principiô Pontis, *Antiquam Urbem* versùs, Chriſti pendentis in Cruce ſimulacrum auguſtum. Ponè denique pontem, & initiô *Pragæ Veteris*, Templum collegiúmque Patrum Societatis JESU, magnificum. *Parvi* demum *Lateris*, ſive *Micro-Pragæ*, trans-Moldam, cùm ampla, ſplendidáque complura ſint palatia, domiciliáque, Veteris & Novæ Pragæ ſtructuris nitidiora; necnon templa, ſuo numerô, quæ, magnam nuper partem ab Acatholicis inſeſſa, nunc autem Catholicis addicta ſunt: ſuperant tamen majeſtate, *Rathſchini* clivus, eíq; fornicibus connexus, ad Aquilonem, montanus ille tractus; Capitolinâ quiddam ſpecie magnificentius ſpirans. Illic *Arx*, de qua dicebam, Bohemiæ *regum*: & in arce, *regium tabularium*; (57) locus, *aſyli* dignitate ſanctus, ac ſacer. (58) Ibidem & cuſtodia, carcérq; publicus; haud unus, & inſignioribus quoque reis præſtinatus.

Secundùm Arcem, ſublimis, eíque contigua, baſilica viſebatur olim: quam Divi *Viti* Martyris trophæo, Divus item Martyr, ac Bohemiæ Dux, *VVenceslaus*, ampliſſimam

Anni Acta.

mam exſtruxerat. Ea pléraque deflagravit. Quæ verò ſupereſt, pars templi princeps, *Chorus*; adhuc flammîs intacta ſtat, illuſtriſſimâ ſuî ſpecie. ſuſpenſa quippe laqueari, quaterdenis utrimque pilis lapideis incumbenti; quanta moles operis univerſi fuerit antehac, & quàm digna *Cathedralis ædis* nomine; ſanè vaſtô ſuperiùs & inferiùs ambitu, duodecim inſuper ſacellîs, centúmque circiter pedum longitudinis procurſu, loquitur. Cæterùm, *Arx* ipſa, templo prætenſa, *deſpectum* undique, déque tabulario quoque, præaltum habet; *proſpectum* autem, ab Occasûs æſtivi látere, transverſim in *Montem*, quem vocant, *Album*: cujus pars & initium, Pragâ tenus, *Petrizînus* eſt ille, de quo ſuprà dixi, *clivus*; à *Strahoſa* ſeptis, Germanici ferè milliaris ſpatiô, protenſus in obliquum. (59) Sed, de *Praga*, pro rerum, quæ narrandæ nunc inſtant, neceſſitudine, dictum abunde, reor. Ad inſtitutum ergò redeamus.

XVIII. Poſt admonitam (utì ſuperiùs dicere cœperam,) omnem è cathedris *Utraquiſtarum* multitudinem, ut cordi curæque ſibi *Comitiorum* inſtantium negotium, ac ſucceſſum, haberent; poſtridiano diluculô, quod *Luna*

Lunæ diem, ac Maji menſis viceſimum primum, inchoârat, ingentî Procerum *proteſtantium* frequentiâ, concurſum in aulam eſt magni Collegii Carolini: quem cœtum augebat, & civium, ex omnibus Pragæ tribus urbibus, appendix *acatholica*. Præmiſsi, ſubjunctíque, conventui *Pſalmi* ſunt, linguæ popularis; qui Seditioni ſufflandæ *frontem Pietatis* induerent; *verſutiâ*, *Sectis uſitatâ*. Pſalmodiam utramque Bohemus Verbi-Miniſter, ad id munus cum cura delectus, interpolavit; ſermone ſuæ gentis, & gentem, ac proceres ejus, ad mentem & vota *Turrianæ factionis* exſtimulans. Finitîs monitîs, & canticîs, conſurgitur; & ad conſultationem proceditur: Quis modus, & quæ tandem efficax agendi ratio, Bohemis Subutraquiſtis, retinendæ Libertatis ſacrorum ſuorum; aras ac focos defendendi; templa ſui cultûs per omnem Bohemiam condendi; conditáque, ne diruantur, conſervandi; captos, propter exſtructionem, vinculîs eximendi: pro *tabularum* denique *Majeſtatis* auctoritate ſtabilî, vires omnium omnes, & fortunas, ac ſanguinem, & vitam, impendendi? Perrogatîs ſub hæc ſententiîs, cùm

Pp 5 id,

Anni Acta.

id, quod ſummis infimíſque placuerat, utì fieret, decretum eſset; incitatîs omnium, ad quamvis audaciam, animîs, diſcedunt: in perendinum operis initio manum admoturi. Convenerat autem inter univerſos; Decretorum Cæſaris, ſibi diſplicentium, placita, *per ſaxa, pérq; gladios, & ignes*, perrumpere: ſíque noxii quiddam hinc *incendii* naſciturum foret, id vel *ruinis* extinguere. Simùl, inter hæc, expertæ promptitudinis & ferociæ graſsatoribus, è corpore factionis ſuæ lectis, clam negotium à *Defenſorum* anteſignanîs datur; poſtquam perendie regiam in arcem, ac penetrale tabularii, ventum eſset, (nam eò conventum indixerant,) ut imperata ſibi, per teſseram notam, fortiter exſequerentur. his deinde, quid fieri velint, diſertè ſignificant.

Is interim dies advenerat: *Maji vigeſimus tertius*; & Orthodoxis, in eum annum, *Aſcenſionis Dominicæ* profeſtâ luce (60) venerabilis. Hora matutini temporis erat *decima*; propinquúſque meridies. (61) Feſtinant in arcem regiam Ordines, & nobilitas *Utraquæorum*, numerô densô: quòque ſonorior ſtrepitus populum ad ſpectandum exci-

Digitized by Google

excitaret, *in equis omnes*, per longa platearum, & clivi palatini, ſtrata lapide ſpatia. Suus ſingulos ſtipabat armiger; binîs inſtructi ſclopîs, ad feriendum expeditîs. Sequebatur eos, & comitabatur, cenſu diſpare, ſed mente parî, populi *ſectariorum*, tribus ex urbibus, grandis & *incóndita* barbaráque multitudo; nec ipſa penitùs inermis. (62) Cum his, in *Arcem* primùm irrumpentes; in ſuperiora mox evadunt: & in *tabularium* regium, ipſámq; conciliorum intimam ſedem, (††) editô ſeptôque locô ſitam, catervatim ac tumultuosè penetrant.

XIX. Conſederant illic, ex more, munerúmque ſuorum officiô, jam à cœpta pæne luce laborioſi, qui regias tunc vices obibant, Optimates aulæ ſanctioris; *Adamus Sternbergius*, ſupremus arcis præfectus; quem Regni *Burggravium* plerique, ſeu, cum Cluvero, *Summum arcis & regni Cuſtodem*, nominant: Guil. item *Popelius*, Baro; Cruciatæ militiæ, necnon Magni Prioris ad Deigenitricis, titulîs conſpicuus: *Gulielmus Slábata*, Comes Chlumenſis, & Coſsembergi dynaſtes; fiſci, Bohemorúmque regiæ cameræ præſes, (63) ac ſummus in aula tunc provin-

provinciæ prætor: (64) *Jarosláus* Borzíta, Comes *Martinizius*; vulgò *Schmiſanzkyus* quoque dictus; à ſanctioribus Cæſari conſiliis, regníque *mareſchallus*: (65) &, à tabularii denique regii Secretis, *Philippus* Platterus, alio nomine *Fabritius*. (66)

Ab his, ceu locô regis ſui, Cæſaríſque, ſedentibus, *Utraquiſtæ* (præfati, non *nova* ſe, ſed dudum conceſsa, nec gratuita, ſed jus ſibi debitum, efflagitaturos,) petunt, alius alii ſuccedentes, & ſecedentes; Primùm, *ut*, Utraquiſtas *inter & Catholicos Bohemos, conventio pactorum ac mentium, imperante Rudolphô quondam inita, ſervetur inconvulſa.* Deinde; *ne diplomati Majeſtatis quidquam poſthac derogetur. Evangelicæ religionis exercitium omni regno liberum maneat, & inoffenſum. Templa, ſuos in uſus, totâ Bohemiâ, quovis in loco, ſtatuendi, jus* Utraquæis *ut immotum ſit, ac permaneat. Templi denique ſtructores Brunovienſes, in cuſtodiam rapti, quòd* uſi jure ſuo per *privilegium* eſsent, *jure parî vinculis ut exſolvantur. Iſta ſic poſcere, ſê dignum; &, illos annuere poſtulatis,* æquum *eſse. ſin renuant fortaſse; neceſsarium quoque, mox futurum.*

Sic

Digitized by Google

Sic loquentibus, cùm *Sternbergius* ac *Popelius* paucîs, ac lenî ſilentiô potiùs, quàm excitato ſermone, reſponderent: (67) *Martinizius* & *Slabata*, ne *Fabriciô* quidem tacente, pro *Cæſare* fortiùs aliquantò loqui, nihil veriti; docent: Ejus Majeſtati, nec prius aliquid, neque charius eſse, regni pace, religionum concordiâ, juris cuſtodiâ, Rudolphini diplomatis auctoritate; conſonôque legibus divinis, illius uſu. *Brunovienſes* attineri; non, quòd *ſecuti jus ſuum* eſsent; ſed, quia, debitum Regi Cæſariq; ſuo, morem non gerentes, obſequium per contumaciam deſeruiſsent. *Omnem autem animam poteſtatibus debere ſuperioribus eſse ſubditam; quarum ordinationi ſiqui reſiſterent, hos DEO reſtituros.* (68) Reorum è carcere miſſionem, illius

Anni Acta.

illius eſse ſolius, qui decreverit, includendos. Se *vicem*, non *imperium*, tenére capitis ſupremi.

XX. Non fefellerat conjuratos, ex antegreſsâ cognitâque vitæ conſuetudine præſentium tunc Cæſaris adminiſtrorum; quínam lentiùs ac leniùs poſtulatis *Utraquæorum*, & è diverſo, quínam animoſiùs, & *acriùs*, (69) eſsent occurſuri. Quocirca, divisîs jam ante conventum ex compoſito negotii partibus, in conductas ab eis operas; dum adhuc *Treuviri* pro cauſsæ Matthiæ Cæſaris æquitate contendunt; à quibuſdam *Sternbergius* ac *Popelius* ſeorſum, & extra circumſtantium agmen, abducuntur, utpote, quorum incolumitas cordi conſpiratis eſset. In *Slabatam*, & *Martinizium*, ut proditores patriæ libertatis, & Evangelicæ religionis juratos hoſtes; in *Philippum Fabricium*, ut hoſtium *adulatorem*, (70) ex omni parte conclamatur. A valentibus, ac lacertoſis, qui proximè ſubſellia *Cæſaris-vicesgerentium* prócerum conſtiterant, *Slabata*, *Jaroslâus*, *Philippus*, per vim abrepti, longo per *Senaculum* ſpatiô (71) trahuntur; cùm hi

Digitized by Google

hi quidem, Quiritium invocantes fidem, palàm Deo, Cæſaréque, dicturos ſe probaturósque cauſsam, promitterent; (72) rebelles autem, confusîs omnium vocibus, *Ad feneſtras, ad necem, in foſsam!* clamarent.

De feneſtris igitur, in ſolum infimum, præcipites dantur; è loco, (ſi metireris, à primo cœpti jactûs veſtigio, quoad caſus plenè deſedit in infimo,) *facilè quadraginta cubitorum* (73) intervallum æquaturô. Cæterùm, incolumes, in tantam licèt profunditatem, omnes hi tres deſcenderunt; eò, quòd *vitam* eis (hiſtorici-Sectarii verbîs, pro gloria veritatis, & priſcæ religionis, utar,) *divina benignitas texiſset*. (74) At, quæ præterea ſingillatim cauſsa, manúsque, *Comitem Slabatam* ſervârit illæſum ex omni parte; narratione ſepolitâ tradam, in ſubſecuturis hujus anni memorabilibus Actis.

Illud igitur, hôc locô, réque tam gravî, perridiculum fuerit; quòd *Turrianus Comes*, cum ſociis ſui facinoris, in *apologia* facti tam atrocis, (A Triumviris præcipitatis ſoſpitatem ſuam Ordinibus acceptam referri debere,) clam, ac per obliquum, utcunque contendat; & in lucri gratiæq; parte poni velit,

velit, ſi poſthac à ſe parcatur illis: eò, quòd, à quibus nece digni judicati ſint, enecti tamen nondum fuerint. (75) Quàm enim ſolerter illis, & clementer, cautum conjurati voluerint; facinus loquitur eorum, quod præcipitio ſtatim, barbari furentes, ſubjunxerunt. Cùm enim, de feneſtris tragœdiam exitúmque dejectionis ſpeculantes, animadverterent; præcipitatos non modò ſpiritum adhuc inextinctum, ſed ſalutis quoque retinendæ rationem, motu corporum, & collectione membrorum, ducere; feroces hi, ſtomachantes, & altùm, *Nondum habent!* conclamantes; laxatîs ſclopetîs, certatim è feneſtris in eos deorſum glandulas plumbeas explodunt; animô, conatúque, morti devotos conficiendi. Sed videlicet, éadem illa *manus*, quam, ſervatrix juſtorum, Providentia *cadentibus, ne colliderentur, ſuppoſuit*, (76) ea manus, inquam, lethiferos ab iis ictus iſtô temperamentô detorſit; ut, hîc quoque *Slabatâ Philippôq;* penitùs intactîs, Comes *Martinizius* ſolus (& is ipſe, leviter ſecundùm brachium,) perſtringeretur: at mox, in pedes & fugam expeditus, parî cum ſociis-ſui-caſûs promptitudine, ſicariis ſeſe ſubdu-

Digitized by Google

ſubduceret; (77) donec amicorum aliquamdiu, ſicut & illi, latebrîs occultatus, omne periculum evitaret.Ità vident omnes incorrupti rerum æſtimatores; Quónam, & quantô conſpiratæ multitudinis erga ſe beneficiô devincti, tres iſti, Deo dilecti viri, ſalutem tunc ſuam deturbatoribus ſuis debuerint? Eô planè meritô, titulóque, quô, portanti per ſylvas aurum & animam, viatori, latro vitam opésque dedit; qui, cùm vellet eas, nec poſset, eripere, non eripuit.

XXI. Inter hæc, ad *facinus* tam *Barbaricum*, (ut id in *Auſtriaca Laurea* meritò *Nicolaus Bellus* appellat,) in *regia* quidem per tumultum, *inferius* autem rumore nuntiô, vulgatum; & arx, omnéque *Rathſchini* ſpatium, inhorruit; & *Praga triplex* univerſa, diversîs animorum concuſsa motibus, exiliit. Relictîs pleriq; mensîs (nam id *prandii* tempus erat,) arma corripiunt: *Catholici* pro Cæſare, Cæſareîsque proceribus, & Eccleſiæ tutelâ: *Subutraquiſtæ*, pro conjuratorum, & facinoris eorum, defenſione. Multitudo ſtabat, utrimque grandis, ac denſa: nec apparebat, ſi certamen iniretur, quomodo

modo non ſanguine copioſô Praga *parva*, *vetus*, & *nova*, ſtagnaturæ forent.

Cùm autem omnia virîs, telîs, fiſtulîs æneîs, vocibúsque confusîs, miſcerentur; &, in turba promiſcuorum agminum aliud aliûs clamantibus, duces duntaxat, & qui ſigna priores inferrent, quærerentur: clamor ex urbibus, &, quid malorum inſtaret, in regiam fama, venit. Eâ *comitiales* Evangelicorum *proceres* exſternati, præque cæteris, REBELLIUM PRINCEPS (ut eum *Brachelius* nominat,) COMES TURRIANUS SENIOR, quòd in ſe redundaturam tot malorum imminentium invidiam animîs proſpicerent: pars, ad obtinendam in ſuî præſidium regiam, in arce ſe communiunt: pars, eáque pauciorum, (78) ad urbes pacandas decurrunt; quos, celere vectus equo, *Turrianus* antevolat. Hic, per declivia regiæ, pérq; Pragam Minorem, ac Moldæ pontem, curriculô delatus *Veterem* in *Urbem*, ubi tantùm non præparatæ jamjam in pugnam acies ſtare nuntiabantur: eminus pariter, & è propinquo, PACEM indicit turbis, *Arma*, *bella*, *pugnam*, inclamantibus. &, ut quamq; platearum celebriorum, tumul-

Digitized by Google

tumultuantiúmq; denſiorem frequentiam, præterveheretur; ibi verbîs, manu, geſtu, vultu, compeſcere partes ambas. vociferari, magnâ clamoris contentione, *Ponerent arma, metum, iras*; & omnem animîs ſuſpicionem ſiniſtram exuerent! *Suos*, (hoc eſt, heterodoxos,) à vi, cæde, rapinîs, ac ſacrorum hominum invaſione violentâ, dehortari: *Catholicos*, à vindictæ cupiditate, propter ſuæ religionis mortales Capitoliô dejectos conceptâ, deducere; *Ne trium ſolorum caſum, crimen & cauſſam facerent* omnium. *Collectos in regia Proceres, nihil in nomen* Catholicum *(quippe fraternum, amicum, & fœderatum ſibi,) moviſſe, vel moturos: ſed, in pauciſſima quadam Romanenſium ordinum opprobria. non in Optimates, ſed in* publicæ Pacis everſores, & Evangelicæ religionis immunitatum hoſtes; *immò, contra* Cæſareæ *quoque* magnitudinis, *in diplomate Majeſtatis enervandô*, perduelles, *ardeſcere Bohemicos Proceres*: In Slabatam, in Schmiſanskyum, & in Plattérum ſcribam. *Hos, longè licèt atrociora promeritos*, exemplô majorum *in ſceleſtos repetitô, ſe jeciſſe de feneſtris in præceps: cóſque, beneficiô Fortunæ ludentis ſuperſtites,*

tamen in fugam emiſiſse. *Tantillum eſse, neque plus, in arce nunc geſtum. De cætero, nemo quidquam mali metueret in publicum: ac ne privatum quidem ullius in caput; niſi quis prior ipſe nondum quieſcere didiciſset. Proceres Evangelicos ſcire, DEO ſuam probari cauſsam. Ut autem & regi ſuo, Cæſari, per omnia probetur; ſeſe, communibus omnium allatîs perſcriptîsq; rationibus, quàm primùm effecturos. Et verò, ne Cæſaris quidem, in ea re, diſsentire judicium, à judicio* Statuum *Evangelii puri, valere, vel unquam valiturum: utpote, cujus potiſſimùm auctoritati tutandæ ſumpta de nocentibus iis pœna ſit; quorum audaciâ, factionéq;,* litteræ Majeſtatis *impugnata, tortáq;,* Rudolphi *juxtà* Matthiæq; *majeſtatem turpiter imminuerint. Non tam igitur hôc ejus diei facinore,* treviros *illos* dejectos; *quàm Imperatorum* duorum *ſtratam dignitatem* erectam *eſse. breviter!* PRO CÆSARIBUS SE, NON, CONTRA CÆSARES, *in arce congregari.*

XXII. Sic *Turrianus* tunc *Comes* : & quietem, ac domuitionem, urbibus perſuaſit; ſed verbîs, (mediusfidius!) infîdis, & ventosîs: nugis, non ipſi ſoli tunc, verùm uni-

univerſæ conjuratorum nationi, ſuetîs. Is mos eorum, per omne rebellionis tempus ibat: ut regis ac Cæſaris obſequium nunquam magìs venditarent, quàm cùm illud quàm fœdiſſimè proſtituerent: honorem majeſtatis in ore calamíſque, reverentiam autem & obſequia, ſub pedibus habentes. Evolvat æquus lector, ſi diffidit, temporum illorum ordinatores; etiam eos, qui partium Bohemicarum ſtudioſiores ſunt, quàm noſtratium: Sigiſmundum Latomum; Jacobum, Joannémve Francum, Magdeburgi vulgatos; Arthuſium quoque Dantiſcanum. ut alios, & in iis, Nicolaum Bellum, *amphibiósq;*, ſileam. Quotæquæque *Directorum Pragenſium* apologiæ, litteræ, ſponſiones ac reſponſiones, in regiam Viennenſem expeditæ, non *eoſdem*, *&* *Ordinum* Bohemicorum, & *Cæſaris* ſimùl, hoſtes crepabant? ut, quiſquis rebelles impugnaret, is pugnare contra Cæſarem, cui rebellabant, diceretur. Quotæquæque, *Satyrarum* veriùs, quàm *epiſtolarum*, ad *Matthiam*, ſubſcriptiones, non profitebantur, CÆSAREÆ MAJESTATIS FIDOS SUBDITOS? ipſa litterarum interior medulla, SUBJECTOS,

Anni Acta.

& OBSEQUENTISSIMOS? cùm interea quiritarentur, exprobrarent, morderent, pungerent, minitarentur: cùm fingerent, ac ficta refingerent; cùm facta negarent, ac negata facerent: unô deniq; nonnunquam, eodémque ſtylô, pariter & læderent Cæſarem, & malignè laudarent. (79) Quo proinde fiebat, ut illorum temporum & hominum, OBEDIENTIA MARCOMANNICA, pænè jam in adagium abiret, & in ridiculam vocis ironiam: perindéque, ſicut *Parca*, quòd non parcat, & *Lucus*, quia minimè luceat, ità *rebellionis* illius erga Cæſarem *Obedientia* circumferretur in circulis, *Quaſi nihil minùs, quàm Obediens.*

Sed, hæc factioſorum erga Regem ſuum obtemperatio, quæ quantáve fuerit; continuò patebit ex eorum, non *verbîs*, ſed *Actis*. quæ tamen ego, quoniam eorum enumeratione per ſingula, libri paſſim ac mundus pleni ſunt, in congeriem & ſummam convolvere, ſatìs habebo; quò potioribus narrandis locus ac tempus detur.

XXIII. Interim, præterire ſilentiô, nefas duco; quod, ad hanc ipſam rem ſpectans, eodem prope menſe, quo geſta ſunt hæc

Digitized by Google

hæc Pragæ, retulerunt ſtatim nobis, qui rebus interfuerunt, omnî fide digni viri, Germaniam Rhæticam emigratione petentes. Inciderat, præterpropter in illâ, quam retuli, concurſatione, pacificator *Turrianus* in platearum unam quampiam; in qua domus erat, & conjux, *alterutrius* è præcipitatis in foſsam arcis regiæ *dynaſtîs*. Ea, virilis, & Amazonici mulier animi, nec oris ad arguendum imprompti; cognitâ viri calamitate, conſpectóque, quem mali compererat auctorem, *Turrianô*; proruens domô, faciem ejus & os palàm verbìs animosîs invadit: ac, *Pulcrè verò dynaſtam dynaſtes*, (inquit,) *& Comitem Comes, tractavit; ejus viraginis maritum, quæ ſuperiori quodam tempore Turrianum, de turre, cuſtodiá, vinculîs, & vitâ periclitantem ab inſequentibus inimicis, & eapropter huc profugum, fidîs ſuarum ædium latebrîs recepit, ac ſervavit?* (& verò receperat, ac ſervârat; meliore longè, quàm fugientem è prœlio Siſaram Jahel, fide.) *Vicem hanc igitur hoſpitii reddis, hoſtis? Tu, ſi pulcritudinem virtutis, ut bene de te meritis gratiam repénderes, videre, præ nocte mentis, nequiviſti; ne turpitudinem* qui-

Anni Acta.

quidem ingrati cordis, ut mala bonis ne repo-nerẽs, æſtimare præ furoris caligine, potuiſti? Vir, primæ nobilitatis; ſed ignobilis & atro-cis, in ſupplicia, miniſterii! Sic illa.

Sub quæ, quibúſnam verbîs litigaret cum heroide matronâ, vir, pacis tunc ſuaſor, non invêni; fortaſſéque nec ille quidem: niſi, (quod, cum ſociis conjurationis, paſſim ſcri-bebat, ac dicebat,) ut idem & huic reſpon-deret; EXEMPLO MAJORUM, ſe no-xios dejeciſſe.

Sed, *quorum* (rogo) *majorum?* Huſſita-rum, opinor; in orthodoxos ſævientium: qui, ſub annum, à Chriſto nato milleſimum quadringenteſimum octogeſimum tertium, in *urbe* Pragenſium *Veteri* ſuſcitatâ ſeditione, de feneſtris Curiæ civicæ, cum nonnullis, priùs trucidatîs, Senatoribus, *Conſulem vi-ventem*, ac valentem; vigeſimô Septembris die dejecerunt: (80) quòd pro ritibus & ſacris Romanis; contra *Calixtinam* ſectam, (ſicut hi noſtri, pro Cæſare Canonibúsq;,) ſenſiſſent, ac ſtetiſſent. Vidimus itèm, eo-dem furore percitum; eâdem de turribus præcipitatione peccantem, annîs ſuperiori-bus; Gabrielem Báthorem, Calvinianum; in Trans-

Transſylvania. Sed, ſi ſic, EXEMPLO MAJORUM *fieri*, defendamus, *quidquid barbarè fit, & per immanitatem*: adhuc innumeros, inter MAJORES SUOS, referre debebunt Scythas, Dacos, Triballos, & Braſilos: quorum exemplîs non tam *ſubleventur*, quàm *obruantur*. Hîc nos, *barbari non naſcimur; ſed imitando, fimus*.

XXIV. Matthias quidem certè, mitiſſimus Imperator, intellectô, quid in arce regia, contráque quos proceres, patratum eſset: animô dolentî, *De facinore* pronuntiavit, *Inauditum antehac, iîs modis* geſtum aliquid: facinus, contra divinas humanásq; leges, adversùs omnium gentium temporúmque mores, & conſuetudinem, (81) ingenti furoris & intemperiarum impetu, ſuſceptum. De *Proceribus* autem, in præceps jactîs, nequis fortè noviſſimum iſtud factum magnopere, cum Huſſitarum illo vetere, comparandum eſse contenderet, in quo *Senatores* urbici, cum ductore ſuo, deturbati ſunt, (qui frequenter ex opificum tabernis, & ærariorum cenſu, protrahuntur,) ait Cæſar; *Omnium facilè primos, ac generoſiſſimæ ſtirpis regni-conſiliarios*, dejectos. (82) quod dictum in

Anni Acta.

in Comites, *Slabatam*, ac *Martinizium*, valebat. Hos inauditos, inconfeſſos, indemnatos, (& quippeni? cùm omni legitimô judice, tribunalíque, carerent:) hos, nec in divinis, ante deceſſum, nec in humanis, procuratos ac præcompoſitos, actutùm jactos, & mori juſſos, deteriore fuiſſe, quàm deterrimos quosvis latrones, conditione; quibus leges tamen Chriſtiani fori, paſſim gratiam faciant diligentis, ad æternitatis aditum, præparationis. Sed, *quid Impiis eſt curæ, de pietate?* Fuiſſe tamen oportuerat (inquit Cæſar) habitam illorum Innocentiæ rationem: ne peccarent in viros, *peccatô vacuos*. Tales enim, Dynaſtas hos, ipſorúmmet Conjurationis principum, ante ſeſqui ferè menſem datæ litteræ, teſte lectoréque Cæſare, declarârant. (83)

Hæc ergò *Matthiæ* fuit *Imperatoris*, de rebellium tunc improbo facto, cenſura; de *Comitum* verò duorum compertiſſimâ probitate, verax oraculum. id, quod jam, non auribus perſuaſum, ſed oculis ipſis ingeſtum, & evidens, fuit: quando, paucos intrà dies, miraculô conſignata geminô, Comitum alterutrius Integritas, Comes, inquam, ipſe *Marti-*

Martinizius, & à præcipitio ſoſpes, & à glandium plumbearum nimbô ſalvus, ſeſe Cæſari ſtitit, & aulæ Viennenſi; ſocium, utì fugæ, ſic viæ diverſoriíque, nactus *Philippum Fabritium*. (84) Hic, *à manu* nuper, (utì diximus,) & arcanîs, curiæ Pragenſium regiæ; Martinizianæ tunc geſtorum narrationi ſubſcribere ſe potuiſse, poſuit in parte gloriæ; quippe, rerum, ſibi funeſtarum, Teſtis vivus, & Collega casûs; uterque verò, Morti, jam inchoatæ, ſuperſtites.

XXV. Sed, interſciſsâ talium (quippe, poſteriùs aliquantò geſtorum,) narratione, res monet; ut ad *Henricum Matthæum*, *Comitem Turrianum*, ac geſtorum ejus participes, revertamur in regiam. Translapsō jam, inter tumultus urbium, ac ſedationem eorum, meridie: præclari rerum, quas ipſi turbaverant, ordinatores illi, tandem ad cœtum ſuorum ſeſe receperant. Ibi, quid egerint exinde, non poſsum vel clariùs exponere, vel veriùs & compendioſiùs; quàm ex ipſius Imperatoris *Matthiæ*, per Europam vulgatâ, narratione. (85) Si quis verò ſit, qui plus fidei *rebellibus* habeat, quàm *Augusto*; neſcio, quâ fide dignus ipſe ſit.

QUOD

Anni Acta.

QUOD in Cæſare portentum eſset, *fingere*; perduellibus, *Ingenium* eſt: ac, ſemel ad mentiendum emancipatis, ars fallaciæ vertitur in naturam.

Primùm omnium igitur, in arce congregata factioſorum multitudo, ſepoſitô tunc aliquouſque *Defenſorum* vocabulô, *triginta*, ſuorum è numero, ſibi, regno, conſiliiſque, præficiunt: quos *regni Senatum*, titulô DIRECTORUM, eſſe jubent. In iis, locô principe *Comes Turrianus* eſt, ſenior. Mox, *Sternbergium*, arcis ac regni Burggravium, cujus in omni Bohemia, poſt regem, princeps ſemper & fuerat, & eſſe debebat, jus atque dignitas, (86) honoris ſpecie, domum ſuam deducunt: reipſa verò, cuſtodibus ad limina diſpoſitìs, includunt; & in ordinem redigunt. Hanc nempe timidæ lenitati gratiam, intractabilis meritorum oblivio reponebat: *ut fruſtra proinde ſperes, apud contumaces, duritiem ullâ poſſe bonitate molleſcere. Citiùs obtundas, quàm mitiges.*

Poſt hæc, in ſacramentum adigunt, ac *fidem*, (*qualis iis erat*,) triginta *Directorum*, quidquid caſtellanorum erat in regia; præſidium, præfectum ſtationum, & portarum excu-

Digitized by Google

excubias: trium item Pragenſis civitatis urbium magiſtratus, & populum. *Brunovienſes* captivos emittunt. Eorum in locum, alios, omnis generis & ordinis mortales, intrudunt, à partibus ſuis ſtare recuſantes. regios præſertim miniſtros, perfidiam exſecrantes, & juramentum perduellionis abnuentes, catervatim in cuſtodias conjiciunt. Ad ſummam! *intrà* Pragam, quoad poſsunt, ſurſum omnia, deorſúmque, verſant. *Extra* Pragam verò, *Caroloſtadium*, ad Occidentem hibernum, ac lævam Wattónis amnis ripam, ſitam arcem, & munitum inprimis caſtellum, (ubi regia Corona, regni gaza, privilegiáque, velut locô tutiſſimô, vulgóque venerabilî, ſervabantur,) per nefas occupant: præfectum loci, *Comitis caſtellani* dignitate conſpicuum, Coronæ cuſtodem, *Turrianóq;* nuper ſuffectum, cum cæteris munerum regiorum adminiſtrîs, ut Regi fidos, officiô dejiciunt. Quod in præſens invenerant redituum *Antemonitanorum*, (ut eos nominabant,) Pannonicorum limitum dubiis durísque rebus reſervatorum; id in Regni calamitatem depeculantur, audaciâ, ne Regi quidem unquam impunè ceſsurâ.

Vecti-

Vectigalia, tributa, cenſúsque publicos, indictionibus etiam novîs corraſos, in uſus ſuæ factionis avertunt. quæſtores item, & collectores ærarios, (Regis, & Ordinum regni, voluntate lectos,) ſubrogatîs è grege ſuorum novîs aliis, exauctórant. delectus agunt in regno; foris, & intrà Bohemiam, ſtipendiô manum equitum peditúmque, quantam maximam poſſunt, comparant. In eam autem rem *collectas* (ut vocant) *nummarias* omni regno graviſſimas, & intolerabiles, indicunt, & extorquent. In obſequia ſuî plurimos promiſsîs, & ſpe, trahunt: nolentes, minîs ac malîs, adigunt. Satyricîs *apologiîs*, rerúmq; geſtarum falsîs, quaquaverſum ſparsîs, enarrationibus, & epiſtolîs, non viciniam modò fœderatam, (Sileſios, Luſatiam geminam, ac Móravos,) in conjurationis armorúmque ſocietatem pelliciunt, (87) ſed exteros quoque Principes (Germaniæ præſertim *Correſpondentium* fœdus) & *Electores* (88) ſollicitant.

XXVI. In medium porrò, *triginta Directores*, à die ſtatim primô ſuſcitati tumultûs, quotidie conſultantes, (ídque, ſecuritatis causâ, circumpoſitîs ſibi ſclopetariîs octoge-

Digitized by Google

ctogenîs, qui, cum tympani fiſtulæque ſonitu, ducebantur ad limina forium, ac reducebantur:) alia cudebant ex aliis conſilia. quorum non poſtremum fuiſſe, pius Imperator queritur, *ſacrorum* in regno *Collegiorum* afflictionem; familiarum ex iis in exilium ejectionem; redituum, ac poſſeſſionum, interceptiones, rapinas, direptiones. in quas omnes tamen res, ac familias, per Regni Bohemici receptas leges, & pactiones, nullum neque *Subutraquais*, nec aliis quibuscunque, jus eſſe poſſet. Eâ Cæſaris querelâ reprehendebantur expulſores Religioſorum *Societatis* JESU, non è regia tantùm urbe, ſed universô regnô. quæ tempeſtas in eos incubuit, *undecimô* ſtatim poſt diem illum die; quo dejecti de Regia Proceres fuerant, Societatis fautores.

Urbes quinque Collegiîs ſuîs hi Patres, conceſſu Regum ac legum, inſederant: Pragam, Crumoviam, Commurtoviam, (89) Neuhuſium, & Glazam. Iîs, ut excederent, & omnî Bohemorum ſolô, *Jeſuitæ*; Decretum illis, & denuntiator exilii, *poſtridie Calendas Junias*, immittitur. Dies emigrationis *plenæ* decretorius, præfinitur Junii *deci-*

Anni Acta.

decimus; intrà quem, & Junii *ſecundum*, abirent omnes; & ÆTERNUM EXESSENT. Quæ poſtrema *Decreti* verba, poſt triennium, (ídq; duntaxat *inchoatum*,) mulierculæ *Subutraquaa* cuipiam, utpote, præ cæteris verbis omnibus, in animum profundiùs deſcendentia, tenaciter etiam tum hæſerunt: &, ab ea conſpectô primô, poſt Pragenſem victoriam, Societatis JESU ſacerdote, publicè redeunte, ſuî memoriam refricuerunt; ut, ridens ſimul, ac miſerans, Proſcriptionis ſucceſsum, O, BREVIS ÆTERNITAS! exclamaret.

Cæterùm, ne nihil, in hac ipſa relegatione, manſuetudinis & providentiæ *Directores* oſtentarent; *Pragenſis Collegii*, templíq;, portis *quinquagenos*, per octiduum illud, armatos-ſclopetîs cuſtodes apponebant: cauſſam interſerentes; nequid à furente ſuæ factionis plebe detrimenti, vel moleſtiæ, *Patres* ſuſtinerent. Cauſsas autem ejectionis, tum alias quaſdam inanes adferebant; tum iſtas inaniſſimas: *Litterarum-Majeſtatis hoſtes, & impugnatores acerrimos, fuiſſe Jeſuitas: & armorum domì vim maximam, jugulandis Ordinibus Utraquais, apparáſſe.* (90) Verum-

Digitized by Google

Verumtamen, hoc nec Apella quidem ullus, in tanta licèt Pragenſium Judæorum multitudine, credidit: & criminationes cæteras univerſas, mox inſignî, non facundiâ minùs, quàm apud alios laude modeſtiæ, (91) poſt abitum ſuum *Patres*, Apologiâ vulgatâ, *retuderunt*.

Cæterùm, ejectîs hîs, *Directores* conjurationis, (denuò valentiùs, ac ſæpius, inter ſe firmatæ,) quò præ ſe ferrent, non Religionis, ſed certorum duntaxat adverſariorum odiô, *Loiolæ* ſe diſcipulos fugâſſe; tantò ſe ſtudioſiùs religiones Catholicorum reliquas ab eo die fovere, credi volebant. Inprimis autem, eminentiúsque cæterîs, *Comes Turrianus*, *antiqua vulpes*; ut & ſanctiſſimum quemque ſuis actis benevolum, & è contrario Cæſarianis alieniorem, redderet: quotidianîs largitionibus Ordinum *Mendicantium*, maximéque *Capuccinorum*, pauperem penum ſublevabat. Et hoc, ut ajebant illi, ſuîſmet è facultatibus ii præſtabant. Nimirum, unde malè rapuerant, indè benefaciebant: ac *facilis* iis erat (ſuorum alioqui tenacibus) *ex alieno liberalitas*.

XXVII. Ad hoc autem accedebat;

quòd, non ſolam *Societatis Patrum* proſcriptionem, bonîs eorum interceptîs & occupatîs, in rem ſuam verterant: ſed & aliorum complurium, pro Cæſare rectâq; cauſsâ ſtantium, crebras & hôc, & poſterô tempore, relegationes, déque poſseſſionibus ejectiones, decernebant. In iis proſcriptorum tabulis, (ut ea, quæ, geminîs licèt annîs, uniuſmodi tamen, acciderunt, memoriæ cauſsâ compendiò conjungam,) enumerantur, ipsíſmet à Sectariis; (92) Gulielmus *Slávata*, Jarosláus *Smiſanzkyus*; Popelius, non Guilielmus ille, (qui jam in partes transierat,) ſed alius, *Sdenco* prænomine, (velut meritò reor,) Adelbertus Lobcowizius, ſupremus tunc à Cancellis Bohemiæ regiis, ac Cæſáreis; & Decretorum in rebelles ſubſcriptor. (93) Adamus præterea *Sternbergius*, Comes Caſtellanus; arcis regiæ Pragenſis, ac totius Bohemiæ cuſtos ſummus: *Kallobradii*, Barones duo; Minoris Pragæ ductor ordinum; Líbripens *Thejnæus*; (94) archigrammatéus provincialis, ſupremus, cum ſupremo monetæ præfecto, duobúsque prætoribus; Fabianus *Panzonius*, jureconſultus; Philippus *Fabricius*, ille, cum Proceribus dejectus,

jectus, & alii complures. quorum magna pars, Romanenſium fuit illorum, qui nec anni præſentis Actis Utraquæorum, nec anni ſequentis inſtauratæ conjurationi, comitiíſque Martii menſis vergentis, ut ſubſcriberent, adduci valuerunt.

Eminebant in his, ut ordinum dignitate, ſic laude firmitudinis, Archiepiſcopus Pragenſis; Præſul Brunovienſis; & Strohofienſis Abbas, Berkæus. Mirum verò, quantum odii Directores, & in *Paulum Michnam*, Cæſaribus antehac, ab arcanis epiſtolis, ac Decretîs publicis, cum fide tractatîs, commendatum virum, diſtrinxerint; utpote, quem nunc illi Bohemiâ totâ fugabant; cùm eos ipſe prior jam fugiſset, & eluſiſset. Nec ejus proſcriptione capitis contenti; decernebant exilium in hæredes etiam, omnémque poſteritatem Michnæam: hoc eſt, *mortem civilem*, in eos quoque, qui *nati nondum* erant ulli civitati. *Michnam* autem ipſum, in apologiarum ſuarum primâ, maledictîs, exquiſitiſſimè contumelioſîs, adeò proſcindebant; ut *Terræ filium* eum nominarent: *nauci*, *flocci*, *nequam hominem*; *proditorem* inſuper, *& disjectorem publicæ pacis*: denique, *multo-*

Anni Acta.

rum in regno malorum, & ſchiſmatum, archi-tectum. Quæ tot, ac tam atrocia, Patres illi Conſcripti provomentes in *Paulum* hunc, non videbant interim; ex transverſo ſe DIPLOMA MAJESTATIS ſuum, & illius gloriam, imminuere. pars enim operis ejus, erat *Michna*. Michna litteris iis ſubſcripſerat, eáſq; ſignârat. (95) Michna, fidem faciebat; à Rudolpho conceſsum diploma Majeſtatis; à Burggravio Sternbergio comprobatum; & utriuſq; genuinam fuiſse manum illam. Et vos tamen, ut proditorem traducebatis, ac *perfidum*, eum; cujus, circa privilegia veſtra, *fide* nitebamini?

XXVIII. CÆSARIS, inter hæc, animum multa, nec immeritò, malè jam dudum habebant. Querebatur is, publicatô per provincias libellô; (96) *Bohemicis ab Ordinibus, non ſolùm illa prima læſæ majeſtatis delicta, quibus in regia Pragenſi rebellionis aleam jeciſsent, nullâ dum ſatisfactione ſibi purgata: ſed, præcipitî ſuper hæc, & inconſultâ, veniæ deſperatione, collectas in facinoris ſui tutelam, extra Regnum ſuum invitô ſê, peditum equitúmque copias: in regni verò viſceribus, nihilô magis approbante ſe, delectus haberi;*

Digitized by Google

ri; militem, equos, arma, ſtipendium, imperari: contuberniîs, & alimentô mercenarii militis, quin & exactionibus inſuper aliorum generum intolerandîs, gravari populos: militiam indigenis, & expeditionem, in obvia quaq; temporum momenta, ceu voluntate ſuprema poteſtatis, ac patentibus *mandatîs, indictam eſſe; de quibus tamen omnibus compellata nuſquam ſuprema poteſtas eſſet. Quid, quòd & regia facultates ipſa, regii fiſci reditus, & quaſi patrimonium, invadatur ab iis; ut inter catera, Crumovienſium arx, & oppidum? Id Comitem Turrianum, vi, qua ſolerent hoſtes, occupatum, praſidiô Caſarianô pronuper evacuâſſe; ſuarúmq; partium feciſſe. Turrianum eundem, eádem audaciâ, cum magna manu militum, utriuſq; Martis ſelectiſſimîs, omnia pervolitantem, proximè Budovviſium quoque Bohemicum aſſultâſſe: datîs ad Conſules ac Senatum mandatîs,* ſuum, *hoc eſt,* triginta *Bohemia* Directorum, *accipere ſacramentum, & praſidium, juſſiſſe; quâ lege tandem aliâ, quàm, Caſaris ejuratô, valeréve juſſô? Quin & minas, more ſuô feroces, adjeciſſe; Ni dicto forent audientes Budovviſenſes; ne matrum quidem, ac parvulorum in utero, cade ſe temperatu-*

Anni Acta.

raturum. ad hæc, ferrô, flammâ, ruinîs, uſqueadeo Budovviſium omne, ſe disjecturum, & eraſurum; ut, intrà tridui non ampliùs ſpatium, ſuperfuturum inimici ſoli plus haud ſit, quàm, quod ſcopîs, unum in ſterquilinium, converri poſſit. Per Bohemos porrò conjurationis illius cæteros, ad idem defectionis à Rege ſuô ſtudium, eodem auſpice Turrianô, provincias inſuper, & regna Cæſaris alia, ſollicitari quotidie; ſuapte plerumque Suadâ, vel epiſtolîs. nonnunquam autem, & ſuos per ſatellites, & emiſſarios: quemadmodum, haud antè multò, Jeſsenium *quendam, Oratorem ac medicum ſuum, ſuppetias, & ſocietatem rebellionis, emendicatum, cum mandatis ac litteris in* Hungariam *ablegârint. quem in medio tamen itinere, conatúq; nefariæ machinationis, interceptum oppreſsúmq;, Vienna tunc, & carcer, attinerent.*

His ut contraria Bohemi, (quoquo pacto poſsent,) reponerent; invicem Cæſareas, ad principes ac regna miſsas à ſe litteras, &, ſanctiores vulgaribus litterîs, epiſtolas Autographas, *etiam arcaniſſimîs, & ſummi momenti de rebus ſcriptas, atque veredariis curſoribus commiſſas, contra gentium, & auctoritatis Auguſtæ*

ſtaa jus, *eos intercepiſſe*, *pluſquam ſemel*, *iterum*, *ac tertium : interceptas*, *reſignatáſq;*, *perlegiſſe ; ſuiq;*, *ſiqua reperiſſent in iis opportuna moliſtionibus ſuis*, *fori commodiq; feciſſe*. Cæſárea, *præter hæc*, *in regnum miſſa*, *circúmq; provincias*, edicta, *quæ regni provinciarúmq; bonum ſpectâſsent*, *eoſdem illos tractâſse contumeliosè : cùm ea*, *vel non admitterent ; vel admiſſa*, *promulgari vetarent*. *Ipſos verò*, *ſuas à diverſo nænias* apologeticas, *pro ſui facinoris audaciſſimi defenſione compilatas*, *adeò magni facere*, *nil eſſe veritos ; ut illi* primæ, *calumniîs & figmentîs ſuſpicionum referta*, *die Lunæ*, *Divi Baptiſtæ-nati ſollemnitatem anniverſariam ſubſecutô*, novam *aliam ſuperadjectam*, *procuderent proterviarum ſuarum* Propugnationem, *priore deteriorem : eámq; per terrarum orbem*, (*haud quaquam ſinè*, *vel apertâ*, *vel obliquâ*, *Cæſaris inſectatione*,) *diſſeminarent*. *Super hæc omnia*, *Bohemos*, *obſequii deſertores*, *non ſolùm tot ſalubribus ſuis*, *ac verè paternis*, *ad tranquillitatem hortamentis* (quibus ſanè crebrîs & mitiſſimîs uſus Matthias fuerat) *obſtinatas aures*, *ſed etiam ſuis*, *ac ſuorum*, *commeatibus & tranſitibus*, *regni limitaneos aditus exitúſq; clauſiſſe : quan-*

do ſaltuum viarúmq; fauces, armatîs, qui prohiberent, equitibus ac peditibus inſediſſent. qui denique ſuos rebellium delectus, & militum conductus, intrà regnum, ac foris, quantumvis auctoritate nullâ ſuſceptos, & actos, ſolos pro legitimis, ac regni patriǽq; bono factis, venditent: Caſáreas è contrario (ſicubi fortè conſcriberentur) copias, illicitas, regno pernicioſas, ac regni conſtitutionibus immerigeras, declarent: quas idcirco, ſimulac, imminére patriæ, vulgus Bohemicum ſenſurum eſſet; cohiberi multitudinem non poſſe, quin concurrant, & cleri, monachorúmq;, promiſcuîs cædibus, irruptionem ulciſcantur. cujus cruenti proinde diluvii, quémnam tunc alium in ſe tracturum eſſe culpam & invidiam, quàm eum; qui, militem exterum immittendo terris immerentibus, exundationi malorum catarractam laxârit? adeóq;, Cæſarem? (97)

XXIX. Hæc, aliáque talia, dequeſtus *Matthias* Imperator, de Bohemiæ *Directorum*, inprimísque *Turriani* Comitis, inſolentiâ; ſimùl autem indignum majeſtate ſuâ ratus, ac profeſſus, ulteriùs eas injurias inultas ſinere: cùm præſertim illi palàm, ſuas inter minas, jácere nihil dubitarent; *Seſe vi-*

ciſſim

tiſſim externa circumſpecturos, contra Cæſarem, auxilia : (98) rupit denique longam patientiam. Inprimis verò, quotquot in obſtinatione cœptâ præfractè perſiſtant, *Bohemos* proſcriptione publicâ declarat *perduelles*, ac *majeſtatis reos*. Utq; nihiloſecius, pœnæ comminatio pœnitudinis eis ſenſum, ad reſipiſcendum, injiceret : priùs, quàm exercitum iis immittat, immiſſurum ſe, jam jámq; luſtrare, demonſtrat. Id erat, *& denunciare ſimùl eis bellum ; &, denuntiati* (ſi fortè vel ſerò demum ſapere noviſſent,) *deprecandi, cauſſam offerre* ; dum cauſſam oſtendebat. Sed capaces ſanitatis, ne ſic quidem, erant: cùm, qui, jaculari ſe telum, clamabat, ipſo clamore, jaculi vitandi monitum, ac modum, ingerebat. Jámque ne fidæ quidem præ cæteris urbes quædam, in officio manebant ; prætérque *Budovviſium*, vix ulla præſigniorum, non ad rebellium partes acceſſerat : quando præſertim *Crumavium* etiam, *regis* alioquin *hæredium* antehac dictum, & habitum, Cæſarianô (ſicuti ſuperiùs oſtendimus) præſidiô migrare juſſô, pluris ſe facere *Directorum* Pragenſium imperata, quàm *Imperatoris* voluntatem, declarârat:

Rr 5 & ipſa

Anni Acta.

& ipſa quoque *Pilſna* principiò, ſpecioſô quodam conſiliorum *Turrienſium* operimentô decepta, Bohemicorum Ordinum fœdus intrârat. (99)

Cùm ergò, niſi quàm ſtudioſiſſimè vel tunc demum occurreretur, in pejus omnia quotidie ruitura viderentur; ac verò, reipſa jam ruerent: Cæſar, ducibus Henrico Duvalliô, Comite Dampetriô, (quem *Tampierium* vulgò nominant;) Henricô Juliô, Duce Saxenlavenburgicô; Balthaſare Marrádâ, Melitenſis ordinis Equitum commendatore; Joanne Mollarto, (100) Comite Collaltinô; Comite Buchemiô, cæterîsque compluribus, luſtratum extra Bohemiam exercitum *decem millium*, equitatu peditatúque ſelectô conſpicuum, unà cum tormentis bellicis, Bohemiæ finibus immittit. Penès *Tampierium* primò (quippe, belli nuper Forojulienſis & Iſtrici famâ latè clarum,) bellicæ rei ſumma; pòſt aliquantò communicata, paullôque majore cum imperio contradita fuit, Carolo Longuevallio, *Bucquoii* Comiti: quem, electâ cum manu venientem è Belgio, ſuperiorem in Germaniam, ſuppetiáſque Cæſari ducentem; Princeps Belgarum, Albertus Archi-

dux.

dux, *duobus* ſuperadditîs *equitum*, & *ſex legionariorum millibus*, exornârat, & firmaverat. Is Bohemiæ finitima loca, ſub Auguſti menſis dimidium, acceſſerat: cùm jam antè *Tampierius* equitatum ſuum, quo potiſſimùm ejus copiæ valebant, Bohemiæ meridianis limitibus infudiſset.

XXX. Exadversùm verò *Bohemi*, clanculùm præſertim à Germaniæ *Correſpondentibus* acatholicis, ne cœpto deſiſterent, animati; ſimùl autem, & in *novi Regis*, exauctoratô Ferdinandô deligendi, conſilia proclives, ac jam tum intenti: ſuum, quotidianîs affluentibus auxiliîs, vehementer amplificabant exercitum. quem, adjunctîs, proceſſu menſium, Sileſiîs etiam, & Moravîs, aliîsque, mercede conductîs copiîs, ad *triginta millium* facilè multitudinem perduxerant, induſtrii *conjurationis* duces.

Horum princeps, *Turrianus* Comes, (ut ſæpe jam dictum eſt,) Henricus Matthæus; adjùnctum ſibi conſiliorum & operum adminiſtrum habebat *Kynzkium* dynaſtam. qui duo, principiô ſtatim, cum plerâque ſuorum manu, perſiſtentem in obſequio fidéq; Cæſaris urbem *Budovviſium*, venerant, acriter oppu-

oppugnatum. In hoc erant: cùm *Tampierius* Comes in Bohemiam (utì dicere cœperam) irrumpens, primò *Landſtenium* occupare contendit. (101) ſed illud irritâ poſtulatione deditionis adgreſsus, *Biſtricium* feſtinavit, ad Launſizium amnem ſitum oppidulum: quod & occupavit, in eóque, circumjectîs aggeribus, ductíſque foſsìs, ſeſe communiit. Sub hæc, ad *Novodómum* promotis caſtrîs, (quod oppidum, & arx, noſtris *Neuhuſium* eſt:) id nullâ ſe morâ confidit intraturum. Quòd autem illic *tria* militum *vexilla*, *Directorum* auſpiciîs impoſita, Cæſaris fidem reſpuerent; redimendi temporis cauſsâ, flammâ corruptîs, & deprædatione vaſtatis, ſuburbanîs ædificiîs Novodomenſium omnibus, Pilgramium feſtinavit. (102) quò priuſquam perveniret, & id invaderet; in via, ſubmiſsas à Comite Turriano Pilgramienſibus, ſuppetias delevit. (103)

Hîs *Turrianus* & *Kynzkius* cognitîs; celeritate maximâ Budowiſiô, quod obſederant, motîs caſtrîs, *Tampierium* inſequuntur; &, ad Biſtricii pæne portas uſq; compulſum, recipere ſe cogunt poſt *piſcinam*; cui prætenſum arbuſtum denſum, novam, ac

ac firmiorem, permuniendi ſuî facultatem *Tampierio* fecit. ubi proinde, deſperantibus ejus oppreſſionem Turrianæîs, ac retrogreſſîs, aliquouſque locô ſe tutô ſic tenuit; ut ſubinde tamen, & erumperet in finitima, populabundus; *Gomitzium*, Bohemicæ factionis oppidum, aſtu caperet; &, quòd annonâ cumprimis refertum id inveniſset, diripiendum militi totum quantum permitteret. (104) ut denique (priuſquam, à Cæſare Viennam revocatus, ejus voluntate Comiti Bucquoio rerum ſummam, & exercitum Cæſaris univerſum, per manus traderet;) (105) validum *Pilſnenſibus* præſidium importaret. (106) *Pilſna* namque, regni Bohemiæ, poſt Pragam, facilè primas inter urbes cenſenda, non videbatur in hoſtium fide relinquenda, vel in unum anni quadrantem. Ea, mediô ferè Tachavium inter & Caroloſtenium, ſed ad latus, ſitu, paullò ſupra Wattónis & Mieſsæ confluentes; opere naturâque loci, quantum ſatis erat, munita: commodùm tunc *Cæſaris* etiam ad obſequium (nam Romani Pontificis nunquam exuerat) regreſsa fuerat: poſtquam, Ordinum Bohemicorum fœdere, Directorúm-

Anni Acta.

rúmque conjuratione, *veræ* jugulum *Eccleſiæ* peti, bellúmque jam, non *Regionis* magìs, quàm *Religionis*, fore (ſicut factum eſt) cives agnoverunt. Nuncium ergò fœderi conſpiratorum remiſerunt: & ea propter, quid in futurum tempus ſibi malorum ab iis impendéret, facilè præſagi; dirutîs per ambitum ferè circumquaque ſpecioſiſſimis, ac Principum ſede dignîs, domiciliis ſuburbanîs, tanquam hoſtium latebrîs; & comportatîs in urbem victûs ſubſidiîs, intráque turres ac mœnia numeroſiore receptô milite: ſemet adversùs vim omnem omni vi contrariâ comparabant.

XXXI. Sub idem porrò temporis, *Acatholici* quidam in Germania, fœderis *Correſpondentium* auctores, ac duces, qui verbîs, arte *Camerarianâ* compoſitìs, & è Rotenburgenſi conciliabulo miſsîs, à bello Bohemis inferendô ſollicitè Cæſarem dehortabantur; reipſa Bohemos, (reconciliatione cum Cæſare ſeditioſis diſsuasâ, quò licentiùs interim ipſi, Matthiâ curîs armorum demersô forìs, Imperii viſcera miſcerent, & convellerent,) (107) ad belli curſum inflammabant. Id autem & conſiliis facie- bant,

Digitized by Google

bant, & ſuppetiis : in ſubſidium eis miſsô, tanquam Hecubæâ Trojæ face, cum aliquot equitum peditúmque millibus, *Erneſtô*, Comite *Mansfeldiô*; nec invitô. Nam *ſimilis ad ſimiles accedebat*. Quanquam enim hujus monſtro pater fuerat, non ſanè *Vulcanus*, ſed vir, pace bellóq; clariſſimus, *Petrus Erneſtus*, *Mansfeldii* Comes, & Luxemburgi Gubernator: Mater tamen ei, Venus fuerat, Vulcano ſociata. Namque filius hic, ut cultu ſacrorum, ſic ortu ſanguinéq;, degener; ſemper ad exitum uſque vitæ, ſe ferocem juxtà, verſipellémque, protervum, inquietum, vagum, nec minùs rapacem, cruentum, incendiarium, ſacrilegum adhæc, & perfidum; impium, ac diſsolutæ conſcientiæ ſannionem, in humanis æquè diviníſque, præbuit. talíſque ferè, ſi non & deterior, ad extremum deceſſit in *Boſnia*. (108)

Sed hæc tamen poſteriùs, ac nempe, poſt *octennium* demum, *mors* evénit: *adventus* autem in Bohemiam *Mansfeldianus*, adhuc in procurſu præſentis anni; lætus adeò, gratúsque, pleriſque rebellionis participum: ut & locum ei, primos inter concilii ſui proceres, & in caſtris ſupremam tormentariæ

riæ rei præfecturam, darent. Et conſiliîs quidem rem commodúmq; perduellium promovendi, facultatem viro, caſtrîs jam Sabaudicîs præexercitato, non inopportunam, offerebat ardens ſuſcepta mens, ad eam, quam, ad decimum ſeptimum Auguſti menſis, proximè *Pragam-novam*, extra mœnia ſuſcitare *Turrianai* cœperant, munitionem perficiendam; & ad foſsas, hinc indè propugnaturis permeabiles, adversùs externam vim inducendas. cuj molimini manum plurimi, jam tum ab initiis, indefeſsam commodabant. Tantáque Cæſaris excludendi, ſociámq; civium manum exemplô trahendi, cura pervicacibus erat: ut operam ſuam munitoribus nonnulli quoque, non Senatorum duntaxat, ſed & Bohemiæ deterioris *Directorum*, própalam aſsociarent: ad id videlicet excitati, rumore partim, *Bucquoii* Comitis, tanquam Viennâ Pragam magnîs itineribus adfeſtinantis, ad eam occupandam; & occupatam, caſtellô (ſicut ſomniabant) altiſſimô firmiſſimôque, recèns excitandô, deſuper infrænandam. partim autem, munitionis novæ ſtruendæ ſollicitudinem eis injecerat, in captivi cujuſpiam ſinu veſtium deprehenſum char-

chartæ folium; *ichnographicâ* (109) ſignatum caſtelli perſcriptione, quod in *San-Laurentiano* Pragæ monte, coërcendæ civitati, ſuſcitari quondam poſſet. (110) Itâ, malam rebellium conſcientiam (utì fit) omnia terrebant; vera, vana: ſubindéq; luſus etiam ingeniorum innoxius, ac ſoli fortaſſe *tempori*, non autem *fidei fallendæ*, ſuſcepta comentatio.

XXXII. Sed *Mansfeldii* tamen, inter hæc, major (etſi bonis pernicioſior) in caſtris fuit, quàm in munitionum conſiliis, uſus. Is, præ cæteris omnibus, & veteribus *Utraquiſtarum*, & recentioribus, (quorum alii ſuper alios adlegebantur, (111) tum quoque,) ducibus electus erat, & à Turrianæo concilio miſsus: qui, magnîs inſtructus & copiîs, & machinîs belli currilibus, ad *Pilſnam* domandam, primùm, utì redivivus quidam *Adoniſedécus*, (112) de deditione ſuî Pilſnenſes interpellando, quæreret ex eis; *Cur, deſertô fœdere Chananæorum, transfugiſsent ad Joſuam, & Iſraëlitas?* à ſacramento Subutraquæorum, ad ſigna Cæſaris, & Catholicorum? Dein, ut detrectantes reditum ad fœdus Ordinum; malô cogeret, expugnaret, & armîs exueret.

Anni Acta.

Ac *Mansfeldius* quidem, hîs inſtructus mandatîs, ad expugnationem nihil reliquit intentatum; nec aliquid, pro ſuî defenſione, *Pilſnenſes*: uſqueadeo fortes, & animorum immobiles, ut diútinæ, nec fortaſse ſucceſsum inventuræ, circumſeſſionis damna cladésque veriti Directores, Mansfeldio ſolutionem obſidii demum imperârint. Nec ille dicto non audiens fuit; ad tertium à Pilſnæ mœnibus lapidem amotîs, nec ultra retractîs, caſtrîs; ne vel totus abîſse, vel univerſus adhuc eſse præſtò, videretur.

Secundùm quæ, viciſſitudinum humanarum immemores, qui *Pilſnam* tenebant; nec, (dum *pro Cæſare ſe ſtare* gloriantur,) expendentes, *Auxilia potentium, ſed procul conſtituta, contra propinquum hoſtem, umbras eſse, non corpora*; ſupra fortunam efferre ſeſe cœperunt: &, haud aliter, ac ſi ſoli Bohemorum omnium, liberi ſolutíque metu periculorum eſsent, in vicina rebellium excurrere loca; latè prædas agere; Mansfeldio, tanquam diffidenti rebus ſuis, inſultare; denique, pro victoribus ſe, cùm de ſumma re nondum decretum eſset, gerere. Quibus contumelîîs irritatus ex integro *Mansfeldius*, ut

ut facilè conſtaret omnibus, IN BELLO NIHIL ESSE NOCENTIUS, HOSTE DESPECTO: mandatô *Directorum* regreſſus ad oppugnationem *Pilſnæ*, (fruſtrà litterîs ſuîs Bohemicos illos *Ephoros* deterrére nisô Duce Bavariæ Maximilianô;) (113) quæcunque principiô juſsus erat, ad effectum perduxit. urbem, coronâ priùs circumdatam, ante viceſimum quartum Novembris diem, cepit; captam intravit; armîs diſcinxit; portarum clavibus, & libertate quavis, ſpoliavit; & in verba fidémque ſacramenti *Directorum* adegit. Pro quibus eum, quaſi præclarè geſtis, in cœlum *acatholica* Bohemia laudibus extulit: infra mortales verò cunctos, *Cæſar* illico proſcriptione depreſſit; (114) urbis, ab ævo Regibus fidæ, jacturâ graviter exaſperatus.

XXXIII. At, adversùm hæc, tantò Cæſareis imperatis obſequentior, *Comes Bucquojus*, etſi variâ ſubinde Martis viciſſitudine; nonnihilô jam liberiùs & alacriùs agebat, Comite *Tampieriô* ſemotô: quippe, cum quo, ſibi parére juſsô, non uſquequaque ſemper ipſi convenire ſuêſset. (115) Sunt in Bohemia, *Brodæ* nomine, civitates

geminæ : quarum inter ſe diſtinguendarum cauſsâ, *Bohemobródam* appellârunt eam, quæ, propiùs Pragam, & ad interiora regni, Pechowizium inter, & Albin fluvium, media jacet. alteram verò, quæ Sátzavam ad amnem, & Solem orientem, Moraviæ finibus incumbit, *Teutobródam*, quaſi *Brodam* diceres *Germanicam*, nominârunt. Ad hanc poſteriorem, per Polnæ, pérque Pribislaviæ ſaltus ac ſylvas, penetrandum eſt, ab ora Moraviæ, Caurum versùs ſitâ, Bohemiam intraturis. Penetravit *Bucquoiús*, ſuô cum exercitu: cepítq; *Teutobródam*. (116) Indè, Pilgramium (quod jam antè Tampierius ſubegerat) curſim tranſiens, (117) & hinc Neuhuſium, à Tampierio fruſtra nuper incurſatum, ipſe quoque tentans, uſus eſt ſucceſsu non ſecundiore : copiásq; ſuas, & tormenta militaria, cœlo pluviô, viîs iniquiſſimîs, adurgens ; progreſsu laborioſô, quódque periculi caput erat, in tergis hoſte jamjam hæſurô, traxit veriùs, quàm rapuit, Budowiſium versùs : ubi caſtra fuerant Bohemorum, oppidum illud, Cæſari fidum, oppugnantium.

Sed, quòd iîs, quæ diximus, incommodîs

dîs vexatum exercitum, reſpirare paullùm, oporteret; & interquieſcere, tractu machinarum enervata, jumenta, péropus eſset: priùs, quàm ad Budowiſium Bucquoius duceret, *Camnizii*, (locô, geminum circiter ad milliarium diſtante,) copias, & apparatum omnem, ſtitit: ac fluminum interea, rivorúmque, pontes nonnullos refecit. In his erat Bucquoius occupationibus, ſimúlque congreſsûs futuri meditamentîs: cùm paullò pòſt, ad diem Novembris nonum, jam Camniziô Budowiſium versùs motîs caſtrîs Cæſarianîs, adſunt à tergo, miſsu *Directorum*, Bohemicarum copiarum pedites & equites, non minùs *quatuordecim millibus*; conflictui parata multitudo. Noviſſimos hi Bucquoianorum invadere; cædendo carpere; dextrâque ſiniſtrâque preſsos, fundere ferociter, ac progreſsum remorari. quorum ardentem tamen (ut in hoſte, locum & opportunitatem nacto ſuam,) impetum, distinuêre multùm, duces ac præfecti militum noſtrorum *Marradiani*, qui primi patuerant hujc incurſui: tum inprimis tribuni, Rudolphus Tieffenbachius, Griechingus, Stauderus, Comes Collaltinus: omnium autem fortiſ-

Anni Acta.

fortiſſimè conſultiſſiméque, *Comes* ipſe *Bucquojus*; dum hoſtes, pontem quendam præoccupare feſtinantes, celeritate mirandâ præveniens, ac trecentîs ſclopetariîs ínſidens, ſpe ſuâ, cum ponte pariter interea dejectô, raptim dejecit: ne mox illac, utì contenderant, trajicere grandiora ſua tormenta bellica valerent. Inter hæc autem, aciem Bucquojus, reſtitutîs ſuorum ordinibus, in prælium juſtum inſtruebat. Sed erat loci, quà neceſsariò pergebatur, iniquitas ingens; ſylva, circa Budowiſii tractum, *ambagibus* (118) ſinuoſa; proptereáque, tranſitus exercitui, ſub armis laboranti ſarcinîsque, perquam operoſus.

Verùm huic quoque difficultati Bucquojus antevertit; ducentîs ad primum ſaltûs illius aditum jaculatoribus collocatîs: qui, nunquam intermiſsâ ſclopetorum exploſione, tamdiu Bohemos ingreſsu plenô ſylvæ prohiberent; quoad, evictô penitùs ſaltu, noſtri campeſtrem & apertam in planitiem evaderent. Is locus, ad *Saslaviam* fuit; (119) æquabilis, & ad conſerendam manum ſpatioſi, ſoli.

Concurſum igitur illic eſt, ingentibus utra-

Digitized by Google

utrarumque partium animis : ac fortiſſimè continuîs quinque dimicatum horîs ; tam ardentibus in pugnam ſtudiîs : ut certamini finem, non fatigatio, ſed nox ingruens, impoſuerit. Eo præliô, *Griechingus* occubuit, ictu plumbeæ glandis ſtratus, vir fortiſſimus : poſtquam, armorum licèt tegumentô nudus, cum invicta jaculatorum ſuorum manu, ter hoſtes, quà denſiſſimi conſtiterant, aggreſsus, intrepidè proturbârat. De cæteris, *Cluverus* quidem tradit, (120) *concurſum ambiguô præliô, plurimîs utrimq; deſideratis.* Nicolaus autem Bellus, (121) *De cæſorum utrimq; numerô certi compertiq; nihil conſtare*, memoriæ prodidit. qui tamen rectè ſic dubium hoc diſpeſcit. Cùm Bohemis, & locus primò ſecundior obtigerit ; & multitudo pugnatorum, quàm in acie Cæſarianorum, numeroſior ; facilem eſſe conjecturam, plures ab hac parte, quàm illâ, cecidiſſe : nempéque Bucquoianorum, *quadringentos* ; Bohemicorum autem, hîs pauciores, interîſſe. De Cæſarianis verò *ducentîs* captîs, ac Pragam miſsîs, conſenſu traditur : quos illuc, *velut in triumphum ductos*, ſcriptor Boicarum rerum noviſſimus affirmat : *Bellus* autem,

tem, captivorum illorum quoſdam, ad ſigna tranſîſſe Bohemorum, refert. Meliùs, ac feliciùs, eâdem adhuc nocte, quæ prælium diremerat, cum exercitu ſuo, Bucquoius tranſiit, & oppugnatione Bohemorum liberavit, oppidum Budowiſium; quò primò contendere deſtinârat. Triduô verò pòſt (122) *Crumaviam*, perquam opportunum, in Auſtriæ finibus aditúque, præſidium & oppidum, trecentîs illic impoſitîs peditibus armatîs, & equitatu ducentorum, intercipit ac firmat; inſigni Cæſaris bonô; *grandiq;* (quod Cluverus ait) *Bohemorum malô*. (123) Cæterùm, inter hæc, ipſe majorem ex Auſtriis, aut undeunde tandem, avidè, (nec abs re,) manum opperiebatur.

XXXIV. Jam enim, *Sileſiis* à ſacramento Cæſaris ad partes Bohemicæ conjurationis, palàm, & ex profeſſo, transgreſſîs; *Turrianus Comes* Marchionem Brandenburgicum, Joannem Georgium, *Jegerndorffii* dynaſtam, aliquot Sileſiaci militis millia ſub ſignis habentem, in Bohemiam acciverat: ad armorum ſocietatem ſecum, adversùs Cæſarianorum omnes inſultus opprimendos, quantâ maximâ poſſet celeritate, jungendam.

Nec

Digitized by Google

Nec defuit Turriani poſtulatis, vel *Jagerndorffius*, (124) vel *Sileſii* ſectariæ factionis Ordines; cauſsæ Bohemorum rebellium palàm patrocinantes: offenſi, quòd expoſtulatoriis eorum, *minis* veriùs, quàm *precibus*, ſuper Heterodoxæ religionis exercitio publico liberóque ſibi conſtabiliendô, Matthias Imperator continuò non annuiſset. Erant enim ea tunc hominum generis illius ingenia, quæ, cum *Zebedæi* duobus filiis, adhuc in diſciplina morum imperfectioribus, dicere, ſed non eâdem cum Apoſtolis illis Innocentiâ, ſupremæ poteſtati cuivis auderent; quod illi manſuetudini Chriſti, regis-regum, pudibundè dicebant: VOLUMUS, UT, QUODCUNQUE PETIERIMUS, FACIAS NOBIS. (125) Et hoc *acatholici*, non *fecêre* duntaxat, (126) ſed *facere* quoque *perſeverárunt*, Sileſii; ne Lignicenſis quidem Ducis, eos dehortantis, & è caſtris Bohemicis revocantis, auctoritate correcti. (127)

Turrianus autem ipſe, Jægerndorffii Sileſiorúmq; concitator, utriuſque gentis copias in geminum partitur exercitum. quorum *hunc*, ipſe ducens; *illum* verò, *Comes*, conſiliorum ejus actorúmque ſocius; (128) in

Anni Acta.

in Auſtriam, Cæſaris gentilitium ſolum, movebant. Et quoniam Bohemiæ regnum, judiciô ſupputationéque conjuratorum incolarum, paucos intrà menſes illos, quibus id Tampierius ac Bucquojus perſultârant, deprædationibus incendiîſque graves, ad *trium* facilè *millionum* ſummam damni cepiſset, ac detrimenti: factum eſt, ut Comitum quidem illorum *poſterior*, cladibus & ipſe, prædîſque faciendis, intentus, præter mille Cæſarianos, ad Budowiſium deletos, (129) cum quatuor plerumque prædonum millibus, à Zwételа ſuas orſus excurſiones, ad nonum uſque milliarium propiùs Viennam, Auſtriæ Boreales oras infenſaret, atque diriperet.

Hæc, ſub Novembris vigeſimum quintum geri cœperunt: ſub quod ipſum ferè tempus, in tractu Zwételæ, (quo nomine cœnobium, & oppidum, ſunt, ad Zwételam amnem Auſtriæ fines inchoantia,) præter quadraginta duos, rapinîs onuſtos, currus, & mille pecudes, victui militum deſtinatas, argentum etiam (Tampierii, ſicut ferebant, caſtrenſe peculium) interceptum, malè Cæſarianos habuit: quando *ſeptuaginta millium Philippeorum* numerata pecunia, Comitis ejuſ-

juſdem illius, quem Turriani Collegam diximus, manibus obvénit; præſidiô curruum, partim interfectô, partim in vinculis abductô. (130)

Comes autem uterque *Turrianus*, ille nempe *ſenior*, & filius, ei cognominis, nihilô ferè modeſtiùs agebant. Nam, inter hæc, Turrius *Junior*, Hardeckii Comitis, reclamantis, filiam virginem, haud utique reclamantem ipſam, procatus; eam ex arce paterna, quinque milliaribus Viennâ diſtante, quatuor ſtipatus equitum turmîs, rapit: ac Neuhuſii Bohemorum ſibi conjungit. *Senior* autem Auſtriam, Viennæ viciniorem, irrumpit. (131) Ejus potiſſimùm terrore perculſum Cæſarianum, à Bucquoio nuper impoſitum occupatæ Teutobródæ, præſidium, ad nonum Decembris diem profúgit in montes, Auſtriæ finitimos. ſed eorum pars militum, priùs mortem in Alpibus, & itinerum anfractibus, quàm Auſtriam, invenerunt; vi frigorum, ac viæ labore, laſſitudinéque, confecti.

Turrianæorum quoq;, non penitùs ignara cladis, licentia volitavit: quippe, quorum, ſub exeuntem hunc annum, numerum memora-

morabilem *Tampierius*, contractâ ſuorum celeriter ter millium manu, circa Cremifanium, (132) profligavit. Ipſe verò Turrianus, variè cis Danubium in Auſtria vagus, non bellabat magìs, quàm diſpersîs per provincias libellîs populos, & Ordines Auſtriæ, cumprimíſque Nobilitatem, ſollicitabat, ad armorum cum Bohemis ſocietatem: *divitias è prædis Eccleſiaſticis, ac Religionis intrepidam poſthac libertatem*, omnibus promiſcuè pollicitus. Neque, dum hæc agit, nihil in Cæſareis ditionibus promovebat; Conjurationi jam proximîs, Móravis etiam, ac Luſatiîs: Anutantibus verò Proteſtantium Inferioris Auſtriæ compluribus; adeò quidem, ut, proſperîs Bohemorum adversùs Cæſarem inoffenſi, pro commodis ejus & auctoritate, nec conſiliô multum, nec opibus armîsque quidquam, aliquouſque conferrent.

XXXV. Inſolentiores autem haud paullò, *Super-Anaſſini* ſectarii: præter impudentiam, quâ ſibi religionis in rebus licere flagitabant, quidquid placeret; non extortô, quod voluerant, fecêre, quod nunquam *Anaſsus* illorum; ut adversùs caput ſuum retortô curſu fluitaret. Tanquam enim, poſt arro-

Digitized by Google

arrogantis poſtulati repulſam illam, nec aliis in rebus conventô Cæſare deinceps opus eſſe ſibi, jactarent; eodem inconſultô, ſecundùm Danubii ripam aggeſtâ terrâ, ductâque per ambitum foſsâ, *propugnaculum* excitârunt. tum, ſub hæc, exadversùm oppoſiti ſaltûs-Bohemici ſylveſtres anguſtias, excisîs, ac decuſsatim alterîs ſuper alteras injectîs, arboribus, ingreſsui progreſsuíq; clauſerunt: verbô quidem, utì limitaneos Auſtriæ fines adversùs hoſtem tutarentur; reipſa tamen, ut Bucquoium, cæterósq; duces Cæſarianos, (quos ipſi potiùs, quàm Turrianum ullum, aut Mansfeldium, ſuos inter adverſarios numerabant,) ultro citróq; commeandi neceſſitudinibus intercluderent. Cæſareîs autem mandatîs celeriter admoniti, munitionem utì dejicerent, vias diſeptas aperirent, Cæſarianas copias armorùm ſocietate, commeatibus, annonâque, juvarent; contrà, quàm mandatum fuerat, egerunt univerſa: quando, (quod nefas,) eorum *omnino nihil*.

Nec id tamen adeò quis mirandum in *Super-Anaſsinis* judicet: ut, quorum pertinaciæ culpa, ſi non omnis, certè quidem potiſſima, jam tum in incompoſita magis agra-

agrariâque multitudine, quàm in *nobilitate*, reſederit. QUID enim ab heterodoxorum *agreſti vulgo*, (*plurimorum cornuum inſanâ pecude*,) niſi *ferinum* ac refractarium, exſpectâſses? Id verò ſtupendum potiùs, id dolenter ſimùl indignantérque videbatur optimo cujque tunc ferendum, in ipſis Bohemicæ conſpirationis *capitibus*, ac *Directoribus*. cùm, à primo jam exortu rebellionis, ac nempe *Maji menſis* decurſu, per hujus anni menſes reſiduos univerſos, continuæ meâſſent ad eos, ac remeâſsent, Viennâ dehortationes: cùm, ſuper hæc, è legum forma lectus, & promulgatus, eorum Rex, *Ferdinandus* Archidux, à Calendis verò Juliis (133) regnum etiam atque coronam Hungarorum adeptus; frequentibus eos epiſtolîs, ad obſequium Cæſari reddendum, &, ſeipſo deprecatore, veniam exorandam, ſtimularet: cùm illos, ad éadem reconciliationis compendia, viri Principes Imperii vocarent, & impellerent; Elector Saxoniæ, Joannes Georgius; Bavariæ Dux, Maximilianus; Dux Lignizii, Georgius Rudolphus; extra limites autem Imperii, rex Poloniæ, Sigiſmundus: cùm denique noviſſimîs inſuper hujus, tum anni, tum

Digitized by Google

tum menſis, litterîs, Wallenſteniô legato latoréque, (134) pertinaces Bohemos illos, interpoſitâ quoque ſeorſum Septemviri Saxonis auctoritate, Cæſar idem tantùm non rogâſset: *Redirent aliquando, vel ſerò tandem, poſt tot errores, in viam; & ab armis ad pacem, à turbis ad quietem & officium. Ferdinandum interpellarent regem; culpæ tam multiplicis deprecatorem: bimeſtrium interim induciarum conſilium admitterent: captivos ſuos, captivô Cæſaris, quem flagitáſsent, permutarent.* Cùm hæc, inquam, omnia contumacibus offerrentur, & ingererentur; fruſtrà fuerunt, & commiſsa ventis, univerſa: niſi, quòd, vinctos à ſe, *Panzónum* JCtum, ac *VVillingum*, Cæſari remiſerunt: & à Cæſare *Jeſsenium*, Hungaros, ni retractus fuiſset, concitaturum (ut ſuo loco memoravi,) receperunt: *permutatione*, quod in Græcis adagiis eſt, *Diomédis & Glauci.* Priores enim illi duo, viri bonæ ſanæque fidei, ſtationem ſuam inoffensè tenuêre. *Jeſsenium* autem, improborum fatîs, *diei malo reſervatum*, (135) plenô necdum exactô trienniô, ſua carnificabunt, in theatro fori Pragenſis, ſupplicia. (136)

XXXVI.

Anni Acta,

XXXVI. Cæterùm, Cæſare, nec extremô quidem Decembris die, Bohemis obfirmatis exprobrare juxtà, minaríque, paternô magìs, quàm imperiosô ſtylô, deſinente; (137) *Directoribus* autem in eo, quod poſtea luerunt, nihilô ſegniùs perſeverantibus: clarum, hôc ſtatu rerum, fuit, haud ità multùm laborandum futurorum conjectoribus fuiſſe; *parùm*, *an multum malorum*, Orbi noſtro præſagiret ille, de quo ſuprà retuli, *nonô Novembris* (138) *die* conſpici cœptus, diuturnúsque poſtea cœli poſſeſſor, *Cometes?* Cùm enim, ſic paſſim euntibus in Europa, redeuntibúsque, rerum turbatarum fluctibus, ne *malacia* quidem induciarum, nedum *quies* ſperari, portúsque, poſſet: *Prudentia*, quæ, Cornelio Nepote judice, *Divinationis quoddam genus eſt*, (139) rerum eventurarum prænuntiationem è flammis *cœleſtibus* non admodum exſpectavit: ſed *flagrantem* ipſam, & ex ſe *ſuccenſuram* alia plura regna, *Bohemiam*, ceu terreſtre quoddam, & vaticiniîs fœtum, *Incendium* aſpexit: ad ſummam denique, tanquam ipſius, mox ſecuturi, Cometæ *ſuperi*, prævium quendam in *terris* Cometam. (140)

TESTI-

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(1) *De his Appamianum vide, in annum 1618. num. 9. & Jo. Cluverum, pag. 779. col. 1.* (2) *Pſal. 52. v. 6.* (3) *Hîs ipſis enim verbîs utitur proclamator Pacis, Imperii Vicecancellarius, Joann. Ludovicus, Baro ab Ulm: apud Gotthard. Arthuſium, initiô libri 23. pag. 1533. col. 2. v. 4. ante fin. De eâdem Pace, initâ & confirmatâ, tradit & Appamianus, in hunc annum, num. 1.* (4) *Hanc calamitatem Cleſelianam, invidiosè ſatìs adductam in narrationem ſuam à Præſide Parl. Toloſ. lib. 4. pag. 242. & 243. ego, ne inofficioſum me exhiberem hiſtoricum, ex toto nec præterire volui; nec tamen etiam exenterare. Modeſtior aliquantò, præter morem ſuum, in ea recenſendâ Cluverus fuit, pag. 779. col. 1. princ. Plenior nonnihilô, certéq; rei geſtæ ſcientior, Toloſate, Auctor hiſtoriæ Boicæ recentior, Parte 3. lib. 3. num. XI. Gramondus porrò hallucinatur; quando libro 4. pag. 243. princ. ait,* E Cleſeliana captivitate Bohemis iram in gentem Auſtriacam, & hinc Seditionem, ac bellum, enata eſse. *qui inſignis eſt, ψευδοχρονισμὸς, καὶ παρεισοεία: cùm Seditio, bellúmq; Bohemicum, à Majo jam*

menſe cœpta ſint: Cardinalis autem Auguſtô demum menſe captus: hoc eſt, octavô ante Matthiæ Imperatoris obitum menſe, (ut rectè Cluverus adnotavit:) qui obitus contigit, menſe Martiô anni 1619. (5) *Adolphus Brachelius, lib. 1. geſtorum ſui temporis, ex Joan. Petro Lotichio, rerum Germanicarum tomô 1. Attingit autem narrationem hanc & Cluverus, pag. 779. col 1. poſt med. Sed planè generatim, ac pauciſſimis. Ait tamen, proditores ejus Urbis magno numerô deprehenſos, ac ſingulari fuiſse felicitate oppreſſos. De* Ducentis *verò* ſubmersîs extra portum, *Nicol. Bellus tradit, in Laurea Auſtr. lib. 2. §.* Zwiſchen diſem. *De nonnullis, è nobilitate quoque Adriatica, proditionis ejus conſciis, & hinc, in oculis cognationis cujuſq; ſuæ, noctu ſubmerſis; de Corſaro Zadupéro, Celtâ, deorſum verſus è malo triremis ſuſpensô, cæteráq; quædam periſtatica, Látomus Francus memorat, in Annum 1618. quaternione, C, 3. Francofurti in 4. formâ editus.* (6) *Brachelius lib. 1. pag. 9. poſt med. & Boicorum auctor anonymus, infrà citandus locô ſuô.* (7) *Sic Appamianus appellat locum hunc, in annum 1618. Buchananus autem, rerum Scoticarum lib. 7. pag. 232. edi-*

editionis Edimburgenſis anni 1643. in 8. ait, olim urbem illam dictam fuiſſe Pertham. *Poſtmodum verò, à VVilhelmo, rege nationis Scoticæ nonageſimo tertiô, denuò, & locô habiliore, exſtructam;* Perthum *(in genere neutro) appellari cœptam eſſe.* (8) *Fratrum, cognomentô* Plantarum, *ſeu* à Planta, *& Archipresbyteri Sondrenſis, ut & aliorum, à ſectariis Griſonibus occiſorum; meminerunt in ſua, contra Griſones, Apologiâ Vallis Tellinæ Catholici, apud Gramondum libro rer. Francic. 8. pag. 387.* (9) *Eundem Gramondum vide, lib. 3. pag. 200. talia Luinæi Acta diſcutientem.* (10) *Appamianus, in ann. 1618. num. 13. &, fuſiùs Appamianô, Gramondus lib. 3. de geſtis Ludov. 13. pag. 201. & 202. Ubi & præconia, quæ de Perronio Card. in cumulum ſubjungo, reperies.* (11) *Eccleſiaſtici cap. 3. v. 22.* (12) *Apocalypſ. 2. v. 6.* (13) *Boicorum annal. ſcriptor noviſſimus, Part. 3. lib. 3. num. ult. De Philippina verò, vide Nicol. Rittershuſii Genealogiam Imperatorum, Archiducum Auſtriacorum è ſanguine, tabul. 2. in Ferdinando Tyrolenſi.* (14) *Adolph. Brachelius lib. 1. hiſtor. ſua, pag. 12.* (15) *Lib. 3. de geſtis Ludov. XIII. pag. 209.* (16) *Idem ibid. paullò ante med.* (17) *De*

his tribus ſilet auctor Boicor: noviſſimus, Parte 3. lib. 2. num. 38. ubi cæteros, qui ſequentur, ennumerat. Expreſſè verò eos & nominat, & in hunc annum 1609. refert, è Lotichio, Adolphus Brachelius pag. 4. libri 1. An fortaſſe tres Electores illi ſeriùs ad Ligam acceſſerunt? Equidem, univerſum illud Catholicorum fœdus, rear, annô quidem nonô cœptum; at, quibuſdam adhuc Principibus in illud dare nomina differentibus, quodammodo ſemiplenè: completum verò, ſuiſq; numeris, perſonîs, & legibus perfectum, annô demum, partim decimô octavô; quo ſeriò reſumptum fuit, accedente ad illud, etiam, aut denuò, Joan. Svvikardo, Electore Moguntinô; partim, annô decimô nonô; quo, menſis Decembris die 14. fœderis conditiones in tabulas ſunt relatæ. De quo, ejúſq; cauſſis, vide eundem illum Boicorum ſcriptorem Part. 3. lib. 3. num. 25. §. Cæterùm Maximilianus. *&c. Sic auctores inter ſe componuntur.* (18) *Is enim, hôc annô 1609. quietus adhuc in Archiepiſcopali ſede ſuâ, annô demum hujus Sæculi undecimô, hoc eſt, bienniô pòſt, incluſus eſt; ac ſucceſſorem accepit Marcum Sitticum: ut Boicus ſcriptor Partis 3. libro 2. à num. 42. uſque ad finem illius libri, ſatis declarat.*

Septennium III. Annus 1618.

clarat. (19) *Quem*, ultimum *inter* Ligæ *fœderatos numerat*; *ſed non nominat*, *Adolph. Brachelius*. *Boicus verò ſcriptor recentiſſimus*, *Partis 3. lib. 2. num. 8. Julium quidem epiſcopum Herbipolenſem nominatim ponit: ſed*, *Bambergenſem nominare*, *prætermittit*. (20) *Quam ob cauſſam Boicus ſcriptor*, *locô cit. à* Præpoſitura *tantummodo eum celebrat*, (*etſi ſanè*, *vel eô ſolô*, *nihilominus S. R. I. Principem*:) *Brachelius autem abſolutè*, Aichſtetanum *eum* Epiſcopum *vocat*. (21) *Hunc Boicus rec. loc. cit. exſertè ponit*, *ac nominat*: *Brachelius prorſus omittit*. (22) *Hanc fœderis cauſſam*, *ceu primariam*, *apertè tradit Boicus ſcriptor rec. Partis 3. lib. 2. num. 38.* (23) *Brachel. lib. 1.* & , *id factum fuiſſe in* Aſchhuſienſi *Proteſtantium conventu*, *Boicus annalium ſcriptor. rec. memorat*, *Partis 3. lib. 2. num. 37.* (24) Fridericum *putà IV. quem Boicus rec. lib. cit. num. 38 prænominat* Joannem. (25) *Idem Boicus Partis 3. lib. 3. num. 12.* (26) *Hoc* & *in Brachelio fieri*, *à pag. maximè 5. ac deinceps*, *ſæpius animadvertas*. *Arthuſius autem*, & *Michaël Beuterus*, *in Actis publicis*, *lib. 23. Slejd redivivi*, *paſſim* Subutraquiſtis *generatim* omnia *tribuunt*. (27) *Hos annos ipſimet*

Proteſtantes nominant, in Apologia ſua apud Arthuſium, lib. 23. pag. 1539. col. 2. ante fin. quibus annîs ſcil. Litteras Majeſtatis *urſerint, & tandem etiam impetrârint, à Cæſare Rudolpho II.* (28) *De his, vide Boicum ſcriptorem rec. Partis 3. lib. 3. num. 13. & Arthuſ. lib. 23. paſſim. Cæſar autem Matthias, in ſua, quam inſcribunt,* Informatione, *apud eundem Arthuſium, pag. 1556. col. 2. poſt med. appellat eos,* Defenſores Conſiſtorii. (29) *Apud Michaëlem Beuterum, Slejd. redivivi parte 2. lib. 23. pag. 1540. col. 1. poſt princ. quæ incipit:* Wir Herren / Ritter / Prager / Kuttenberger / vnd anderer Ständen / Abgeſandte. *&c.* (30) *Boicus rec. Partis 3. lib. 3. num. 13. ipsô initiô.* (31) *Lege, ſi vacat, ac lubet,* Informationem *Cæſaream Matthiæ, de ſeditione Bohemicâ: quæ extat apud Mich. Beuterum lib. 23. Slejd. rediviv. pag. 1556. col. 2. & 1557. col. 1.* (32) *Dictio Varronis eſt, Romanorum eruditiſſimi, hôc ipſo, quo poſita nobis eſt, ſignificatu: lib. 2. de re ruſticâ, cap. 6.* (33) *Cum cæteris, Sigiſmundus Latomus, in Continuat. relat. ann. 1618. pag. 42. poſt princ.* (34) *Ità ratiocinatos (ſed, uti Matthias Cæſar poſtmodum decidit,* Irrationabiliter, *dum de iis ait,* In dem ſie

ſie die geiſtliche Güetter der Cammer-Eygenthumb/ mit vnbeſunnenem Verſtand pflegen zu nennen/ *Arthuſ. lib. 23. pag. 1557. col. 1. poſt med.) utpote* ſophiſtas, *qui duces fuerunt & concitatores Bohemicæ rebellionis; fusè patet ex Apologia Turrianæ, cæterorúmq; Directorum, Articulis 7. & 8. & 9. & 10. & 11. ac 12. apud Beuterum, in Slejd. rediv. pag. 1546. utrâque col. & aliquid etiam Boicus ſcriptor recborum inſpergit, Partis 3. lib. 3. num. 14.* (35) *Area illa, ſupra quam ſtruebant fanum ſuum profani illi Brunovienſes, ad Abbatem pertinebat ejuſdem illius loci, & oppidi: & non (uti quidam recentior perperam exiſtimavit) ad præſulem Strahofienſem; qui diſtinctus erat à præſule Brunovienſi: ut clarum eſt ex iis, quæ Jac. & Joan. Franci, referunt in geſtis anni 1619. pag. ante quaternionem B. uſque ad med. de iis, quos Bohemici Directores proſcripſerunt.* (36) *Germanicè nominantur à Beutero paſſim, lib. 23.* zu Cloſtergraben. *Latinus ſcriptor Brachelius,* Cloſtergrabienſes *vocat; convenientiùs (uti reor) quam alii,* Clauſtrograbienſes, *vocabulô, ut ſic dicam, hybridâ, ex Latio Germaniâq; mixtô. Cur autem non potiùs Compoſitô plenè Romano, ſi ſemel à Teutonico rece-*

Anni Acta.

datur, Clauſtrofoſsanos *quiſpiam eos dicat?* (37) *Libro 1. pag. 5. & Matthias Imperator, in Informatione ſuâ, ad initium.* (38) *Apud Mich. Beuterum lib. 23. pag. 1542. col. 1. poſt princ.* Die Statt Braunau. (39) *Brachelius lib. 1. pag. 5. ante fin. Matthias Imperator, apud Arthuſ. lib. 23. pag. 1557. col. 1. fin. & in ſcripto ſuo Increpatoriô, ad Ordines ſeu Status regni Bohemiæ, apud eund. Arthuſ. pag. 1537. col. 2. poſt med.* In der Statt Cloſtergrab. *Ità & Nicol. Bellus, in Laurea Auſtriaca pag. 22. col. 1. ante fin.* (40) *Apud Michaëlem Beuterum, lib. 23. pag. 1542. col. 1. ante fin.* (41) *Vide ſcriptorem Boic. recent. Part. 3. lib. 3. num. 15. ad init.* (42) *In ipſo oppido id factum eſse, docent verba Matthiæ Imperat. in Informatione ejus. ubi, poſt initium ſtatim, ait,* Ein neue Kirchen / in ſeinem Flecken / aufzubauen. (43) *Hoc graviter Imperator Matthias ſenſit: ut videre eſt in ejus, ſæpe jam citatâ*, Informatione, *longiùs poſt initium.* (44) *Ità loquitur idem Imperator, in eádem Informatione:* Defenſores illos præclaros mandâſse Brunovianis: Weil diſe *(inquit)* ihnen durch ihre Schreiben Anlaß geben / Mit den geringſten Fueß zu rugg zu weichen; ſonder vil

vilmehr/ was ſie angefangen/ mannlich voll-bringen. *Arthuſ. lib. 23. pag. 1556. col. 2. poſt med. longiùs.* (45) *In auth. de conſu. in princ. col. 4.* (46) *Publii Mimi gnoma eſt, circa fin. ferè Sententiar. ejus.* (47) *Franciſci Philelphi, ante annos 200. ferè, dictum eſt, lib. 14. epiſtolar. in ep. ad Nicol. Tranchedînum.* (48) *Boicus recen. Partis 3. lib. 3. num. 13. poſt med.* Aderant (*inquit*) Examini, ex profeſso vocati, *&c. ut ſequitur in corpore narrationis noſtræ.* (49) *Quem Apparmanus (ut ego in Metro) vocat* Turrium, *in annum 1618. num. 3. alii, ut opinor,* Turrenſem; *is* Comes *de, vel à* Turre, *vulgò dicitur. noſtris Germanis,* Der Graff von Thurn. *Franco verò, in Continuatione Relat. Magdeburgi impreſsâ, paſſim, & neſcio cur?* Der Graff von Thurmb. (50) *Non autem* Carolſtadii *gubernator; ut quidam ſcribit, pro* Carolſtejnio. *Hujus autem 1618. anni, menſe Majô ſaltem, Comitem Turrianum non fuiſse ampliùs Carolſtenii, ſicut antehac, gubernatorem, & Coronæ Bohemorum regiæ Cuſtodem (niſi fortaſse per antiphraſticam ironiam, uti lupus eſt ovium cuſtos,) patebit indè; quòd, ut inferiùs exponemus, ab ipſomet Turriano, ſociiſq; Directoribus, is, qui tunc,* id

Anni Acta.

id eſt, Majo menſe anni 1618. Carolſtenii gubernator, & Coronæ Cuſtos fuit, dignitate dejectus eſt; & ſucceſſorem accepit. (51) *Hos duos nominat ſcriptor Boicorum recentior. tertium, ſinè nomine, dicit*, E civibus fuiſse, ſed inter præcipuos tamen litterarum-Majeſtatis propugnatores. *Part. 3. lib. 3. num. 13. Cæſar autem Matthias, in ſua ſæpius laudatâ nobis* Informatione, *generatim ait*, Den Graffen von Thurn / beneben zweyen andern / auß den Defenſorn, berueffen. *Apud Arthuſium, libro 23. pag. 1557. col. 1. poſt init.* (52) *Ità eos appellat Cæſar, in Inform.* Biß ſo fern die fürnembſte Häupter / vnd gleichſam Vorſpihler diſes Tantzs der Aufruhr / auf Ihr Mayeſt. Befelch zur Haftung gezogen worden. (†) Verleyh vns Friden gnädiglich / HErr GOtt / zu vnſern Zeiten. *Jacob. Franc. & Latom. in Continuat. relat. pag. 24.* (53) Montags Rogationum (*inquit Ordinum Evangelicorum Apologeticus libellus*) *apud Arthuſium, pag. 1543. col. 1. ante fin.* (54) *Anno Chr. 683.* (55) *Saurius, de Urbib. tit.* Praga, *pag. 78.* (56) *Idem Saurius, pag. 75.* (57) Königliche Cantzley (*inquit Imperator Matthias, in Informatione, apud Arthuſ. lib. 23. pag. 1557. col.*

col. 2. ad fin.) doch ſonſten am ſicherſten Orth/ Zuflucht / vnd Freyheit der H. Kayſerl. vnd Königlichen Mayeſtätt/ Orth/ vnd Platz / *&c.* (58) *Vide notam præcedentem.* (59) *Hæc è diverſis petita ſunt, tam oculatis, quàm auritis, ac librorum, teſtimoniis; maximè verò, ex Abrah. Saurio, de Urbib. V. Praga. Nicolai Belli Laureâ Auſtriacâ, libr. 4. poſt pag. 342. Ex Boicor. quoque Annal. ſcriptore rec. Part. 3. lib. 5. à num. 66.* (60) Tabulam *vide* Temporariam, *anni 1618.* feſtorum Mobilium : *ubi, feriam quintam Aſcenſionis Domini, reperies, incidiſſe in diem 24. Maji. Dies ergò Maji vigeſimus tertius, quem ſcriptores omnes conſenſu unanimî aſſignant hujc Bohemorum atroci geſto, fuit* Vigilia Aſcenſionis Dominicæ. *Unde refutes hiſtoricum anonymum libelli* De turbis Bohemiæ : *qui id tragicum factum accidiſſe ait,* Poſt hebdomadam Rogationum, *pag. 1555. col. 2. ante med. apud Beuterum : cùm tamen dies Mercurii, immediatè Chriſti Aſcenſionem antecedens, ipſe quoque ſit unus è diebus Rogationum. Sed quid opus eſt prolixiore refutatione? cùm omnis hæc controverſia breviſſimè ſolvatur, ac veriſſimè, ex ipſorúmmet tumultuantium Apologia ad Cæſarem*

rem Matthiam: apud Sigiſmund. Latomum, in Contin. Relationis pag. 38. ad med. Cùm enim auctores facinoris illius, tertiô ſtatim poſt eum diem die, hoc eſt, 25. menſis Maji, ſcriptum illud ſuum ex Arce Prag: regia effudiſſent; id hîs verbîs concluſère. Geſchehen auf dem Prager Schloß / bey allgemainer vnſerer Verſamblung / den Freytag nach der Himmelfahrt Chriſti / welcher war der 25. Maji, Stylô novô, Ann. 1618. (61) Boicor. ſcriptor recent. Parte 3. lib. 3. num. 28. (62) Cæſar Matthias, in Informatione ſuâ, apud Arthuſium, lib. 23. pag. 1557. col. 2. ante fin. Mit einer groſſen / gewapneten / groben / vnd vngeſchmacken Schaar der Menſchen / vnd Meng / vmbgeben. &c. (††) Jacob. Francus Relat. pag. 72. princ. (63) Ità vocat eum Adolph. Brachelius, lib. 1. pag. 6. (64) Ità Jac. Francus Relationis pag. 25. eum nominat, Oberſten Land-Hofrichter: ut & Apologia Statuum, apud Arthuſ. lib. 21. pag. 1539. col. 1. fin. Brachelius, cum aliis, pag. 6. Cameræ Bohemicæ Præſidem eum appellat. Saurius, in Urbib. tit. Praga, Den Cammer-Præſidenten vnd Statthaltern. pag. 81. (65) A Conſiliis eum fuiſſe Cæſari, Saurius ait, in Urbib. tit. Praga,

Digitized by Google

ga, *pag. 81.* Regni Mareſchallum, *Flori Germanici auctor, Joan. Auguſtin. Paſtorius JC. pag. 2.* (66) *A Boico ſcriptore rec. & aliis, Philippus hic, cognominatur* Fabritius. *à Saurio, pag. 81. citatâ, ut & à Joan. Cluvérô pag. 778. col. 1. med. dicitur* Plattérus. (67) *Boicus recent. de his dicit, Part. 3. lib. 3. num. 29.* Viſi Conjuratis, ex Silentio, leniores. *Nicol. autem Bellus, lib. 1. Laurea, pag. 23.* Daß diſe 2. ſich wol accommodiert. (68) *S. Paul. ad Roman. cap. 13. à v. 1.* (69) *Brachel. lib. 1. pag. 6. ad med.* Réliqui tres (*inquit*) acriùs reſtitêre. *Latomus, in Contin. Relat. pag. 25.* Etwas Widerpart gehalten. *Saurius loc. cit. pag. 81.* Weil ſie (diſe drey allein) in ihr Vorhaben nit willigen wolten. *Boicus rec. Part. 3. lib. 3. num. 28.* Pauca (*inquit*) pro Cæſare reſponderunt. (70) *Sic enim appellabant Defenſores, in Apologia ſua primâ, apud Arthuſium lib. 23. pag. 1544. col. 2. poſt med. eò, quòd ſententiam duorum Comitum illorum, ac Cæſaris defenſionem, ab iis ſuſceptam, prout oportuit, approbâſſet.* (71) *Boicus rec. loc. cit. num. 28.* (72) *Id diſertîs verbîs, etiam Cluverus, ſcriptor allophylus, tradit pag. 778. col. 1. ad med. Qui, conſcientiâ ſuapte victus, id*

id facinus Bohemorum, ut & inferiùs, ejuſdem col. 1. fine, & col. 2. principiô, bellicoſam eorum contumaciam, & ſuperbum ad ſanitatem revertendi pudorem, *pervellicat*. (73) *Jacob. Francus, & Sigiſm. Latomus, citatâ ſuperiùs pag. 25. ajunt :* Durchs Fenſter / in Graben / (ſo ein ſehr groſſe Höhe /) ſtürtzen laſſen. *Boicus ſcriptor rec. Part. 3. lib. 3. num. 28. per ſpatium, ut minimùm, quadragenûm quinûm pedum. Abrah. verò Saurius, tit.* Praga, *citatô*, Sibenzwaintzig Ehlen tieff / *per mioſin. Appamianus autem num. 6. in annum 1618. & Joan. Auguſt. Paſtorius, in Floro Germ. pag. 2. ad med.* Quadraginta cubitos, *nobiſcum ponunt : Everhardus autem VVaſſenbergius*, Ampliùs quadraginta cubitis. *At Boicus ſcriptor, paullò antè citatus, addit, Scribere quoſdam*, Cubitos quinquaginta. (74) *Joan. Cluverius, pag. 778. col.* 1. *med. Ità verò loquitur & Joan. Auguſt. Paſtorius, Flori pag.* 2. *ad med. & Nicol. Bellus*, Doch aber alle drey / durch ſonderliche Vorſehung GOttes / mit dem Leben darvon kommen. *Ità vulgò longè magis & Catholici; ut Brachelius, pag. 6.* Divinâ ope ſervatos, *ait. Boicus, Partis 3. lib. 3. num. 28.* Singularî divinæ Protectionis bene-

beneficiô omnes vitâ incolumi evaſiſſe. *Cæterùm, eſſe non dubito, qui hôc locô, quo præcipitatio Procerum iſtorum refertur, exſpectent, & abeſſe conquerantur, Jocularis unius alteriúſq; cujuſdam dicti urbanitatem, quâ v. g. perhibetur, excuſandi cauſsâ, uſus, ex tribus dejectis unus, erga alterum, ſui casûs collegam; quem is illapſu ſuo fortè fortunâ contigerat, aut ſtrinxerat. Hi non vident; Haud omnibus omnia, omni loco, ſtatúq; rerum, convenire. Importunam eſſe in luctu muſicam: in hiſtoria gravitate, ſales, ac facetiarum gelasînos. Ut taceam, Nihil hujuſmodi prodi à publicis rerum Actis: nec in poſteros omnia mittenda, quæ populus prior dicta factáve, ſed nullodum Teſte claſſicô ſubſignata, credidit, ac vulgavit. Erit porrò, eodem nobis, in annis poſteris, cenſu, narratiuncula, neſcio quæ, vel quorum, alia quædam, de quodam Procerum, Cæſari rebellium; Ferdinandi II. nodulum, ſeu ſphærulam thoracis anterioris (ut ſpargunt) apprehendente, ac minante extrema; Niſi voluntati Conjuratorum per omnia acquieſceret. Donec enim, æneis inciſum tabulis, factum iſtud inferatur ærario: mihi ſaltem, erit, tanquam latens inter Apocrypha.* (75) *Hoc clarè dicit Bra-*

Anni Acta.

Brachelius, *lib.* 1. *pag.* 7. *ad med. ex ore Turriani*, *& cæterorum*, *Apologiæ fabrorum*: Quòd Slabatam, & Martinizium, & Secretarium, ex arce præcipites dediſsent. *&c.* beneficii locô habendum, quòd vivi evaſiſsent. *Vide*, *in hac*, *& Arthuſ. lib.* 23. *pag.* 1544. *in Apologia*, *col.* 2. *ad med. Item Nicol. Bellum in Laurea*, *lib.* 2. *pag.* 26. *col.* 2. (76) *Pſal.* 36. *v.* 24. *De* ejaculatione *porrò*, *Boicus refert Part.* 3. *lib.* 3. *num.* 18. *Brachel. lib.* 1. *pag.* 6. *poſt med. & Sigiſm. Latomus*, *pag.* 72. *in hunc annum.* (77) *De* Martinizio *nominatim*, *Boicus ſcriptor annotavit*, *num.* 28. *De effugio omnium trium generatim*, *Brachelius*, *lib.* 1. *pag.* 6. *poſt med.* (78) *Nicol. Bellus*, *lib.* 2. *pag.* 23. *col.* 2. *poſt princ. ubi ait*, Ein Thail Stände. *& Jacob. Francus Relat. contin. pag.* 25. *med.* Thails Stände / vnd ſonderlich der Graff von Thurn. *&c.* (79) *Qui hîc incredulus eſt*, *legat litteras Directorum ad Imperat: Matthiam*, 30. *Junii datas*, *anno* 1618. *apud Sigiſm. Látomum*, *pag.* 81. *& alteras eorundum*, *deteriores*, *ac prolixas*, 19. *Julii*, *ejuſdem anni*, *apud eundem Latomum*, *à pag.* 93. *Sed neque ſyncerius*, *aut modeſtiùs veraciúsq;*, *ſub* 10. *Decembris diem*, *legato Cæſaris reſponderunt*;

Digitized by Google

runt; poſtquam jam pridem apertum ei, & Offenſivum (*quod vocant,*) bellum *movendum eſſe, declarárant,* (*ut habes apud Nicol. Bellum, Laureæ lib. 2. pag. 81. col. 2. ad med.*) *ac reipſa, tunc vel maximè, & in Auſtria, Viennaq; oculis, movebant:* Müeſten ſolches (*quod Cæſar optimo ſuo jure ab ipſis requirebat,*) mit allen Landſtänden / den Schleſiern / vnd andern Confœderierten / berathſchlagen. Sie erkennten ſich vor Ihr Mayeſt: gehorſame Vnterthanen / (*riſum teneatis, amici, in hac* Marcomannicâ *temporis illius* Obedientiâ?) wünſchten auch von GOtt den lieben Frieden / (*en! uncta hypocritarum verba, in voto Pacis, quam ipſi profligabant!*) angehörte Vor- vnd Anſchläge aber / einzugehen / könten ſie Ohne die Confœderierte nit thun. *Rupiſſent ergò fœdera nefaria! rediſſent, ad juſtum ſui Regis obſequium, cervices duræ!*
(80) *Saurius, in Vrbib. tit.* Praga, *pag. 80. med.* (81) *In Informatione, apud Arthuſ. lib. 23. pag. 1557. col. 2. fin. & pag. 1558. col. 1. poſt princ. verba ſunt hæc:* Wider alle Rechte / Göttliche vnd Weltliche / wider deß H. Reichs Satzungen / vnd Ordnungen; wider aller Völcker / vnd Zeiten / Brauch vnd Gewon-

Anni Acta.

wonheit; mit groſſem Gewalt vnd Vnge⸗ſtümmigkeit. *&c. mox quoque infrà, v. 14.* Mit vnleidenlicher vnd vnerhörter Weiß. *&c. Eadem prorſus habet & Sigiſm. Látomus Relat. Contin. pag. 77. ad med.* (82) Die Räth/ vnd deß Reichs beampte Perſonen / ja / die Fürnembſte / vnd eines ſtattlicheſten Herkom⸗mens vnter den Böhmen. *Apud Arthuſ. lib. 23. pag. 1557. col. 2. ante fin. & apud Latomum, Contin. Relat. pag. 77. princ.* (83) *Loquens Matth. Imperator de nobiliſſimis duobus præcipitatis, ait:* Welchen / daß in diſem fahl keine Schuld köñte zugeaignet werden / haben ſie (die Rumorierer) mit ihren aignen / von ihnen geſchribnen Brieſen / kaum vor ſiben Wochen / öffentlich bekennt. *Apud eoſdem duos auctores, proximè citatos, paginis iiſdem.* (84) *Adolph. Brachel. lib. 1. pag. 6. poſt med.* (85) *Apud Sigiſm. Latomum, à pag. 71. &c. ac rurſus, à pag. 74. uſque ad pag. 78. incluſ.* (86) *Matth. Imperator, in* Informatione, *apud Latomum, pag. 78. med.* (87) *De* Móravis, *vide Joan. Francum, in Contin. hiſtorica Anni 1619. quaternione D. pag. priore. De iiſdem, ac* Luſatiis, *&* Sileſiâ, *Sigiſm. Latomus, pag. 25. fin. verbis expreſſiſſimis. aliquid item*

& Boi-

& Boicus ſcriptor. rec. Part. 3. lib. 3. pag. 37. princ. (88) *De* Palatino , *clara res. De* Saxone, *J. Francum vide, quaternione D. pag. priore, in med. ann. 1619.* (89) *Sic nominatur in decreto Ordinum Bohemicorum, quo jubentur excedere Bohemiâ* Jeſuitæ : *apud Sigiſm. Latomum , pag. 46. ad fin.* (90) *Boicus, Part. 3. lib. 3. num. 20.* (91) *Idem Boic. loc. cit. & Brachelius , pag. 7. fin.* (92) *Joan. Franco , in annum 1619. pag. ante quatern. B. uſque ad med.* (93) *Annô 1618. Viennæ, poſt feſtum Nativit. S. Joan. Baptiſtæ. apud Sigiſm. Látomum , pag. 81. Et rurſus 9. Julii Viennâ datarum à Cæſare litterarum, ad Directores Bohemicos. apud eundem Latom. pag. 93. & alibi. Qui* Sdenco Popelius , *tametſi ibi locô geminô dicatur à typóthetis ,* Sdenco Adelbert Poppl *de* Cobkowiz, *S. R. Bohemiæ Cancellarius , C , litterâ pro L , facili mendô, poſitâ : à Joan. tamen Franco, in annum 1619.* Labcowiz *(ſeu veriùs* Lobcowiz*) appellatur, pag. ult. quaternionis A. ad princ. ubi diſertè dicitur,* Supremus Cancellarius. *id, quod hic Popelius fuit. Omnium verò planiſſimè nominatur hic heros, inter eos, qui Cæſaris Ferdinandi II. & Eleonoræ Mantuanæ, nuptiis Oe-*

nipontanis, menſe Februariô poſthac, annô 1622. interfuerunt. Nominatur autem à Nicol. Bello, Laur. lib. 6. pag. 460. col. 2. ad med. poſt Baronem Herberſtenium, & duos juvenes Loſenſtenios, Herr Sdencko Adalbert Poppel / von Lobcowitz / Freyherr / Röm. Kayſerl. Mayeſtätt Rath / Cammerer / vnd Oberſter Böhm: Cantzler; Ritter deß guldinen Flüß. (94) Der Waagmaiſter in Thein. Libripens, *Boëtio eſt, Ponderibus explorandis præfectus.* (95) *Vide* Litteras Majeſtatis, *à J. Franco exſcriptas, & à Sigiſmundo Latomo pag. 105. fin. hac forma ſubſcriptionis, poſitas.*

Rudolff.

Adamus de Sternberg,
ſupremus Burggravius Pragenſis.

Ad mandatum S. Cæſ. Majeſt: Proprium.
Paulus Michna. *&c.*

(96) *Qui extat apud Sigiſm. Latomum, in Continuatione Relat. à pag. 72. Partim verò, & pag. 80. ac ſeq.* (97) *Sic audaciſſimè Directores Bohemici ſcribunt ad Cæſar. Matthiam 19. Julii anni 1618. ex Arce Pragenſi, apud Sigiſm. Latom. in Contin. Relationis pag. 99.* (98) *In*

Digitized by Google

In litteris, ad Matthiam Imper. datis, 30. Junii an. 1618. ex arce itidem Pragenſi, apud Latom. pag. 83. (99) *Auctor Annal. Boic. recent. Part. 3. lib. 3. num. 26. & 28. De Bohemis verò, Rebellibus, & in rebellione permanentibus, à Cæſare Matth. Perduellionis reatu fulminatis; Brachelius tradit, Lib. 1. pag. 9.* (100) *Hunc l. cit. pag. 90. poſt med. Sigiſm. Latomus inter duces illos caſtrenſes nominat. pag. 90. poſt med.* (101) *Idem Latom. in ann. 1618. pag. 109.* (102) *Boicus ſcriptor rec. id oppidum vocat* Pilgramium, *Part. 3. lib. 3. num. 22. ut & tabula*, Pilgram, *inter amnes Sátzavam, & Lobnavam, medio ferè ſitu, extra ſylvam Lobskirchianam, Táborem versùs, & Occidentem. Joan. Cluverus, pag. 778. col. 2. ante med.* Pilgrónum *nominat.* (103) *Boicor. Annal. recens ſcriptor, Part. 3. lib. 3. num. 22.* (104) *De inſectatione Tampierii, Biſtricium uſque, Látomus narrat, in hunc ann. à pag. 109. De Gomizio (an Chamnizio, vel Kamnizio?) captô, ac direptô, Boicus rec. narrat, Part. 3. lib. 3. pag. 37. num. 22.* (105) *Boicus, ibid.* (106) *Brachelius lib. 1. pag. 9. ante fin.* (107) *Vide de his, & expende, Boicum ſcriptorem rec. Part. 3. lib. 3. num. 24. ut &* Cancellariam

Anhaltinam. (108) *Joann. Aug. Paſtorius, Flori German. pag. 10. ad med. Is morti ejus aſſignat annum hujus Sæculi viceſimum ſeptimum. Boicus autem, anni 1626. ineuntem Decembrem. Qui & ait; Eum, mandatis ad Turcam (undeunde) inſtructum adversùs Cæſarem, iter in Orientem ſuſcepiſſe. Alii,* Circumciſionis *quoque* Turcicæ *cogitationes eum agitâſſe, referebant. Quidam &, à Muphtho Turcico, in mortis vicinia,* ſyngrapham Securitatis *ingrediendi Paradiſi Mahometici, accepiſſe eum, narrabant (ut & Boicus tradit, loc. cit.) Paſtorius contrà, Flori ſui pag. 10. Eum, aſſerit, inter duos ſtantem Ordinum militarium ductores, exſpirâſſe. Veſpaſianaô ſcilicet, ſi non votô, certè fatô, & itinere. Locum mortis illius, Boicus nominat innominatum, inter* Zaram, *&* Spalátum. *libri XI. Partis 3. num. 33. Paſtorius autem,* Boſniam: *quæ regio, Zaræ ac Spaláti tractum, Boream versùs, utcunque attingit. Porrò,* Erneſti *hujus inſignes malitiæ dotes, graphicè Ferdin. II. Imper. depingit, in repetito Proſcriptionis adversùs eum fulmine, ann. 1622. apud Nicol. Bellum, Laur. lib. 6. pag. 472. & 473. ubi inſectatur,* Diſes boßhäfftigen Aechters Tyranney;

ney; ſein vnruhiges vnd vnbeſuegtes Vorhaben; als eines Offnen Aechters / vnd Allgemainen Landverderbers. *&c. pag. 472. col. 2. ante fin. col. Item col. 1. fin.* Daß ins gemain reichskündig / wie er / Aechter Mansfelder / in ſtettigbeharrlicher Anzündung vnd Auffblaſung der aufgewigleten Rebellion / continuieret. *&c. & rurſus, col. 2. mediò circiter,* Wie er (Mansfelder) in vilen Crayſen / bevorab am Rheinſtromb / vaſt biß auf das äuſſerſte / mit morden / rauben / plünderen / brennen / alles außgeſogen. *Hac, in anteceſſum, de* Hoc *Mansfeldio, déq; geſtis illius: nequis, Per calumniam à me ſcriptum putaret; Turbini Bohemica immiſſam ab exteris* Facem *fuiſſe Trojanorum Hecubaam. Incendit enim certè, proximè poſt Turrianum Seniorem, Bohemicas irrumpens ſylvas, & ex iiſdem pòſt erumpens, Germaniam, & Europam cateram.* (109) Ichnographia *Vitruvio eſt*, jacens areæ efformatio, & ſuperficiaria deſcriptio *(inquit Hadrian. Junius)*; futuri operis ſpecimen, lineîs ductîs, exhibens. Ein Grund-Riß / Grund-Entwerffung. (110) *Sigiſm. Latom. in hunc ann. pag. 109. &c.* (111) *Idem, ibid.* §. Hierauf haben die Böhmiſche. *&c.* (112)

Anni Acta.

Joſue cap. 10. à v. 1. &c. (113) *Boicus recent. Part. 3. lib. 3. num. 17.* (114) *Idem, lib. cit. num. 29. & Brachel. lib. 1. pag. 10.* (115) *Nicol. Bellus, Laurea Auſtriaca, lib. 2. pag. 74. col. 1.* §. Etlich Täg hernach. *&c.* (116) *Boicus Part. 3. lib. 3. num. 22.* (117) *Pilgramium etiam à Bucquoio, poſt Tampierium jam è Bohemia revocatum & regreſſum, fuiſſe aditum, & invaſum, dicere neceſſe eſt; ſi veraciter (uti credo) Boicus, locô, citatô paullò antè, narrat; Bucquoium, relictô Pilgramiô, militem ſuum, pradâ onuſtum recepiſſe poſthac in Auſtriam. quod ipſum & Bellus dicit, Laurea lib. 2. pag. 81. col. 2.* §. Es ſeynd aber *&c. circa fin.* §. Wie diſes nun die Kayſeriſche vernommen/ haben ſie Pilgram/ vnd die Gegend/ verlaſſen: vnd auß dem Land auf die Gräntzen (*Auſtriam versùs*) ihren Weeg genommen. den Troß/ mit gueten Beuthen/ vnd mit einer Conſoy/ in Oeſterreich/ in die Refier vmb Weidhofen/ Schembs/ vnd Weitrah/ verſchickt. (118) *Boicus rec. Part. 3. lib. 3. num. cit. 22. ad fin.* (119) *Ità* bis *eum nominat Joan. Cluver. pag. 778. col. 2. ad med.* (120) *Pag. 778. col. 2. med. Et Boicus ait;* E Bohemicis parî prope numerô, quo Bucquoia-

quoiani ceciderant, deſideratos. (121) *In Laurea Auſtriacâ, lib. 2. pag. 82. col. 1. ante fin.* (122) *Die 12. Novembr. Bellus, Laur. lib. 2. pag. 82. col. 1. ad fin. quam ipſe,* Urbeculam *nominat, &* Crumlaviam: *addens. Conte di Bucquoy* ſeye (alſo) den Böhmen / zu ſeinem groſſen Vortheil / vorkommen. *ibid. Boicus verò,* Crumlovium *appellat.* (123) *Pag. 778. col. 2. poſt med. qui & ipſe* Crumaviam *eam nominat.* (124) *De cujus evocatione in Bohemiam, à Turriano Comite, Nicol. Bellus lib. 2. pag. 81. col. 2. ad med. mentionem facit.* (125) *Marci 10. v. 35.* (126) *Boicus rec. Part. 3. lib. 3. num. 28.* (127) *Nicol. Bellum vide, lib. 2. Laur. Auſtr. à pag. 95. col. 2. uſq; ad pag. 97. col. 1. ad med. incluſ.* (128) *Maro, eclogâ 3. longè ante med. deſcribens ſigilla duo poculorum, quorum alterum Cononis erat effigies, alterum autem Archimédis mathematici, cujus nomen verſus heroicus non admitteret; ſic ſcripſit:*

In medio, Duo ſigna; Conon; &, Quis
fuit alter?

Idem & mihi hîc quodammodo uſúvenit. Turriani collegam, Turrianô licèt quietiorem, nominare, quadam poſteritatis inclyta reverentiá,

Anni Acta.

tergiverſor, & abſtineo. (129) *Boicus ſcriptor recent. Partis 3. lib. 3. pag. 40. ad med. De* tribus *verò* millionibus damni, *mentionem infert Nicol. Bellus Laur. lib. 2. pag. 97. col. 1. ante med.* (130) *Hôc locô, conjunctim vide, Nicol. Bellum Laureæ lib. 2. pag. 97. col. 1. med. & Joann. Cluverum, pag. 778. col. 2. poſt med.* (131) *De Turriani Comitis junioris, cum Hardeckia, nuptiis, raptu coalitîs, ac ducum belli primariorum frequentiâ conjuratâ celebratîs; vide Nicol. Bellum, Laureæ Auſtr. lib. 2. ante fin. pag. 98. col. 1. poſt princip.* (132) Krembsmünſter/ in Oeſterreich. *Vide Boicum Part. 3. lib. 3. ad fin. libri, num. 30. med.* (133) *Aribuſius, lib. 23. pag. 1560. in Inſcriptione numiſmatis Ferdinandei, Latinâ.* (134) *Qui Pragæ eas reddidit Directoribus X. Decembris die. Nicol. Bellus, Laureæ Auſtr. pag. 97. col. 2. poſt med.* (135) *Ut loquitur S. Scriptura, Proverb. 16. v. 4.* (136) *Referent hoc, Anni* 1621. *Acta. De liberatione verò Doct.* Jeſsenii, *déq; Cæſaris illâ, ad conditiones æquas, invitatione, Bohemis factâ; Bellus tradit, ante fin. libri 2. pag. 97. col. 2. & pag. 98. col. 1.* (137) *Epiſtolam Cæſaris paræneticam Bellus recitat, ipſo libri 2. fine, pag. 98. col. 2. & pag. 99. col.*

col. 1. *&* 2. (138) *Nicol. Bellus lib.* 2. *Laur. Auſtr. pag.* 89. *col.* 1. *princ. diem illum (è faſtis fortaſse Julianis) ponit Cometa exorti (ſeu veriùs, illis hominibus animadverſi,) primum.* (139) *In Vita T. Pompon. Attici, de Epiſtolis Ciceronis ad Attic.* (140) *Sic infauſta flamma, flamma alteri, fuit omen; quo pacto, apud Naſonem, herôis Hyſipyle ait, ante fin.* Medeæ Medea forem. —

METRUM.

Ad Operis finem.

APOCOMMA I.

Viarum-aëris ſucceſsus inæquales.

I. NOn omnes omnia vel poſse, vel aſſequi; nihilô vetuſtius, quàm verius certiúsque, verbum eſt. Tentet ſuas quiſque vires, & conatui poſitos à natura limites: nec ultrà tendat; niſi manu divinâ ductus, aut tractus: quæ naturæ leges omnes habet infra ſe. Nimirum; Unumquemque noſtrum, ſuus ortus ſuam docuit viam, & ingreſ-

Iter aërium, Noxium.

ingreſſum; ac, reſponſurum principio ſuo, præfinivit exitum. Quocirca, ſi *terrâ* facere, vel *undâ*, potes iter; *aura* te ne commiſeris: aut, in acie neceſſitatis ultimâ, quid Deus jubeat, offerátve, contemplator; & intrepidus ſéquere. Neminem hîc ego voco, (quod fabuloſum vulgus ſolet,) ad ea, quæ nec fieri potuerunt unquam, neq; credi ſanîs à ſenſibus: ad Dædali pennas, ad Solis currum, ad Medeæ Corinthiacas bigas; ad Perſei, vel Bellerophontis, caballos; ad Phryxæum arietem, aut obſcœni Ganymedis aquilam: è quibus, etſi figmenta fuerint, nihiloſecius Icarus, & Phaëthon, Helléque, delapſi, patefecerunt; quàm in aëre nulla *corporibus gravibus* ſtabilitas, nec à fictionis quidem *levitate*, poſſet contingere. Nihil erant; & ideò ſuum in nihilum reciderunt.

II. Et fuêre tamen, poſt illa veterum deliria ſomniorum, qui, ſibimet in illius-ipſius imitatione Nihili, viderentur aliquid: non funambuli tantùm, qui ſuam artem etiam elephantos docuerunt; ſed & pennigerorum nonnulli: Cæſarum maximè temporibus.

Nero-

Nerone namque, Principum monſtrô, potiente rerum; quidam Samarites *Simon*, (ſive, præter hunc, & alius, in eo genere confidentiæ, veterator fuit,) Icari ſumptâ perſonâ, levatus in ſublime pennîs, forìs aſcítîs: inter initia ſtatim oſtentatæ temeritatis, hiantem eludens ſpectatorem; prægravante membrorum mole, quàm falsò volavit ſurſum, tam verè lapſus deorſum, & eliſus eſt, ponè Cæſaris, illi ſpectaculo præſidentis, ipſum conopéum. nec id abſque ſanguinis aſpergine; cujus ille ſpumâ pariter, (at ſerò,) conſputare viſus eſt, & ſuam, & Neronis, ſtultitiam, (1) ac vanitatem.

Circa *Domitiani* deinde, Flaviô Veſpaſianô geniti, cruenta tempora, quæ *quindecim* fuerunt *annorum*; eodem oſtentationis exitu functus eſt, inter multa ſinè dubio ſpectantium millia, venditator artis volaticæ, delatus in Italiam, *Athenienſis* quidam: (2) ac, ſuppar hujc, *Hadriani* (ſicut apparet) tempeſtate, barbarus quoq; nonnemo præſtigiator, ex Hyperboreis ortus montibus: (3) carbátinîs indutos pedes, utì per *undas*, ità per vacuum *aëris*, trahens. Qui poſtremi duo, niſi, tanquam ex profeſſo *magi*, Sathanicîs-

nicîs-

Iter aërium, Noxium.

nicîsque ſubnixi machinîs, ludibria potiùs oculorum aliqua, quàm opus & rem ipſam, exhibuiſsent; non, ad extremum palàm factâ ſubrutâque vanitate, ludos ſeipſos Aquinati Satyrico, ſophiſtæq; Samoſaténo, (4) præbuiſsent.

III. Nobis, in propoſito, nec ſermo, nec res eſt, cum Tartareis geniis, aut eorum de *fallaciis*; ſed cum *veritate*. Res eſt, altior humì ſtratîs viribus; in alto ſinè ſcelere verſari, peregrinari, moveri; nondum excuſsô per mortem corporis pondere. Talî, non alarum, ſed ſpiritûs, in ipſa carne, remigiô ſunt uſi, candidati cœleſtium, jam tum, ſedium, antequam tenerent eas; *Enóchus* & *Elias*, in Paradiſum tendentes, è terris; *Abacúcus*, è Palæſtina Babylonem; *Philippus diaconus*, è viæ Gazææ deſertis locîs, in Philiſtinorum urbem, Azótum. (5) Miranda fuerunt hæc: ac, niſi, divinîs firmata librorum teſtimoniîs, fidem exigerent; humanam tardè repertura credulitatem. Nunc, in dubium ea vocare, pars eſset impietatis.

Cæterùm (ut ego quidem judico) mortali, corporatóque, non operoſior eſt, in regio-

giones aëris indefeſsus aſcenſus ; quàm ex iiſdem, duram in humum, ſoſpes deſultus, aut dejectus : &, ex arduo caſu, ſtatus pedum, ex tempore recollectus. Ibi namque mirabiliùs *ſurſum* itur ; hîc indemniùs *deorſum*. Malim, deponi placidè ; quàm elevari glorioſè.

IV. Poſterius iſtud cœli donum, *triumviris* obtigit *Pragenſibus*, è regia dejectis, innoxiô caſu ; *Slávvata*, dico, *Martinizióq;*, Comitibus : & *Fabritio*, conſiliorum arcanorum cuſtodi. Liveant licèt, & invidiâ rumpantur, ii, quibus *orthodoxorum* omnia *Miranda*, næniæ ſunt anicularum. Extenuent etiam, & imminuant, malevolentiâ ſibi ſuetâ, præcipitii furorem, deſcensûs ſpatium, profunditatis horrorem, collapſorum incolumitatem ; &, in univerſum, *DEI* protectricem manum, *Matríſq; DEI* præſens ſuffragium. Hæc mundus ſcit ; ora loquuntur ; hiſtoriæ libríque publicant ; & perpetuis fama ſæculis transmittet. Hæc ſiqui nondum, aut creditis ; aut credi, factioni veſtræ permittitis ; aut, actum hunc demum univerſum, tam *comicum*, & cujvis veſtrûm facilem imitabilémq;, judicatis ; agitè ſanè : venite,

Iter aërium, Innoxium.

nite, deſilîte! *præſultores* habetis *tres*, viros clariſſimos. Sequimini, ſiquid audetis! in promptu res omnis; *Hîc Rhodus eſt: hîc ſaltus* fiat!

Sed, videlicet, unum eſt, quod formidatis: ut par vos, & illos, ſucceſsus excipiat. Martinizium Fabritiúmque, Deus, antequam eliderentur, erexit. Sláwatam, & idem ipſum protexit Numinis auxilium; & (quod certiſſimîs compertum habemus auctoribus) divæ cœlitum Reginæ præſidium: hoc eſt, illius *viraginis*, *Virginisq;*, cujus, in *Oetingæ Veteris* ædiculâ vetuſtiſſimâ, latè, quà Bojis indigenis, quàque populis externis, venerationi ſtat effigies, imploratum ab eo ſuffragium. Inter ipſum enim delapſum, *O, MARIA!* (ſuſpirans, & invocans,) *ô DEI mater, adeſto mihi!* fructum invocationis *Slávvata* continuò retulit; incontuſam vitam, effugiúmque mortis. Utrumque verò *Virginis Adjutricis* erga ſe meritum iſtud, in longum deinceps vitæ ſpatium, ei prorogatum, inclytæ vir pietatis, ſecum aſſiduè ruminabat: &, quoad res, vires, ac negotia tulerunt, anniverſariâ propemodum, ab extremis Bohemorum Auſtriæq; finibus peregrina-



WILHELMUS,
COMES SLAWATA, TRIVMVIR
illæsi casûs Pragensis.

grinatione ſuſceptâ, *Veterem Oetingam* uſq;, religioſiſſimîs ſolebat gratæ mentis teſtimoniîs recolere. mirificæ denique *Soſpitatricis* ſuæ pictis illic appensíſque *miraculis innumeris*, unum inſuper, *vivum* ac ſpirans, adſtituere prodigium, id eſt, SEIPSUM, quaſi *corollarium*, & hoc quotannis denuò redivivum, geſtiebat.

V. Quæ cùm ità ſeſe, quemadmodum retuli, circa *Slábatam Martinizíúmq;* Comites, & *Philippum Fabritium*, habeant: admiror equidem, quid in mentem notitiámque venerit, magno cuidam ætatis noſtræ, ſed extero, rerúmque Bohemicarum & Germaniæ minùs gnaro, ſcriptori: quando, *Rerum ſui regis & gentis* libro quarto, non multò poſt initium, hæc inſerebat verba; cùm de tumultuantibus Bohemis agere cœpiſset. Sequitur primorum, & populi conventus, Pragæ habitus (quæ vera ſunt): pauci indigenarum obſtant. (ſi querelis rebellium obſtitiſse *paucos*, dicere voluit; & hoc verè fatus eſt: *tres* enim erant ſoli, quos ſæpe jam memoravi, nec alii. pergit,) Per feneſtras

Xx (illius

Iter aërium, Innoxium.

(illius utique loci, quem tunc Primatum, & populi, conventus ille Pragenſis implebat,) **dejiciuntur, in contemptum Majeſtatis Cæſareæ, Jeſuitæ; religionis obtentu obſtare auſi.**

Sed, amabò, vir conſultiſſime! quis, ad conventum illum Utraquiſtarum Ordinum, ac populi, publicum, in arce Pragenſium regiâ collectum, aut accerſitos tunc, aut etiam admiſsos ſaltem, *Jeſuitas* aſseruit, ſcripſit, vidit Pragæ, vel audivit; ut indè *dejici per feneſtras* poſsent? Aut, ſi, quicunque deturbati tandem in præceps indè ſint, *Societatis JESU* fuerunt homines: ecquando, vel illo, quem exſequimur, annô, vel ex antecedentibus, aut ſubſecutis, aliquô, Societatis membra fuerunt, qui dejecti ſunt; *Slávvata*, *Martinizius*, & *Fabritius*? Affectu fortaſſis: effectu nunquam. Negabis, neceſse fuiſse; *Jeſuitas* illo mox conventu, die, locô, dejici: potuiſse, luce poſt hæc aliâ, comitiîs aliîs, domi ſuæ, præcipites à Bohemis agi.

Subodorari, ni fallor, difficultatem hanc hiſtoricam, non fortaſſis auctor cœpit, ſed, quiſ-

quiſquis ille fuit; qui *Librorum* illorum *duodeviginti* comportatum *Indicem*, operis metæ ſubtexuit. Mutatîs igitur aliquantùm libri *Quarti* verbis illîs lubricæ fidei; ſic, in *Indicis* I, litterâ, fabulatur. *Jeſuitæ, Pragæ per feneſtras Collegii dejecti, à Proteſtantibus.* Verùm hæc, arce feneſtrîsque Regiæ depulſa, fabula; nec in *Collegio* quidem *Societatis*, aut *feneſtrîs* illius, locum inveniet. De *feneſtris* enim domûs hujus (ut alio ſuperiùs locô retuli) nemo, nec excuſſus eſt, neque deſiliit: ſed, ad diem, Sociis indictum, *magnâ* patefactâ *portâ*, Collegium omne ſeipſum effudit in exilium.

VI. Veritatis ergò fixæ ſit: In *hujus anni* Marcomannico tumultu, non *aliunde*, quàm è tabularii regii feneſtris; nec *aliorum* factum fuiſſe *præcipitium*, quàm illorum, quos toties laudabamus, *heróum trium*: & quidem illo lapſu, ſicuti dictum ſæpius eſt, non modò non extinctorum; ſed aliquam-multô, poſt adverſum caſum iſtum, tempore florere perſeverantium, ætate, valetudine, familiâ, dignitate, fortunîs, ac rebus bene geſtîs. Super quibus, eorúmque ſucceſſione, ſiquando *dubitare*, poſt nos naſcituri,

Iter aërium, Innoxium.

cœperint, *An* talia, támque cœlo pretioſa, *capita*, revera ſuper terram *fuerint?* & ad teſtimonium (ut quandoque fit) *oculatum* provocabitur: equidem *Fabricium*, quem æquales noſtri complures noverunt, vidi nunquam. cum *Martiniziana* ſtirpe maſculâ, juvene tunc, ſed cunctîs animi fortunæq; muneribus exornatiſſimô, libenter & familiariter, ac ſuper his ipſis Actis, aliquoties olim agebamus. *Gulielmum* denique, *Slávvatam* Comitem, vidêre ſuſpexêréq; complures, hodiéque nobiſcum viventes; Imperialibus in Comitiis, fungi munere perquam conſpicuô ſolitum. Cujus, ſub hæc, & ipſe, poſt *annos*, ab illo tragico ſaltu, *triginta tres* (ſupervixit autem etiam pòſt aliquantò) *Viennæ*, non modò vegetam adhuc, inter opera pietatis, ſenectam aſpexi, demiſséq; ſalutavi: ſed & celebratiſſimam illam, ínque gregarios *quosvis pauperes* (6) munificam *dextram*, oſculô me venerari potuiſse; viæ longæ ſufficiens pretium, & humanitatis ejus pignus digniſſimum, arbitratus ſum, atque gaviſus. (7) Magnum, & æſtimandum, ſpectaculum! inter Pánnonas Inferiores (8) *Stephani* regis larga *manus*, poſt mortem (9) adhuc

adhuc *incorrupta*! Magno ſpectaculo proximum, apud Pannonas Superiores, (10) *Slábata* Comitis *dextera* miſericors; ad mortem uſque diſpertiendo, conſtanter tamen *indefeſſa*!

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(1) *Hujus meminit in Nerone Suetonius, cap.12.* (2) *De hoc, è Juvenali Cæſar Baronius teſtimonium profert, in annum Chriſti 68. num. 15.* (3) *Lucianus Samoſatenſis, in ſuo Philopſeude. Porrò* Carbátinæ, *calceamenta plebejorum erant, è corio bubulo, adhuc novo & crudo: quibus calciabantur & cameli, ne pedes ungulásq; lacerarent: aut via longitudine fatiſcerent in exercitu.* (4) *Traducit enim, ſuetis ſibi dicteriis, volatum illius barbari, ſub perſona Cleodémi.* (5) *Act. Apoſtol. cap. 8. v. 39. & 40.* (6) *Annis plurimis unum è pediſequis aliquem ſecum trahebat, marſupiô probè nummatô inſtructum: à quo pauperi cuivis occurrenti denarium Germanicæ appellationis unum, hoc eſt, crucigeros imperiales tres, viritim largiebatur. Ad extremum, accisis valde, per deprædationes ſectariorum, & eorum*

Iter aërium, Innoxium.

odia, fortunis Slauvatais; aliquantillô minus, ſemper tamen, omnibúsq; dabat aliquid. (7) *Annô Chriſti 1651. feſtô Deiparæ Virginis, in cœlum Aſſumptæ: cùm is in Domo Societatis Profeſſæ, conductô piæ ſolitudinis cauſsâ, ſibiq; ſepoſitô, conclavî, diverſaretur: & eodem die, cum Patribus fratribúsq; reverteretur veſpertinis à Litaniis, quas, pro more ſibi recepto, cum iis recitârat, in domûs noſtræ Sacrario; habitu quidem & cultu aulicô: mente tamen, & exercitamentîs, religiosîs, ac diuturnîs.* (8) *Hungaricos populos.* (9) *Breviarium Romanum vide, die Auguſti vigeſimâ; Nocturni tertii Lectione priore, de S. Stephano R.* (10) *Auſtriæ gentem, Hungariæ contiguam.*

METRUM.
Ad finem Operis.

APOCOMMA II.
Plurſium obtritum.

(1)

I. DIſpariliter verſat *humana Caſus*. Quo factum eſt; ut *Tres* illi, quos antè paullò produximus, in mediâ morte vitam repe-

reperirent: alibi contrà, multitudo magna, mediâ vitâ mortem; neutri, tale quid ſibi promittentes. Illos, Praga vidit Bohemorum, incolumes: iſtos, *Plurſium* ſepelivit Griſonicum; cujus, hujc anno debitam, excidii narrationem repræſento.

II. GRISONUM Alpeſtrium illorum, qui poſt Curienſes, & fontem Rheni dextrum, propiùs Auſtrum recedunt, *Comitatûs* titulô terra cohoneſtatur: Eorúmque nunc, tractus ille vallium totus, qui *Clavennas* dicitur, in ditione conſtitutus eſt: poſteaquam, à Sæculi ſuperioris ferè principio, quidquid olim Galeaciorum & Inſubricæ poſſeſſionis fuerat, ad ſeſe pleniùs *Rhæti citimi* redegerunt. Nomen hujc ditioni, *Clavenna* fecit, oppidum; quod eſt in ſummo ferè ſitum Comenſis lacûs aditu, Septentrionem ſpectante. (2)

Cæterùm hic, quem dixi, montium valliúmque ſpatioſus anfractus, propter ſoli bonitatem, nuſquam non incolarum, oppidorum, pagorúmque, frequentiſſimus; commodioris adminiſtrationis gratiâ, geminas in *præturas* eâ, quâ geſta ſunt hæc, quæ narraturi ſumus, tempeſtate ſcindebatur; *appellatio-*

Plurſium obtritum.

lationibus tamen diſpares : cùm *magiſtratu* ferè videri pares poſsent. Alteri namque, *Commiſsariatus* nomen; alteri, *Poteſtati* fecerant : cùm interim & hîc, & illic, ſub tam magnifica, velut *plurium*, nuncupatione, vir *unus*, ſinè *collegis*, etſi non ſinè *miniſtris*, munus ſuum obiret. A *priori* tribunalium iſtorum, juris modum capiebant, Clavenna, Jacobæa vallis, ac tertius quidam pagorum cœtus, extra vallem, à Divo Jacobo dictam. A *Poteſtate* verò, jus dicebatur Plurſæis, & Wildanis : quódque cæterorum ſub his locorum erat. (3) *Poteſtati* porrò ſua *Plurſii* ſedes, ac prætorium, erat.

III. PLURSIUM ipſum, locus & oppidum antehac, ob ſuî delicias, ſplendorem, & opes, tale fuit, quale non *VVildæ* ſolùm (quaſi contribúli ſuæ) ſed aliis quoque compluribus, anteferri meritò potuerit, & conſueverit. Exponam ego, ſuper hôc, non ea modò, quæ paſſim apud æquales temporum meorum, librîs vulgata, legi; ſed nonnulla præterea, quæ partim, recentiſſimâ clade, perſcripta vicinîs ab Rhætis didici; partim, ante Sæculi noſtri quinquageſimum annum, pluſquam biennium inter

ter gentes Inalpinas agens, ex iis cognovi; qui *Plurſium* & *ſtans* adhuc viderunt, & poſtea *collapſum*, obrutúmque, præſentes deplorârunt. (4) Quibus eodem ferè tempore magnam affudêre cognitionis lucem, *Merianææ* quoque, *Zejllerianis* inſertæ deſcriptionibus itinerum Italicorum, *tabulæ*.

Situm fuerat Plurſium aliquantò ſupra *Clavennam* (quæ lacui Comenſi vicinior eſt) ad dexteram *Meræ* (5) fluminis ripam; è regione pagi *Scjlani*, (6) qui ſiniſtram *Meræ* tenebat. Ipſe *Mera*, piſcoſus admodum, & mox infra Clavennam *Lyræ* fluvio, non minus copiâ bonitatéque piſcium præſtanti, mixtus; Larium in lacum, hoc eſt, Comenſem, evolvitur. Utrimque præaltîs ſcopulosíſque montibus, ſed à Septentrionibus, dextrôque Meræ tractu, cumprimis *monte Contoniô*, (7) ſicut antehac opinio fuerat, *vallabatur*; ſicuti verò demum res oſtendit, *urgebatur*. Nam Contonii radicibus Plurſium inſiſtebat; &, tanquam corpori corpus indivulſum, hærebat.

Situi loci vix ulla defuerat ad amœnitatem ſpecies, ab læto collium vallíſq; proſpectu: non, culta circùm intúſque virida-

Plurſium obtritum.

ria, vineta, pomaria; non, Italici cœli fructuum varietas, & copia; nec eorum quidquam terræ planæ montoſæque bonorum, quibus ferè cæterum *Clavennas omne ſolum* abundat: in quo prata, clivíque compaſcui, gregibus & armentîs referti ſunt; nemora ſaltúsque, caſtaneîs; duo flumina, triáve, natantium multitudine; ſylvæ, volantium agminibus; juga ſaltúsque, ferarum omnis generis delectu: vini denique præſtantis proventu majore, quàm pro gentis uſu, cellaria replentur. Tritici, frumentíque minorem, quàm pro voto, meſsem, importatîs ſolantur; & compenſant. (8) Ad ſummam! Qualis pæne, quondam *Pentapolitana Vallis*, ante *Sodomorum* & *Gomorrhæ* ſubverſionẽ, (9) tale *Plurſium*, adhuc memoriâ noſtrâ, fuit; *Paradiſi dominici* ſimulacrum: ideóque non indigenâ duntaxat, ſed exterô quoque frequentatum habitatore multô; nec Italici modò, ſed transalpini generis cujusve: qui jam antiquitus eò, cum fortunis ac familiis ſuîs, pars, etiam cœlibes, mercimoniorum cauſsâ confluere ſolitârant. Unde proinde locus ille, caſtellum, & quaſi colonia quædam, non magis Griſonicæ jurisdictionis, quàm rerum

Digitized by Google

rum venalium univerſi generis, forum factum erat: utinam autem, non pariter & *Sectarum*; quódque conſectaneum eſse vulgò ſolet, *vitiorum* ac dedécorum *emporium*! Inter ſeſe mixti, *diſſoniq;* cultu ſacrorum, & tantùm in offenſa Numinis ſæpe *concordes*; qui Romanam profitebantur, & qui Lutheri, Calvini, Zwinglii, doctrinam. Et Orthodoxis quidem, nec intrà limites oppidi, nec in pago Sejlano, ſuæ jam olim ſacræ deerant, ad pios conventus, ædes, atque Templa. Proximum Contoniis rupibus, & interjacenti vineto; *divi Joannis*, excelſo, magnificéq; cincto, colli ſuperimpoſitum. Inferiore ſitu, ſiniſtrum ad latus, quà vitiferi clivi pes & finis eſt, *divæ Mariæ Virginis* ædes turrita. Foris autem, remotiùs, ortum versùs, locô planô, cuj *Proſto* nomen, aliud *Matris Dei*, (turritum etiam ipſum, circumſeptúmque,) templum. *Cis* flumen hæc erant. *Ultra* Meram autem, *Divo Caſſiano*, poſt Deum, dicata, princeps ejus loci baſilica. tum, in Sejlani planitie, Meræ ſociatîs rivîs adventitiîs utrimque cinctâ; *Sant-Abundianum* (ut apparet, & templum, & ſepulcretum): in loco verò lucóque, cuj *Sanegnio*

Plurſium obtritum.

gnio vocabulum eſt, *Sant-Antonianum*, & ipſum quoque templum; & (quod è nemore circumjectô conjiceres,) publicum valetudinarium.

IV. Sacrorum igitur domiciliorum, unius, & hujus quidem non nimìs ingentis, oppidi, poterat ac debuerat iſte ſufficere numerus. Sed ſanè, quod in omnes ubique frequentias ejuſmodi valere verbum queat: *Quid multitudo prodeſt templorum, multitudini, nonnihil quandoq; precantium; ſed plura, ſinè comparatione ſinéq;, peccantium? Abſumet ebria ſitientem.* (10) Ædificabant *pii*; deſtruebant ædificata, mores aliorum *impii*: quorum, ut in omni magno cœtu, præcipuéque ſectariâ quoque confluge, ſemper turba major minorem, ac meliorem, abſorbet. Quid, quòd illi populo tanta ſplendoris, impletionísque, Templorum cura non fuerit; quin ſui cujq; domicilii, quàm ſumptuoſiſſimè ſtruendi proferendíque, decuplô viſa ſit amplior fuiſse ſollicitudo? qui proinde non effugerint illud per Aggæum (11) Jeroſolymitis ingeſtum, Dei verbîs, opprobrium: *Deſerta mea Domus eſt: & vos, in ſuam unusquiſq; domum feſtináſtis.*

Operæ

Operæ pretium fuiſset, cùm oppidi mercatorii ſacrata Deo tecta, ſuîs cum adytis arîsque, luſtrâſses; ad profana deinde, privatorum quoque *Plurſienſium* plerorumq;, limina te convertere; domos eorum, aut revera palatinas, aut ſanè palatiorum æmulas, obire: conclavia, cœnacula, triclinia, thalamos, larariorum inſtar, inſpicere: marmore parietes, marmore columnas, & porticus, variôque lapide ſtructa ſtratáque pavimenta, demirari: penetralium aulæa, Phrygum aut Babyloniorum operis imitamenta, ſtupeſcere: denique, menſarum & culinarum ad utenſilia, vaſa, cyathos, parópſidas, quadras & orbes, aurô ſolidô ductos, attonito ſtare ſimilem; intérque cubicularem adeò ſupellectilem, ad *matularum* uſque (verbo venia ſit!) *argentum*, tanquam ad inopiam, ac retrimenta, cohorreſcere: cùm fuiſsent, qui purgamenta ſtomachi, paullò delicatioris, *aurô* quoque dignarentur; in quod arcana dejicerent.

V. Talî domuum municipalium apparatu, quotusquiſq;, ſæculi noſtri morum inſcientior, non in penatibus oppidanis ſibi Divorum baſilicas, in baſilicis verò, penates,

Plurſium obtritum.

tes, animô finxiſset! Vidiſses autem *Plurſii*, palatinarum ædium ejuſmodi, domuúmq; voluptariarum, pleraſque: viridariîs inſuper, ponè ſe, vel circùm; & vinetîs, pometîs, aut topiariîs areolis, inſtructas. Habitaculorum autem principatum ferè tenebant iſtæ. *Beccariorum*, quæ dicebatur, arx, ſeu *Caſtrum*: colli, quadratô murorum ac turrium ambitu, ſuperimpoſitum. cujus ad latus dextrum, itidem in colle, ſed humiliore ſitu, *Mobrai* cujuſdam æſtiva domus. Inferius, ac Meræ flumini propinquius, *Abrabæ Brocchi* palatium. cuj reſpondebat, à lævo látere, diviſum intercurſu viæ plateæq; publicæ, prætorium; *Poteſtatis* ſedes. prætorio verò pæne cohærens lævorſum, *Joannis Andreæ VVerdemanni* domus, modeſtioris aliquantò civilioríſque ſtructuræ, quàm alterum illud in *Rongália*, (quam vocabant,) ultra Meram, ac Sejlanum, palatium; amplum, ac latè porrectum, & in delubri pæne formam quandam faſtigiatum, ac turritum. Hujus, etiam illud fuerat, quod extra Sejlanum, Clavennam versùs, viſebatur; ſpatioſum, cum arbuſto, domiciliôq;, viridarium: cuj *VVerdemannico* fuit *paradiſo* nomen.

Septennium III. Annus 1618.

Digitized by Google

men. Erat enim in æſtimatione vir hic, opibúsque magnis; & qui proinde, latè non minùs, quàm ſumptuosè, ſoleret ac poſſet ædificare: prætoribus *Plurſianis*, à conſiliis arcanioribus, & tabulario præfectus. (12) His igitur, quas percurrimus, in ſedibus, atque deliciis, & *rerum* omnium, *quibus Senſus oblectantur, & oblivio Numinis inducitur*, illecebrîs, Plurſiates plerique degebant; voluptatibus innatantes, nihílque minùs, quàm calamitatem aliquam publicam, exſpectantes: cùm ſub unum eis horæ momentum, articulúmque, repentinus ſupervênit interitus.

VI. Non ego *Plurſiatium* infamabo mores publicos, cum eorum, qui genus indè patriámque traxerunt, offenſione; ſubindéq;, nonnullâ cum injuria. Quod ſæpe dico; nunc, (ut in tempore locôq;,) reitero. *POTEST, utì virûm cujvis mortalium, ſic universè cujlibet evenire multitudini; quod potuit aliquando cujquam.* Quàm verò merito, vel immerenti, ſuus cujq; caſus ingruat; DEI ſolius incorruptum eſt judicium. Mortalis cenſura ſæpe fallitur, atque fallit. *Magna vitia* ſi non, niſi *magnâ clade*, deprehenduntur; eccuj, vel parvo loco, ſua quon-

Plurſium obtritum.

quondam, (& *magna* quidem) vitia defuerunt?

His tamen mitioribus calamitatum publicarum interpretamentîs, inſuper habitîs; non defuêre, qui *Plurſium* oppreſſum *manui DEI vindicis* própalam tribuerent. In his apertè, Nicolaus Bellus; (13) *In Plurſiates*, ait, *Subitum, improviſum, & horrendum DEI punientis judicium, mortalium omnium terrori ſpectaculóque diſtrictum*, incubuiſſe. Cluverus (& hic acatholicus): *Stupendum in Rhætia, ſub id tempus, & Indignationis divinæ rariſſimum exemplum, emicuiſſe; quo, DEI nimirum abſciſſa manu, rupes altiſſima, Pluram oppidum obruit.* (14) Hæc illi; ſimiliáque talium alii, noſtratium etiam ſacrorum. At, his exadversùm oppoſiti, próque natalis ſoli cauſſâ, quoad poterant, ſtantes; alii quidam, ac pauculi, ſuggerebant nobis: *Contonii* montis immanè ſurgentem, latéque diffuſam, rupem, cuj *Plurſium* ſuberat, ruituram eſſe; jam antehac aliquantò deprehenſum indiciîs nonnullîs, ſeu ſubter, ac furtim erumpentis, ſtagni ſcaturigine, quæ fundamenta montis exeſa ſecum traheret; (15) ſeu ventorum, intrà montis gremi-

gremium impatienter ſeſe continentium, violentiâ fiſsîs, & hiantibus alicubi, ſcopulìs. Nos, in medio relictâ diſceptatione, rem ipſam exſequimur: quæ geſta ſic eſt.

VII. Erat anni tempus pomiferum, ac, meſſionibus finitîs, *Autumnus* in vindemiam vergens: oris Italicis, variorum collectione fructuum, amœniſſima tempeſtas. Dies, Gregorianis in faſtis, *pridie* (16) *Nonarum*, ſeu *Quartus, Septembris*: quem conſenſu magno ſcriptores, Julianis adhuc faſtis inhærentes, *Auguſti viceſimum quintum* ſignant. (17) Is, eum in annum, *Martis* erat *dies*: ac (ſicuti nobis, recentî clade, fama litteræq; referebant) Plurſio, neſcio quorum incolarum *nuptiîs*, inter epulas & choros, hilariter exactus. Exiſtimâſses, illius diei temporíſq; lineam duci quandam, memoriámque revocari; de qua die ſermo divinus diſserebat: (18) *Erant edentes, & bibentes; nubentes, & nuptui tradentes.* Quâ verò bonitate tunc, *Altiſſimus*, (non magìs *patiens* (19) ac tardus *ultor*, quàm mitis futurorum præmonitor,) & *gigantibus* mundi diluvium, & *Pentapolitis* vaſtitatem, per Angelos hominéſque denuntiavit, omnémq; dedit operam, ut peſtem eam evita-

Plurſium obtritum.

evitarent ; iis, qui dicto fuerant audientes, excidio præreptis ; ità *Plurſiatibus* etiam, ſub ipſum pereundi tempus, cladis imminentis indices, *fide* dignos, immittere dignatus fuit ; ſi modò, *venturus in terras illas* pœnarum exactor, *judex, in terra fidem invenisſet.* (20)

Deprehenderant, (ut ajebant ipſi,) vel deprehendiſſe videri cupiebant (ne, plectentem ſcelera, DEI manum agnoſcere fateríq; cogerentur) *Contonis* montis, & in fundamentis labem ; & in viſceribus vitium, ruinæque propinquæ minas.

Eccur ergò, non *fugæ* ſe potiùs, quàm *epulis* & lætitiæ, dabant ? *In quo Natura fatiſcit ; in hoc ipſo, Deus interitum prædicit.* Alioqui, decrepita jam ætas, cur ſeſe morti componeret ? Ut nihil igitur (oppidani) cæterorum omnium deliquiſſetis antehac (è veſtro vos ore confeſſionéque reos ago): noviſſimâ certè, vitandæ tam certæ magnæq; ſtragis, negligentiâ, pœnam, quam incurriſtis, *effugere* fortaſſe non merebamini ; quia tempori *fugere* dedignabamini.

Quid verò, quòd, eodem ipſo pridie Nonarum Septembrium die, percrebuerat inter omnes ; inſoliti neſcio quid *fætoris*, undecun-

decunque ſpargi cœptum, adhuc multorum opplere nares (21)? quorum nemo tamen, aut vix quiſquam, olétum illud interpretatione myſticâ, quid portenderet, conjicere ſollicitus fuit: ſed id ad graveolentiam retulerunt, incuriè tractatarum foricarum. cùm interim, *Sacerdotum* ſaltem, & *eccleſiaſtarum* illius municipii quoſdam, latére *Joëlis* illud, in ſceleſtam Superbiam tortum, verborum jaculum non debuerit. *Aſcendet* (inquit) *fœtor ejus; & aſcendet illius putredo: quoniam egit ſuperbè.* (22)

Luxus mundi-muliebris, & ſplendens immodicè ſupellex, ac tumida ſuî jactantia, magnas inter opes, ſinè *Superbia* tam raròſunt; quàm, ſinè nigrore corvus Europæus, ſinè caudæ ſpeculo pavus, & citra fœtorem hircus. *Fœtet* autem *omnis arrogantia*: quam & ideò *Putidam* vulgò dicimus. niſi, quòd homini ſuperbo, cæteri plerumque fimus, ac nautea, ſunt: ipſe ſibi, balſamum, & crocus.

Sed, fuerit ſanè, teter ille caſtelli *Plurſienſis* odor, *naturæ* potiùs, ac montis ſupputreſcentis, quàm *morum* allegorica, mephítis! Oſtentum nihiloſecius fuit, pedoris, ac putredinis, paullò pòſt ſecuturæ, graviùs olentis.

VIII. His porrò qualibuscunque mali venturi ſignis, adjecit Deus, & *oris humani* pluſquam unum, ac verax, præſagium. quíque vatem quondam *Amóſum*, à Thecuæ paſcuis, ac ſycomoris vellendîs, avocatum, Iſraëlitis errantibus, ut redirent in viam, immiſit; ex *armentario* (23) *prophetam* conſtituens: is ipſe *Plurſienſibus* repentè prænuntium excitavit, à tríbulis, ac vannîs; & opere mediaſtinorum; qui cives ſuos, & primates, identidem excitaret ad fugam, & exportationem eorum, quæ cujque forent chariſſima.

Cœpit is eâ legatione fungi *pridie*, quàm perirent. perrexit, eandem & eô, quem noviſſimum in terris egerunt diem, obire: circumire, denuntiare; rogitare, ſummos, & infimos, & utrumque ſexum. inter cæteros autem, & intentiùs cæterîs, *VVertemannum*, tabularii præſidem. quem obſecrabat, quoniam tot ſua, cum domiciliis, aſportare non valeret; at ſeipſum tamen, & ocyùs, auferret. Exiguum enim, nec unius pleni diei, ſpatium, inter ſalutem & perniciem ſuperfuturum. Quæ cùm & hujc diceret, & aliis oppidi compluribus incolis; nulla verborum

Digitized by Google

borum ejus (quippe, ſimplicis & egentis hominis,) erat auctoritas. quaſi verò, divinitus emiſsa veritas, è plebejo minùs limpidè, quàm è patritiô deflueret ore. Spretus eſt, ut *capite cenſus* homo: nominatimq; Wertemannus, *Sperare ſe*, reſpondit, *nec è Majorum eum, nec è Minorum vatum numerô, ſed è Pſeudoprophetis unum, fore.* Cæteri verò vulgò, vel ut temulentum, vel uti nugivendum, exſibilabant. Hæc is cùm audiret ab omnibus, & audiretur à nemine; tandem eodem ipſo, qui Plurſinatibus fatalis fuit exitialíſque dies, Plurſiô migravit: intérque fugam monitâ paganâ viciniâ, *Quoniam oppidanorum exire nemo vellet, utì viciſſim exterorum nemo quiſquam oppidum intraret, aut id è propinquo contingeret*, obteſtatus eſt. *Locum enim, & ei connexa, mox deletum iri.* Sic ille fugâ, ſeipſum primò; deinde, monitîs & exemplô fugæ, cæteros extra Plurſium complures, ſervavit: ac, ne perirent, ab ingreſsûs voluntate retraxit.

Sed id conſilium non apud omnes æquè locum, aut fidem, (ne foris quidem,) invénit. Cùm enim eodem illo die jam adveſperaſceret; *Octavius* quidam, cognomentô

Plurſium obtritum.

Frangius, mercator, opulentus in paucis, ac famoſus, equo ſedens, *Plurſium* feſtinabat. Obvias autem habens, indidem ex agreſti vicinia venientes, itinere contrariô, mulieres aliquot villaticas, de præſagio *Plurſinatis operarii* ſermocinantes: ex iis diſcit, Quale quantúmq; loco, quem peteret, malum impendeat: rogatur, uti ſibi ſalutíque ſuæ, regrediendo ſecum, aut aliorſum longiùs deflectendo curſum, conſulat. Spernuntur, ac ridentur. pergit, hîs relictîs, *Octavius*; adproperat, &, cum ruente pariter oppidô veſperéque, *Plurſium* intrans, in tempore ſimul ipſe corruit, & perit. Victima videri potuit, lanienæ devota, debitáque: proptereáq; (quod vulgò dicunt) *ad feſtum capra* feſtinans. Nempe, non injecit huic viro DEUS hanc mentem; ut crederet, Sibyllarum nondum omne præſagum genus intercidiſſe. Mentem item & illi juveni videtur eripuiſſe Deus, qua meminiſſet, *feſtinare lentè*; qui juvenis, ſuperiore tempore, valetudinis cauſsâ, Plurſiô Fabarienſes ad thermas, prope Griſones Curienſes, profectus, patrii repetendi ſoli tantô repentè ſollicitari deſideriô cœpit: ut, à medicis præfinitô dierum ac lava-

lavacrorum numerô flocci pensô, calidis aquîs erumperet; &, ad Meram ſuum, ac Plurſiana refrigeria, (volanti, quàm equitanti ſimilior,) accelararet. quo factum eſt, ut, nullo poſt tergum nec locô reſpectô, nec dehortatore, Plurſienſem in caſum, in ipſo puncto temporis, incideret; eôque ſe, citra neceſſitatem juſtam ullam, unà cum cæteris, ſepeliret; ideò tantummodo, quia ſic ei mente fixum. Hic enim idem, ei ſuadentibus, ne tam incitatô, ſaltem inter ſaxoſa, curſu ferretur, ſed iter illius diei cum itinere diei poſteri partiretur: *Si patria ſuperſtes ei manſura foret, in illam ſatis eum tempeſtivè, minoréq; cum fatigatione, poſtridie reventurum*; reſpondiſſe cum obſtinatione ferebatur: *Eô ſibi, qui tunc luceret, & non alio die, neceſſum eſſe, Plurſium intrare. quapropter &, invitîs omnibus, intraturum ſe.* quod & fecit; ut indè nunquam deinceps exiret. &, *ubi* ſe dixit futurum, *ibi* fuit; ut poſthac omnino non eſſet.

In hunc itaque modum, decretô Numinis univerſîs tandem, quos eſſe præſentes oportebat, in oppido conſtitutîs; nonne videri cuipiam poterat, omne tunc *Plurſium*,

Plurſium obtritum.

tanquam Jeremiæ (24) *grex* ille, *congregatus ad victimam* : cuj, præter ſecéſpitam, (25) ac mactationis ſignum, deeſset nihil, ad hoſtiæ conſummationem ? aut, velut intrà lucum areámve nemoralem unam, omne generis varii collectum aviarium; cuj deſuper rete ſuperinjiceretur inevitabile ? Paucula, plenum ad numerum, Plurſio deeſse *capita* videri poterant; quæ *foris* tunc adhuc agebant : ſed oculis hominum, non autem, cœleſti Providentiæ. Nam ea ſibi Deus, ut agnos ſégreges, & ſupereſse juſsos, ſepoſuerat. In cæteros omnes *mappam* (26) miſit *interfectionis* : eámque duram, & cruentam.

IX. Menſis Septembris dies, quem dixi, quartus, ac diei crepuſculum, venerat, quod noctem à veſpera dirimebat; inter ſextam ſeptimámque Teutonicæ numerationis veſpertinam horam. Jam lucernæ cœnis, & operibus ſerótinis lampades, apparabantur : cùm ſubitò, ſuſpicante nullo, fremitus ac fragor, terræ tremori nonnulli miſtus, à monte *Contonio* cooritur, quà Plurſio ſuperincumbebat. &, ecce! mons ſcinditur.

Non conceſsum eſt incolis, nec admirandi ſtupendíque, nec exclamandi fugámq; ten-

tentandi, ſpatium; ſed, *veſtigiô temporis*, quo de nube fulmen erupiſset, vel nictus oculîs, unà vaſtiſſimæ magnitudinis rupes in partes innumeras diſſiliens, immanî cum tonitru, deruit. Unà, templa, turres, arces, palatia, domus cæteræ; cum vinetis, viridariis, hortîs, nemoribus. unà, jumenta, pecora, greges, homines, ad unum omnes, opprimuntur; &, in unam omnia redacta maſsam, immenſo ſaxorum aggere contumulata defoſsáque jacent, priùs, quàm quiſquam, halitu ſpiritûs alternatô, *fláſset, ac reflaviſset*.

Periit itaque, quidquid *Plurſii* nomine cenſebatur, ad Sejlanum uſque, cis, & uls Meram, univerſum; nec apice quidem ullo tecti, vel arboris cacumine relictô. quin & oppidi ſic omnia deleta veſtigia ſunt; ut illius hodie fruſtra notam ullam, monimentúmve, quæras. *Sejláni* verò contigui, cùm ea, quæ propiora flumini ſunt, in cumulum interierint; manſêre tamen tecta vulgaria, plusminus *duodecim*: æſtiva domus una; nemoralis Wertemannicæ domûs obrutæ, viva velut appendix, una quædam campeſtris domus, & item altera. Rongáliæ palatium Wertemannicum; Sant-Abundianum tem-

Plurſium obtritum.

plum; &, in inſula transamnana Meræ ſitum, pyramidale patibulum. Verùm, hæc extra *Plurſium* erant omnia, trans Meram: ſicut &, ad ſiniſtrum oppidi ciſamnanum latus, *Divæ Virginis* ædes illa *Preſtaa*; molendina quinque; remotiúsque, montem versùs, in Euro-aquilonem, è quatuor tuguriis ſuboppidanis, reſidua tria. Reliquiæ fuerunt hæ, Plurſio ſubſidentium locorum: tecta perpauca; neque nulli tamen incolæ, ſed ii, quaſi neglectim, ac fortuitò, ſuperſtites.

Ipſius verò *Plurſii* (quod horrendum!) & ædes occubuerunt omnes, & ædium habitatores; ad *mille, quingentáq;* capita: quorum nullum, ne *gemitu* quidem (propter celeritatem interitûs) inclamare DEI *miſericordiam* potuit. Mortem enim intravêre priùs, quàm viderent, aut (quod miſerrimum eſt) prævidere vellent; homines, ætatis firmatæ plerique; peccare, tot inter illecebras, haud ignari: quis ſcit, an non & haud inſueti? Quod quale ſit, ſinè præviâ facinorum pravorum expiatione decedere; ſiqui *profani* fortaſſis, & *ſacrorum irriſores*, expendere nequeunt, in illa tantâ præſertim, *Luſtralium*, circa *Paſcha*, dierum, (quibus de-

licta

licta purgantur,) & *Vindemialium* temporum, intercapedine: digni ſunt, qui cum *Gigantibus* illis, pœnitentiæ contemptoribus, & cataclyſmi balænîs, *ſub aquis* & ipſi ſuîs *gemant*; (27) iîsque ſulphuratîs. (28) Nos *Chriſtiani* ſumus: ideóque cum poſteris hîc *Chriſtianè*, non cum impiis profanè, loquimur; & ſolliciti ſuper extinctis ſumus.

X. In ſummam confero, narrationis univerſum exitum. *Plurſium omne deletum eſt*; animâ nullâ, nec humanâ, nec brutorum, intrà caſtelli limites ſuperſtite relictâ.

Si qui verò *Plurſinorum*, foris effúgere mortem potuêre (quod ſanè, ſed paucis, datum eſt,) ii non *Caſui*, (qui, ſinè delectu, cuncta tunc involvit,) ſed clementiæ Numinis, & ſuæ partim abſentiæ, ſalutem ſuam debuêre. Fuerunt autem *mares* quinque. *mulier*, omnino nulla. *Primus*, necei ſubtractorum, fuit ille de plebe paupertinâ vir; qui, Dei monitu, vates excidii, poſtquam auditus *intus* non eſt, eodem impulſore Deô, *foràs* ſeſe, ſpiritúmque ſuum vaticinum, proripuit: &, cum *Jona* ſuæ prædictionis exitum exſpectans, non ſub *hedera* ſeipſum, ſicut ille, *maleſidîs* foliîs, ſed ſub divi-

Plurſium obtritum.

divinæ fiduciæ *durabilibus* alîs, & *umbraculîs*, ſecurus conſtituit; quàm procùl oppidô, tam remotus ab interitu. Dignus hic, qui nominaretur! ſi, quàm ille feliciter effugium periculi ſui, tam ego vocabulum ejus proprium apud ſcriptores, inveniſſem.

Poſt hunc, *Prætoris* (29) *Plurſini* frater; qui, negotiorum cauſsâ *Rongáliæ* tunc diſtentus, iîs ad exitum nondum perductîs, fratri comes adeſse funeris nequivit. Tertius quartúsque, *Franciſcus* quidam *Fornus*; &, hunc ſecutus, *faber* oppidi *cæmentarius*, in cellam egreſſi vinariam, quam exciſam è rupe deviâ ſepoſitâq; *Fornus* habuerat; dum in cœnam vinum depromere meditantur, illabente poſt tergum monte caſtellôque, vinum fortaſſis operámque perdiderunt; vitæ tutelam invenerunt. Poſtremus eorum, qui ſervati ſunt, *puer* fuit, uſu linguæ deſtitutus. Hunc, inopiâ (ſicut reor) cœnæ coctæ tractum, ac feſtinantem in hortum alienum, ultra rupis Contoniæ radices ſitum, extra Plurſium, ad *poma Perſica* diripienda; repentinus, ac violens, aëris impulſus, quem mons diſſiliens ſuſcitârat, arripuit: &, in ſublime primùm abreptum, látere montis procùl excuſſit:

cuſſit : mox, humo deorſum impactum, ac fugientem, calceamentîs, inter ipſam fugam vî raptîs, ſpoliavit : ut, pedibus nudatîs ad curſum jam expeditior, *patriam* tunc potiùs, quàm *bellaria furtiva*, quæreret. Verùm, nec hujc, nec cæteris quatuor reverſuris, patria ſua domus ulla ſupererat : locô jam omnî latè, non *ſaxîs* modò, ſed & *undîs* ſuperfusîs, coopertô.

XI. Simulac enim mons Contonius, & unà *Plurſium* ac Sejlani pars, unum conciderunt in cumulum; tametſi magnam ea tunc, propter impetum violentiſſimum propulſa, collapſio, terræ profunditatem effecerat; unde locus, tot licèt ruinis, ſuffecturus tamen ſuî ſpatiô videri poſset : nihiloſecius *Mera* primùm amnis, innumerabilium rupis & oppidi fragminum immensâ congerie, quodammodo conſternatus, ac réfugus ; tergiverſari viſus eſt. deinde, perrumpere quidem volens, nec tamen valens; ad geminæ circiter horæ ſpatium, ſinè procurſu, ſubſtitit ; inanî, nihîlque proficiente, contra tot ſcopuloſos obices, aquarum fremitu. Cùm autem, in hæc, *Clavennæ* (quæ *Plurſio*, meridiem versùs, ſuberat,) undæ fluminis hujus, eam alluen-

Plurſium obtritum.

alluentis, repentè deficerent; &, alveô ſiccatô, murmur defluentium, præter noctium alioqui morem, nuſquam ullum exaudiretur: latente cunctos tunc incolas adhuc cauſsâ, Plurſiíque ſtrage; metus eos invaſit ingens, ne quoquo monſtrô, vel eventu, retentus alicubi, morâque diutinâ collectus, amnis, ad extremum, ruptîs vi catarrhactîs, ſimul ac ſemel ſeſe totum præcipitaret: ac, ſolo Clavennati ſuperinfuſus, cuncta foris & intus evaſtaret.

Ad preces igitur & vota, non apparente periculi depulſione præſentiore, publicè, privatímq;, decurritur. Nec incaſſum. adhuc enim illis ſollicitîs, ac ſupplicantibus, ante ſecundam noctis vigiliam, repertô fluendi tramite *Mera*, ſuo ſeſe reddidit alveo; ſuáſque duntaxat trahens clementer undas, ſinè ſtagnatione, metu Clavennates abſolvit: &, pavidorum queſtus in exſultantium, DEOq; gratantium, voces convertens, quietos eos interea reddidit; quoad poſtridie, quidquid ignorabant, præſentes inſpicerent. In *Mera* verò tantiſper, ubi ſeſe primò colligere cœperat, locum ac ſedem, *lacus* ſucceſſit; ex imo voraginis illius emergens, quam

quam illapſu ſuo mons oppidúmque fecerant. Id *ſtagnum* primò, *longitudine paſsuum quingentorum* (30) extendi viſum: nonnullis poſteriùs, Italici ferè milliaris; (31) nonnemini, (32) *ſeſquimilliaris* quoque menſuram, habere creditum eſt. Simpliciùs unicujq;, fortaſséque vero confiniùs, reſpondebit, ſuper hac re, decernétque, ſuorúmmet oculorum judicium: cùm *lacus* hic, etiam nunc extet; utì ſuprà *Pentapolin*, ab ævo longiſſimo, *mortuum* illud *Mare*.

XII. Porrò nocte, quam inter formidines reliquiæ colonorum *Sejlani pagi* traxerunt, tandem depulsâ, diéq; terris reductô; qui, circùm *Plurſium*, propiùs aut longiùs degebant, ſpectatum accurrunt. Ibi nunc aquam paſſim, eámque ſolam, eô locô vident, in quo pridie, diebúsq; ſuperioribus, oppidum, ac ſumptuoſas ædificationes, aſpexerant. Ibi, pro ſplendidis ædibus, ac templis, disjectas ſaxorum moles; pro mercatorum emporio, ſtagnum; & pro civibus incolíſque diſcurſantibus, natantes hinc indè piſces, inter ſtuporem & lacrymas intuentur. Nec promptum eis erat, quo res quæque veſtigiô nuper ſtetiſset, aut quô lapſa nunc jacé-

Plurſium obtritum.

jacéret, deprehendere: quando veſtigium nuſquam ullum ſupererat; totáque *deſcriptionis* ejus loci *tabula*, *divinatrix* tantummodo, nec ea certa, *recordatio* reſtaret. *Heu, nebulam oculorum & mentis! heu! Plurſium!* (exclamabant, è Jeremiæ *threnis*, & apocalypſi Joannis, pii, divinorúmque peritiores.) *Quomodo caligine Deus obtexit, in furore, filiam Sionis? Præcipitavit; nec pepercit: omnia ſpecioſa Jacobææ* Vallis (33) *delevit: deſtruxit in furore ſuo munitiones* Contonias; *& dejecit in terram.* (34) *Tetendit arcum ſuum, tanquam inimicus:* (35) *firmavit dexteram ſuam; & occîdit omne, quod pulcrum erat, in tabernaculo filiæ Sionis.* (36) *Effudit*, medias inter aquas, *tanquam ignem, indignationem ſuam.* (37) *Ah, Plurſium! municipium, herì ſpecioſum, & inclytum! hodie, nihil! Venerunt unius tibi veſperæ momentô, plagæ tuæ; mors, & luctus: & diſceſſerunt à te poma deſideriorum tuorum: omnia pinguia, præclaráq;, perierunt à te: nec poſthac unquam invenientur in te. Mercatores, quos ditâſti, procul jam ſtabunt; flentes, ac lugentes: quoniam unius horæ punctô deſtitutæ ſunt immenſæ tot inſtitorum divitiæ.* (38)

XIII.

Septennium III. Annus 1618.

XIII. Sed, quid hæc, è Jeremiæ (vel-ut dixi) threnis, & Joannis vaticiniis, lamenta prodeſſe poterant, iis; quos, ſemel humatos, nuda ſterilíſque comploratio nunquam eſſet revocatura vitalem ad auram! Quæreretur potiùs, inter hæc, abruptîs queſtibus; Siquid è ſepultis, aut exanimatis, reliquiarum ſupereſſet? Luſtratur itaq; primùm, & obîtur, à vacuis & otioſis, univerſus in conſpectu jacentis ſtragis ambitus: ac venitur etiam ad *Contonii* montis, quà prolabi deſierat, extantia fragmenta; quæ, celſam in congeriem accumulata, ſurgebant. Ibi, præter alia quædam viliora, *puellæ* geminæ *decennes*, extinctæ quidem illæ, ſed, adhuc inconfusîs vultuum oríſq; lineamentîs, agnoſci faciles, reperiuntur jacentes; & ab oppidi ruina cæterâ procùl admodum disjectæ. Quod ſanè, *quo pacto* fieri, cæterîs indigenîs omnibus terrâ ſepultîs, potuerit; mirandum cunctis, inexplicabiléque, viſum eſt: admirabilius verò, *quamobrem* id acciderit? utrum, Deô virguncularum earum corpuſcula conſortioni cæterorum opp-preſſorum ſubducere volente; quæ tamen neci non ſubduxiſſet? an verò, terrâ po-

Zz tiùs,

Plurſium obtritum.

tiùs, communî ſinu puellas has dedignante; cùm tot aliarum centurias, fortaſſe longè ſcurriliorum, receperit? An demum, *Juſtitiâ cœleſtî*, peractô cæterorum tam horribilî ſuppliciô, geminas illas, *inobrutas*, & tamen *occiſas*, de compoſito, viventium oculis objicere ſpectaculi teſtimoniíque cauſsâ, ſeorſum geſtiente? tanquam inclamaret eorum auribus, *SIC cum his, ſic cum cæteris cunctis, egi! Vos contrà, niſi pœnitentiam egeritis ſcelerum veſtrorum*; (39) *Omnes ſimiliter* (id eſt, horâ, quâ non putatis,) *peribitis*. (40) Verùm, in peccatíſne deprehenſæ fuerint hæ juvenculæ; proptereáque pariter, & unà, ſublatæ; tam *difficile* fuerit, quàm *temerarium*, judicare. QUI ſcias enim, *qualis in morte quiſquam ſit: cùm, qualis in Vita fuerit, ignores?* Apparet autem, Earum, de quibus hîc agimus, *liberalem & honeſtam* eſſe potuiſſe morum inſtitutionem. Fuit enim illarum altera, *Prætoris* Plurſinatis, ac Wildani, (41) filia; *Petri* verò *Galiſónis*, nominati civis, altera.

XIV. Sed hîs, & aliîs pauculîs, inventis, (in quibus fuit, & *Saxum* quoddam *antiquarium*,) parùm contenti lætíque, Griſonum

Digitized by Google

ſonum *Ephori*, magiſtratúſque; *foſſorum* mercenarias aliquot centurias confeſtim expedierunt; additô laboris exactore, foſſioníſque præſide. Datum his negotium eſt; ubicunque lacus, & ſaxorum aggeſtus, aditum ullum concederet; egeſtione continuâ, quidquid ſors offerret, emolirentur, & eruerent.

Admotæ manus omnium, operi ſunt; & ſtrenuè. ſed, præter admodum pauca cadavera, *tegetémq; ſericum* infantilium cunarum, refoſſum eſt nihil. Et *cadavera* quidem, quorúmnam fuerint, nec conſtat; nec, propter membrorum omnium & capitis obtritionem, conſtare fortaſſe potuit. Sine *nomine* proinde, peræquè manent. (42) *Cunabulorum* autem pretioſum illud *ſtragulum**, è ſignis quibuſdam ac notîs, deprehenſum eſt, *Pauli* fuiſſe cujuſdam, cognomentô *Julini*, civis olim *Plurſinátis*: ſed, qui, poſt adoleſcentiam illic exactam, in religioſam alicubi familiam, amore Chriſti, tranſierat. Unde, *Lothi juſti* felicitatem ipſe quoque ſortitus; excidio, ſuis ſuperventuro, præmaturè ſubtractus eſt: nihilô ſuî, municipibus ſuis, & cognationi, poſt ſe relictô, præter lectuli *tectum* & aulæum ejuſcemodi, ſub

Plurſium obtritum.

quo *cubare* ſecus, quàm *adhuc-Innocens*, non potuit. Cum hoc poſtea, virô piô, ſub ipſum hujus Sæculi dimidium, creber & jucundus mihi *Vindebónæ* (43) ſermo fuit.

Ne porrò plura tunc eruerentur è *Plurſii* rudétis; obſtitit fœtoris, & graveolentiæ, quantò profundiùs ad ima deſcendebatur, intolerabilis obſcœnitas: quæ foſſorum partem infecit; aliam, ſtatim extinxit: univerſos tandem absterruit, ac fugavit. Id mirandum haud erat, vel nudam etiam rerum naturam, & non vitiorum halitum ullum, expendentibus: in tantâ, tot cadaverum diverſiſſimi generis, eſculentorum, liquaminum, & foricarum, colluvie; ſubterraneam in foveam unam congregatâ. quâ, quæ poterat *Camerína*, vel *Averni* palus, eſſe peſtilentior?

XV. Ferebatur autem, & ſuper hæc, Viro, foſſionis & operum *exactori*, per noctis ſilentium, adſtitiſſe *ſpectrum* (ſeu quis malit, inter obtritorum *manes* nonneminem,) cum increpitatione ſeveritatis ejus, quâ foſſiones urgerentur: *Non eſſe DEO cordi, vel reſuſcitari Plurſium unquam, vel adeò repurgari. Relinquerent ſepulcro ſuo mortuos ſuos; qui vellent eſſe cum vivis, & incolumes ſupereſſe.* Quæ

Digitized by Google

Quæ *dira* fuit, & in paucis utique ſevera, denuntiatio; Jerichuntînæ quiddam *exſecrationi* ſimile, poſt ſe trahens. Nam & illi loco non ſuffecerat, univerſum funditus interîſse; niſi Numinis inſuper, per os *Joſuæ* promulgatô, Decretô, ſub *devotionibus* interdiceretur *reædificatio*. (44)

Corruerunt, è diverſo, poſt *Plurſium* quoque, pænéque noſtrîs in oculis, & alia Chriſtianorum oppida; præclara, populorum fœta, ſatísque grandia: velut, ante *menſes*, quàm nos iſta conſignaremus, *ſeptendecim*, (45) ſecundùm oram ac littora maris Adriatici, *quatuor*, ſub unum ferè tempus, *urbes*: Aríminum, Piſaurum, Fortunæ Fanum, ac Senogallia. quarum in numero quidem ea, quæ ſinè comparatione cæterîs paſsa plus eſt, *Ariminenſis* civitas, ſic ædificiorum jacturam complurium ſubiit, ſacrorum ac profanorum; ut longè tamen plura retineret: ità *ſeptingentorum* utriuſque ſexûs *incolarum* imminuta *funeribus* eſt; ut *viventium* tamen adhuc non una millia numeraret. Inter *Dalmaticas* item urbes, antiquiſſimæ celebritatis, ad eundem Adriam, ſed in ulteriore littore, ſita *Raguſa*; ſeptimô circiter abhinc annô, (46) Mer-

Plurſium obtritum.

Mercurii die, (qui *Cœnæ Dominicæ* ſacram lucem præcedebat, Gregorianîs in faſtis,) terræ ſuccuſſione matutinâ, ſuperillapsîs paſſim ſcopulîs, corruit: domiciliorum, ac molium, intus foriſque, partem admodum magnam disjectam, unà traxit: ad *quinque* circiter *millia* mortalium, in his & *Croocum*, (47) Batavorum, ad Turcas, actorem, Byzantium iturum, cum uxore familiáque, ruinis involutos, amiſit: cùm interea tamen *urbis* adhuc pars memorabilis inóbruta reſtaret; *hominum* verò, *patricii* quidem ordinis, *viginti quinque* capita; *monaſtici*, centum ac ſexaginta; *plebeji* censûs, prope *ſexcenta* nomina, ſuperſtitum in album referrentur. *Clades* (quis dubitet?) iſtorum omnium fuêre *magnæ*: ſed ſuorum interim, & *habitaculorum* reliquiîs, & *incolarum*, ſeſe conſolantes; ac ſpe denique *reparationis*, detrimenta ſua ſuſtentantes. PLURSIUM *ſolum*, eversîs omnibus, ſuîmet tumulus eſt; ac (ſiqua fides nocturnis viſis) eâ divinitus lege *ruit*; ut in ævum *jaceret*.

XVI. Conſenſerunt autem iis *Spectri*, cujuscujus, edictis, verba quoq; *Saxi*; quod paullò ſuperiùs memorabamus, poſtridie ſtatim

tim ruinæ Plurſinatium, inter temerè jacentia rudera fuiſſe repertum. Notæ ferebantur inciſæ fuiſſe litterarum, *Hebraica* : quas *Theónas* quidam *Lucernenſis* (48) in hanc expoſuit ſententiam ; è diverſis excerptam Iſaiæ Jeremiæq; locis.

Hæc dicit Dominus. Verba mea ſunt, velut Ignis : & quaſi malleus, conterens petram. (49) Egredimini de Babylone ! (50) Fugite ! ſalvas præſtate veſtras animas. (51) Nolite tacere, ſuper iniquitatem ejus : quoniam tempus ultionis eſt à Domino: viciſſitudinẽ ipſe retribuet ei. (52)

Plurſinates incolas hæc omnia, tanquam *indice* digitô, *tangebant* : videriq; poterant, ſi *Saxum* illud antè potiùs, quàm poſt excidium, eorum fuiſſet oculis oblatum, ad interitûs effugium potuiſſe proficere. Sed videlicet, hæc quoque ſpes eſſe poterat inanis, & irrita. PERVERSI *difficilè corriguntur* ; (53) etiam callidi cæteroqui rerum ; etiam

Plurſium obtritum.

etiam monitorem, (ut vidimus,) & litterarum interpretem, nacti. Quid à rudibus igitur exſpectâſses, ac *fatuis*; quorum *infinitus eſt numerus?* (54) Eorum *indurata* ſtupore corda, blennósque tenebrîs oculos, ecquis *utiliter*, ad vaticinium iſtud luſtrandum, adduxiſset?

Nempe, *Lapidem legiſset Lapis.*

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) Plurſium *pleriſque dicitur*: Plurſia, *quibuſdam. hinc poëtis*, Plurſis, idis, *&* Plurſias, adis, *patronymicωs. Cluverus, epitomês pag. 777. col. 2. poſt princ.* Pluram oppidum *dicit. Adolphus verò Brachelius lib. 1. pag. XI. poſt med.* Plurétum. *Séptala, in tabula Ducatûs Mediolan: quo locô ſitum id fuit, ponit* Piaro: *an potiùs*, Piuro, *pro* Pluro? *quod Itali* Piuro *pronuntiant; ſicuti Plano, piano; Flavio, fiavio; Blondo, biondo. &c. Germanis, & Geographis vulgò*, Plurs, Plurs / *vel* Pluerſʒ. (2) *Martinum Zejllerum vide, in Itinerario Italiæ, pag. 48. col. 2.* (3) *Zejllerus, ibid. à med.* (4) *Inter eos fuerunt, Illuſtriſs. Baro à Mohr; P. Euſtach. Paganus; & P.*

& P. Julinus, S. J. (5) *Ità fluvium iſtam appellat Joan. Georgius Séptala, Mediolanenſis; in Deſcriptione Ducatûs Mediolanenſis: ut & Matthæus Merianus, in tabula* Plurſii *Zejlleriana.* *In Germanica narratione, Zejllerus* Meyram *eum nominat: Brachelius verò*, Mayram. *pag. XI. Nicol. Bellus, in Laur. Auſtr.* die Mehre. *pag. 64. col. 2. poſt med. &c.* (6) *Sic pagum hunc nominant Zejllerus & Merianus;* In Sejlano, *ſcribentes: Brachelius verò*, Schilánum. *pag. XI. v. 5. ante fin.* (7) *Sic eum Brachelius appellat, pag. XI. poſt med.* (8) *Zejllerus, Itinerarii Italici pag. 48. col. 2. fin. & pag. 49. col. 1. princ.* (9) *Geneſ. cap. 13. v. 10.* (10) *Proverbium fuit inter Hebræos, dici ſolitum in eas partes ac factiones, quarum una rapiebat alteram in ſuos potiùs mores, quàm trahi ſe ſineret in alterius: aut certè, altera callidior ac perverſior, alterius evacuabat ſimplicitatem; & evertebat. Vide tamen & Cornel. à Lapide, in caput 29. Deuteronomii, verſ. 19.* (11) *Cap. 1. v. 9.* (12) *Nicol. Bellus, Laurea Auſtriacæ lib. 2. pag. 65. col. 2. poſt princip.* Cancellarium *eum vocat.* (13) *Idem, lib. 2. pag. 64. col. 2. ad fin. & pag. 65. col. 1. princ.* (14) *Joan. Cluverus, pag. 777. col. 2.*

Plurſium obtritum.

col. 2. ante med. (15) Ità mihi retulit, circa annum 1648. Oeniponte P. Euſt: Neapolitanus, ex ore quorundam Clavennatium. (16) Non autem, Nonarum Septembrium; ut tamen aſſerit Adolphus Brachelius, lib. 1. pag. XI. ante fin. Incidit enim illa tragica Contonii montis Ruina in diem 25. (vigeſimum Quintum, inquam,) Auguſti, faſtorum Julianorum, ſeu Veteris, ut vocant, Styli. Ergò, in Quartum, & non in Quintum, Septembris Gregoriani: proindéq;, non in Nonas, ſed in Pridie Nonarum, ſtyli novi. (17) Nicol. Bellus., Laur. Auſtr. lib. 2. pag. 64. col. 2. ad med. & Joan. Cluver. pag. 777. ante med. Martin. Zejllerus, Itin. Italici pag. 48. col. 2. qui ait, Den 25. Auguſti / Alten Calenders. Quod ipſum iiſdem verbis notat Abrahamus quoque Saurius, opere, de Urbibus, V. Plurs / pag. 61. ad fin. & alii paſſim. (18) Matth. cap. 24. v. 38. & Lucæ cap. 17. v. 27. (19) Altiſſimus enim patiens eſt redditor. Eccleſiaſtici cap. 5. v. 4. redditor (inquam) pœnæ, peccatis debita. Germani dicunt, GOtt kan einem lang beitten / oder borgen. Er kombt aber endlich mit wol-eingemeſſner Straff. (20) Lucæ cap. 18. v. 8. (21) Hujus meminit Nicol.

*col. Bellus, lib. 2. Laureæ, pag. 65. col. 1. poſt pr. Sed è phraſi illius vix diſtinguas; Utrum die 25. Auguſti Veteris, an verò pridie, fœtor ille cœperit invaleſcere? Brachelius, pro die pri-*diano *ſtat.* (22) *Joëlis cap. 2. v. 20.* (23) *Amos cap. 7. v. 14.* (24) *Jerem. cap. 12. v. 3.* (25) Secéſpita, *inquit Feſtus, Culter eſt ferreus, oblongus, manubriô eburneô, rotundô, ſolidô, junctô ad capulum argentô, aurôq; fixô clavîs aneîs, ære Cypriô: quo Flamines, Flaminum virgines, ac Pontifices, ad ſacrificia utebantur.* (26) *In ludis Conſi circenſibus præſidere ſolitus Prætor,* mappæ (*quam* cretatam *Martialis vocat, lib. 12. epigr.) miſſione, ſignum dabat aurigationis inchoandæ. Tum in circum ruebant equi, certatim provolantes.* (27) *Job. cap. 26. v. 5.* (28) *Apocalypſ. 21. v. 8.* (29) Des Poteſtats Brueder/ *ait Nicol. Bellus lib. 2. pag. 65. col. 1. med.* (30) *Idem, lib. 2. Laureæ, pag. 65. col. 1. ad fin. ait;* Einer halben Welſchen Meyl lang. (31) *Ut Adolpho Brachelio, lib. 1. pag. 12. princ.* (32) *Joan. Cluvero, pag. 777. col. 2. med.* (33) *Sic dicitur Vallis, quæ ſecundùm* Meram *amnem Clavennam versùs incedit; & Plurſium à ſiniſtris habuerat, dum adhuc ſtabat.* Jacobsthal.

Plurſium obtritum. . .11 ...

thal. *Joan. Georg. Septala, in deſcript. Ducatûs Mediol.* (34) *Plurſii namq; validiſſimum Propugnaculum, à látere Boreali, videbatur antehac fuiſſe, rupes, ac mons ille Contonius; nunc ſemicollapſus.* (35) *Et hoc eſt, quod Bellus ſenſit, & innuit, lib. 2. Laureæ, pag. 64. col. 2. poſt med.* Hat ſich der ſchröckliche Bergfall vnd Ruin begeben; welcher/ als ein Pfeyl von der Sennen / in einem Augenblick den ſchönen Flecken Plurs überfallen. (36) Sion *Hebræis* Acervum *ſignificat. Quid aliud fuit, eſtq;,* Plurſium, *quàm* Acervus; *antehac quidem, Opum, & mercium? hodie verò, ſaxorum ac ruderum?* (37) *Hæc è threnis S. Jeremiæ, cap. 2. à v. 1. uſq; ad v. 5. excluſivè.* (38) *Hæc autem ex Apocalypſi, cap. 18. à v. 8. & poſtea, à v. 14. uſq; ad v. 18. excluſ.* (39) *Etiam hôc ſenſu, latinæ nitidǽq; phraſis eſt, Arbitri, haud procul admodum operis Satyrici fine:* Pœnitentiam agere ſermonis mei cœpi. (40) *Hoc & Bellus innuit, lib. 2. Laureæ, pag. 65. ex cap. 13. S. Lucæ, v. 3. & 5.* (41) Des Herrn Poteſtats / *ait Nicol. Bellus, pag. 65. col. 1. ante fin.* (42) *Bellus namq;, pag. 64. col. 2. poſt med. plus non dicit, quàm;* Man hat (im nachgraben) etlich wenig Leich-

Leichnam gefunden. (43) Viennæ Auſtriorum. *ex Antonini Itinerario Jun. Hadrian. cap. de Oppidis.* (44) *Joſuæ cap. 6. v. 25. & 26.* (45) *Anni 1672. medio Aprili, diebus ultimis* Hebdomadæ *(quam vocamus)* Majoris; *& 16. ac 17. ejuſdem menſis, mantiſſa calamitatum adjecta fuit, nova terræ ſuccuſſio, & illata damna: ſicut & in ſuis anni ſequentis faſtis annotat Andr. Goldmarus.* (46) *Annô videlicet 1667. die 6. Aprilis, qui* Mercurii *fuit* hebdomadæ Majoris *dies, juxta faſtos Gregorianos, ſeu* Styli Novi: *non autem Dies Mercurii* Veteris ſtyli, *ſeu Juliani Calendarii; ſicut tamen (at perperam) aſſignat narratio Vratislavienſis, Godefridi Joniſch. nam* Styli Veteris *dies* Sextus Aprilis *eô annô incidit in Juliani, ſeu antiqui, Calendarii* Sabbatum Sanctum; *& non, in feriam quartam: ut manifeſtum erit, in rem præſentem, excuſſione ſaltem perfunctoriâ, venientibus.* (47) Georg Kroock / *ait Germanica narratio Jonitſchiana,* ſambt ſeinem Weib / Kind / *&c.* (48) *Apud Nicol. Bellum lib. 2. Laureæ Auſtriacæ, pag. 65. col. 2. princ. ubi* Theon: Hueber *nominatur.* (49) *Jerem. 23. v. 29.* (50) *Iſaiæ 48. v. 20.* (51) *Jerem. 48. v. 6.* (52) *Jerem. 51. v. 6.* (53) Eccl.

Plurſium obtritum.

Eccl. cap. 1. v. 15. (54) *Ibid. Ad extremum porrò, claudere narrationem excidii Plurſiani totius juvat, verbîs etiam Appamiani, ſcriptoris Eccleſiaſtici: ſed, ut in aliis nonnunquam, ſic & in hujus oppidi referendo caſu, nonnihil à cæterorum ſenſu diſcedentis. Cuj fidem ego tamen, utpote capiti inſulato, in hac ſaltem re, nec velim abrogare; nec in contrarium, per omnia divinæ eſſe Veritatis, aſſerere; ſed ponderi ſuo relinquere verba Continuationis ejus: quæ, numerô 8. in hunc annum, iſta ſunt.*

In eorundem (*inquit*) Griſonum montanâ regione, 4. Septembris (novi Calendarii) terræmotu factô, mons quidam, imminens ampliſſimo oppido PLURIO, eô concuſsus, ſub crepuſculum veſpertinum, oppidum momentô obruit, cum omnibus incolis (quatuor exceptîs, qui turbinis impetu longè abducti fuêre): tantâ clade, ut ne veſtigium quidem ullum conſpiciendum reliquerit: ubi priùs *ter mille ſexcenti incolæ* numerabantur; viſebantúrque duæ Eccleſiæ parochiales, & ſex alia monaſteria, vel Hoſpitalia.

Hæc Appamianus. Qui idem, eundem in annum, tradit; Majô menſe, Quatuor *Pragæ* proce-

proceres è *curia deturbatos*, *quadraginta cubitorum altitudine.*

Nos, *plures* tribus *dejectîs*, *non inveniebamus* : *nec Plurſii*, *plures mille quingentîs*, *incolas*, *horâ interitum præcedente*, *numerabamus*.

METRUM.

Ad metam Operis.

PROSÆ

Anni M. DC. XVIII. *finis*.

Plurſium obtritum.

Digitized



SEPTEN-

SEPTENNII III.

METRA,

A pagina 287.

dilata, ac ſepoſita, uſque ad

Anni 1618.

finem:

Reddita nunc ſuis quæque paginis;

Unà cum Teſtimoniis, ac
Notis ſuis.

Ad Paginam 287.

METRUM.

ANte oculos ut Terra jacet; *ſic, arbitra terræ,*
Prœlia, pérq; acies, pérq; theatra, volant.
Sola triumphati taciturna eſt buccina Ditis (1);
Raucáque defenſum cymbala Numen habet.
Sic, Neopyrgææ pia dum Luſtralia (2) *terræ,*
Magnanimiq; forent Acta canenda Ducis;
Pars inimica, Canes *latrans imitata* Menippos, (3)
Increpat hæc: mutò pars vafrà dente premit.
Cauſſa retuſarum, per iniqua ſilentia, laudum,
Ipſe operum decor eſt, æthere teſte ſatur;
Ac VIRTUS, contenta ſuò ſatis ipſa nitore.
Quod tamen hujc ſatis eſt, te malè, Fama, decet:

Fama, profanorum vulgatrix garrula morum;
Invida, cœleſtûm pſallere geſta, chelys!
Ergò, ſacra ſacer certamina cantet Apollo!
Unusquiſque ſui perſonet acta Fori.
Quid memoret, ſileátve, cavis ſeu Latomus *arcis,*
Seu malè-germanâ Cimbrica *penna fide;*
Sollicitâ neque lance moror, neque pondero. nec tu,
Lector, ad hac vertas Nauplia (4) *ſaxa ratem.*
Quid tibi cum Stratidæ *ſputis? cum* Pſeudo-Thuani
Felle? aut Slejdani *Manibus, ac cinere?*
Cluveri *quid, amice, teris mendacia? vel, quid*
Atra Buchanani Scotia (5) *lucis habet?*
Si ſapis, & peſtem metuis; fuge toxica! NUNQUAM
Vir malus, eſse bonus quiverit Hiſtoricus.

NOTÆ.

(1) *Inferorum, Cacodæmonum. quorum ſtrages eſt, Victoria gloriaq; Chriſti; è deviantium, ad pura Veritatis viam, reductione eluceſcens. de qua loquitur & S. Paulus, ad Coloſsenſ. cap. 2. v. 15. de Converſione populorum, & repurgatione morum, efficaciâ crucis ac mortis filii DEI.* exſpolians Principatus, & poteſtates; traduxit confidenter, palàm triumphans illos in ſemetipſo. *De* Dite *porrò Tartareô, facilè cujvis perviô, Maro loquitur Æn. 6.* Noctes, atque dies, patet atri janua Ditis. (2) *Sacrificia* Luſtralia, *latices, hoſtia, dies, & feria Luſtrales; quæ luſtrationis,* purga-

purgationis, expiationis, cauſsâ ſuſcipiuntur, adhibentur, & obeuntur. Unde, Reconciliationi *quoque templorum, & populorum,* cum Eccleſia, *poſt relictam ſectam, applicari* Luſtralia ſollemnia, *nihil vetat.* (3) *Fuit Menippus philoſophus; non modò profeſſione* Cynicus, *ſed cognomentô quoq; κύων, id eſt, Canis; ob, omnibus paſſim maledicendi, libidinem, pruritum, & cacoëthes. de quo Lucianus Samoſatenſis (& ipſe quoque ejuſdem ſcabiei hæres, & canis,) in dialogis.* (4) *Fuit Nauplius Eubœenſis: qui, necis ulciſcendæ cauſsâ filii ſui Palamédis, à Græcis per nefas interempti, flammas nocturnas è monte Caphâreo, quaſi* Boni portûs *indicia, ſuſpendit: eóq; dolô pellectos Achivos, in aſperrima ſcopulis loca, breviáque, maximô numero deduxit, demerſit, & perdidit. Indè Naupliaca, & Nauplia, ſaxa; fraus, ſtrategemata.* (5) *Rerum Scoticarum Hiſtoria, libris 20. & Dialogus, de Jure regni apud Scotos: à Jacobo VI. poſtea proſcriptus. &c.*

Ad paginam 308.

METRUM.

HErbida (1) *quà biſido pulſantur gurgite regna,*
Floriſerámque duplex ſubluit amnis humum,

 Cùm

Cùm potô hinc pecoroſa madent Euphrate vireta,
Roſcidus hinc bibulos Tigris opimat agros:
Priſcus Amedæâ revireſcit in urbe Sacrorum
Cultus, & obſequii Pontificalis amor.
Hunc, longê prope lapſum ævô, pridémque caducum,
Dignorum inſtaurat curia lecta Patrum.
Cardo pii, motórque, operis, vertéxque Senatûs,
Aſſyrii ELIAS inſula prima pedi (2) eſt.
Conſona Romuleæ jurant in ſcita Cathedræ,
Vota mitratorum, ſub Babylone (3), Senum.
Neu' veteris ſint ulla supèr veſtigia rixæ;
Auſonii ſubeunt Judicis arbitrium.
Quod Paulo (4) placitum eſt, ſedet omnibus: & fit Eoæ,
Heſperiæq; (5), Unus Paſtor, & hortus, Ovi.
Quam tamen amplexa eſt Babylon Romam, hanc Nova Roma (6)
Lancinat; exiliô Sacra, vel enſe, rotans:
Quique oleam (7) Achmetes, ac fœdera Cæſaris, ambit;
CHRISTO bella, ſuô pro Mahomete, ciet.
IRATO, nec cauſſa poteſt; nec, cuncta timenti,
Suſpicio, eſſe procùl. JUS facit omne, Furor.
Thracica, conqueritur, vacuari ergaſtula vinclis;
Libera ſerviles pilea ferre comas.
Corpora Nazareis luſtrari Agarenica lymphis (8):
Oenotria (9) Odryſidûm (10) regna patére fugis.
Turcarum plagiis (11) Siculas increſcere vires;
Súbque Tagi ſenſim Boſphoron ire juga.
Hæc, & plura, ſibi Sultanus ſomnia fingens,
Exſpuit ultrices in Sacra noſtra minas.
Stringitur in cunctos terror; mox, enſis in unum,
Franciſci dignum poſteritate, caput.
Sex Loyoliadas ligat arx Galatæa ſodales:
Pars horum, Occiduam, pulſa, reviſit humum.

Quì

Quò tamen hi redeunt, vagus indè Novator *ad Anglos,*
Ordinis, & cathedræ transfuga, Marcus *abit;*
Marcus, *ab* Antoni *tumidum cognomine nomen;*
Grandius, à Domina *ſtirpe, ſupercilium:*
Cuj Loïola togam, bifidámque Liburnica mitram
Segnia, Primatis jura Spalata, *dedit.*
Iſte, Stuartiadæ captans adyta intima Regis,
Longa ſibi à tanto ſpondet aſyla tholô.
Verùm, oleum atque operam hic, piceique volumina ſumti
Grandia, dum vendit; futile perdit Opus.
Hoc erat, hæreticô Stygias è pectore Ranas (12)
Evomere; ut Tameſin, fæce carere, vetet.
Quantò erat, Antoni, generoſius; illa, vel illa,
Sanguineâ, Indorum tingere, morte juga?
Purpureæ tinxêre necis, non rore, ſed imbre,
Ac fluviô, Heroës; quos numerare, *parùm eſt.*
Octo *illic capita invenies: ſed, Vulnera cernens,*
Vividáque acta, canes; MILLE fuère VIRI!

NOTÆ.

(1) *Hi primi quatuor verſus, lumen accipient è Q. Curtii libro V. cap. 1. ubi de origine fluminum,* Euphratis *ac* Tigris, *è montibus Armeniæ: unde deinde, diverſum uterque petentes lapſum,* Meſopotamiam *efficiunt, expandunt, ac rurſum contrahunt: præcipuéque pecori fœcundiſſimam faciunt.* (2) *Baculi paſtoralis epiſcoporum: ad quem ſpectat &* infulæ *cujuſq; ſua.* (3) *Ceu metropoli, & cujus*

alioqui, de jure, eſset metropolitana Sedes: cui ſubjiciuntur cæteri, minorum cathedrarum & locorum, epiſcopi, & curiones. (4) Quinto, *nominis ejus*, Pontif. Max. (5) *Cœtus fidelium Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ: quas notant & inſigniunt ἡ ἕως, ſeu ἠώς, aurora; & ἕσπερος, veſper, & veſperugo.* (6) *Conſtantinopolis: ſic jam olim, ab ipſis Conſtantini Magni temporibus, dici ſolita.* (7) Pacem: *cujus ſymbolum*, olea, *ſeu oliva. Æneid. 7. poſt princ. longè.* — ramis velati Palladis *(qui oleagini)* omnes — pacémque expoſcere Teucris. *id, quod Vienna tunc agebat, anno 1616. Orator domûs Otomannicæ.* (8) *Multos baptiſmô* Nazarenorum *(quo vocabulô, Chriſtianos inſigniri ſolitos eſse ab Judæis, aliiſque circumciſis infidelibus; notum eſt è cap. 24. v. 5. Act. Apoſtol. & aliunde,) elui Saracenos; Mahometanos videlicet: quorum ſecta, hodie, & jam dudum, caput eſt, Mahometes pſeudopropheta.* Saraceni *porrò, revera non à* Sara *ſunt oriundi, ſed ab* Agare *Ægyptiâ, Saræ mancipiô, per Iſmaëlem. ideóq; reipſa Saraceni non ſunt, ſed Iſmaëlitæ, &* Agareni; *populares, ſive gentiles, Mahometis impoſtoris.* (9) Oenotria regna: *terras Italorum.* Oenotrii tenuêre viri; nunc fama, minores Dixiſse Ita-

Italiam. *Maro 3. Æneid. ante med.* (10) Odryſidæ, arum, & Odryſii, *Thraces: qui hodie Turcæ, vel ſub Turcis.* (11) *Turcicorum mancipiorum attractionibus.* Plagii *crimen, contra legem Flaviam, admittit; qui liberum hominem emit, vendit, rapit (Adrian. Jun.) vel, pro Servo tenet. quiq; item Servo alieno ſuadet, perſuadétq;, ut fugiat: qui fugitivum attinet, &, invitô inſciôve dominô, pro ſuo utitur. ut in Lexico Petrus Henrici tradit.* (12) *Reſpicitur ad* Ranas *Apocalypticas, ſeu ſpiritûs illos immundos; quibus, effigie ranarum abominabilibus, expectorabat ſe Pſeudopropheta. cap. 16. v. 13. cum beſtia, & dracone.*

Ad paginam 328.
METRUM.

OCto, è *Cantabrica Socios legione profectos,*
Et dignam IgnatI *pugnâ, aquilisq;, manum,*
Defenſo invexit Borealis America cœlo;
Eximium nactos poſt ſua fata jubar:
Ut traheret, tot inocciduis Polus ignibus auctus,
Magnete Occiduas vividiore rates.
Hos, qui turbo viros, quæ vis, dolus, Orgia, (1) *dulcè*
Expulerint vitâ; diſcere, frugis erit.
Impia fictilium Tovares *ſimulacra deorum*
Dum ſociâ adjutus depopulatur ope,
Perfidus, ac magicis obſtrictus nexibus Orco,
Mexicola, in vulgus talia dicta jacit;

Quæ, miſeri, nox hæc animi eſt, ſua damna fovere?
Quis manuum torpor, non removere nefas?
Damnum *ingens, tolerare jugum feritatis Iberæ!*
Grande nefas, *veteres pellere ſede deos!*
Sacrilegâ Arragones ſternunt proavita ſecuri
Numina: latronis *nomen in aſtra vehunt.*
DI, meliùs! qui mentem aliam, mandatâque vobis
Noſtrô inſtillari deſuper ore, volunt.
NUMEN ego, en! TERRÆ, certum, indubitabile, præſens,
Imperia ætherii grandia porto Jovis.
Sacrificos, ac Sacra ſimùl peregrina, ſub Orcum
Mergite: & Heſperiæ (2) *merſa tyrannis erit.*
Impunè hoc vobis, Jove præſide, me ſponſore,
Succedet; quod DI juſſimus. Eſte alacres!
Eſte viri! Dixit; juſſitque immania, non jam
Ut Terræ *(quod erat)* filius, *atque lutum;*
Sed deus. Olli amplìs, in barbara juſſa, coaxant (3)
Rictibus; aſſenſûs, obſequiique, notâ.
Proſiliunt denſi. longa his eſt omnis, agreſti
Congrua quæ pubi proferat arma, mora.
Jàmque ruunt ululante omnes immanè tumultu:
In cædem, in mortem! clamor, & ira, calent.
Primus in Unum ardor ruit hoſticus, incomitatum
Quà latus hoſti offert, collàque nuda, Tovar.
In Tovarem, armorum ſævit violentia: ſitque
Principium occubitûs, *qui* ſtationis (4) *erat.*
Poſt Tovarem oppreſſum, Sociorum in funera tendunt:
Non ſatis in turbam hanc harpa (5) *furoris habet.*
Nex (6) *una, inſtrumenta necis ſexcenta volabant,*
Undique barbaricæ turbine torta volæ.
Saxa, ſudéſque etiam, clavâſque, & fragmina ſylvæ;
Arma addit rabidis infabricata, furor.

Quot

Quot tela, haſtæ, ictus; tot plagæ, vulnera, rivi
Sanguinis: ac rubrum eſt, terra cruenta, fretum.
Nec ſatis, Extinxiſse, fuit. Lanianda relinquunt (7)
Tigribus, aut putrî membra voranda ſitu.
Centum *ipſas (miranda cano, ſed certa,) diurnas,*
Et noctis totidem, ſic jacuêre, moras;
Nuda, cruenta, inoperta ſuis, inhumatáque, cippîs.
Cœlum illis feretrum, veſtis, & urna, fuit.
Non ea dira fames, Boreîs ſtimulata, luporum;
Non rabida Hyrcanæ contigit ira feræ. (8)
Non ea brumoſæve nives, rigidæve pruinæ,
Sparsêre, aut pluviô Plêjas aquoſa vadô.
In ſummam! exſortes tabique, ſitûsque; vigore,
Quo cecidêre omnes, hôc jacuêre, viri.
Quippe, nefas viſum eſt; ſi fulcra hæc ætheris, ulla
In caſum, cœli fluxa ruina, daret.
Hîc vos, queîs cordi eſt, Phœniſsâ pérlita nardô
Inferri tumulis corpora; quid facitis?
Par, neque mors vobis, neque, mortis pharmaca, *præſtant*
Balſama. *pro Chriſto,* Sanguine *fusô, opus eſt.*
Nobiliore cubant nuſquam ulla cadavera buſtô.
Sic jacuiſse, *juvat vos quoque? Sic* cadite!

NOTÆ.

(1) ***Feſtis ludiſq; bacchantium Mænadum, quæ Pentheum, repentinô concurrentes furore, diſcerpſerunt, apud Ovidium, 3. metamorph: librô, in fine: comparari meritò poteſt Mexicanorum, ſemper ferè temulentiæ quondam dedi-***

torum, *inſanus ille tumultus*; *quo Sacerdotes hos octo contrucidârunt*. *Feſta autem illa dicebantur*, Orgia, ἀπὸ τῆς ὀργῆς. (2) Hiſpaniæ. *quanquam & Italia nominetur* Heſperia *terra*, *ab Anchiſa lib. 3. Æneid. ante med.* Sed, quis ad Heſperiæ venturos littora Teucros Crederet? — *Majore tamen proprietate*, Hiſpania. *ſicut & mare Heſperium*, *ac Veſpertinum*, *ab Henrico Hondio dicitur*, *Oceanus Atlanticus*, *in tabula Hiſpaniæ Veteris*: *cuj Atlantico mari adjacet Hiſpania* : *non adjacet Italia*. (3) *Americani quidam populi incultiores*, *non* articulatè, *ſicut nos*, *ſed* hiatibus, *loquuntur*, *ac ſonant*; ranarum *aliquatenus imitamentô*. *Vide litteras annuas*, & *acta apud Hurones* : *librô de* Mortibus Illuſtribus *Societatis*; *per Phil. Alegambe*, & *Joann. Nadaſi*. (4) Miſſiones, *quæ ab operariis Evangelicis per annos aliquot continuos obeuntur* (*ut obita fuit iſta*, *Mexicanis in pagis*,) ſtationes *etiam appellantur*; *quibus unus quiſpiam*, Directoris *nomine*, *præſidere ſolet* : *cujuſmodi fuiſſe Patrem hunc*, *Ferdinandum Tovarem*, *è modo narrandi Menologiorum*, *veriſimile eſt*. (5) *Falcatus enſis* : *quales ferè barbarorum eſſe ſolent*, & *Scytharum*, *Turcarum*. *cujuſmodi fuit &* Perſei : *de quo Naſo*, *metamorph. lib. 4. fab.*

fab. penult. & lib. 5. fab. 1. fine. v. ult. Brachia tendentem, Cyllenide cónfodit harpê. (6) *Cicero, pro Annio Milone.* Latroni quæ poteſt inferri injuſta nex? (7) *Tigrides belluas, etiam in Nova eſſe Hiſpania, tradit in hujus tabula Jod. Hondius pag. 634. col. 2.* (8) *Ob copiam ferarum iſtiuſmodi in regione illa, tigres epitheto iſto afficiuntur.* — Hyrcanæque admôrunt ubera tigres. *Æneid. 4.* Hyrcanæque tigres, & juſsi ſtare, dracones. *Petronius, in Enóthea. &c.*

Ad paginam 340.

METRUM.

Barbaricô jugulata œſtrô, *disjecta furore,*
Jámque olim, lentâ diſsolüenda die;
Arva inter, ternas jacuêre cadavera Lunas,
Funereô (ô novitas!) inviolata ſitu: (1)
Duxiſsentque ingens, ſinè labe putredinis, ævum.
Oſtentum invidit Solibus urna (2) *ſuum;*
Et tanti abſcidit diuturnum muneris uſum,
In tumuli exſequias officioſa, manus.
Poſt opus hoc, nec jam ora licet, nec honora videre
Vulnera, plena animæ. Ceſpite preſsa, latent.
Atq; ità, quiſquis humum injecit, ſcrobe ſævus in Una,
Veſpillo Heroum, prodigiique, fuit.
Hinc nos in querulas (veniam date, ſidera!) voces
Solvimur: O, pietas impia! fásque, nefas!

Juſta

Juſta piis injuſta facis; lædisque juvando.
Plus Vitæ, ac lucis, Mors inhumata habuit.

NOTÆ.

(1) *Squalore, putredine, ſordibus, cum tetro odore, & mucore, ex torpida humiditate natô; cum pædore. de quali Maro, lib. 6. Æn.* Per loca, ſenta ſitu. *& Lucret:* Fœda ſitu macies. (2) *Feralis, funebris; quâ cineres, oſſa, cadaveriſq; reliquiæ collectæ, reconduntur.*

Ad paginam 378.

METRUM.

M*Ore novô (1) veteres plectens* Francfordia *motus,*
Dormiſſe Ultores, non Obiiſſe, probat.
At nihil his marium *deterrita* fœmina *pœnis,*
In ſeſe Ultoris *provocat arma Jovis.*
DELPHTA *(vetus* Foſsæ *nomen; nunc, cive referta*
Mœnia, & Auraicæ mœſta theatra necis,)
Imperat inſuetô portoria publica cenſu:
Et duro hujc, liquida eſt cauſſa reperta, jugo:
Ad vada dextra Moſæ, redivivâ rupe novandus
Portus, & ingenti ripa cavanda ſinu.
Portum urgent (2) Proceres : negat Urbs, abſterrita ſumptu,
Portu opus, ac populi planctibus eſſe novis.

Illi

Illi inſtant: plebs difficili ſe inſtantibus ore
Objicit. In Patres verba minæq; volant.
Iſta Viri. Sed verba *virûm,* & cava murmura, *nuptæ*
(In ſua vix unquam commoda Sexus iners)
Fulgura de pelvi, (3) ſinè nube ac fulmine, *dicunt:*
Ipſæ altum, ipſæ atrox, aggrediuntur opus.
In fora quippe ruunt, in Penthea qualis Agáve, (4)
Tomyris (5) *in Cyrum, Colchis in Æſonidem.* (6)
Mille Semiramides, totidémque Thalæſtrides (7); *omnes*
Antiopæ, ac Teucæ (8); *Clœliæ, & Harpalycæ.* (9)
Arma illis, dens, ore minax, labrîsque ſaliva,
Flamma oculîs, clamor gutture, ſaxa manu.
Miſſilium imbre furunt ſilicum: quæſtoria jactu
Tecta urgent, pugnô terga, gradúque gradum.
Mox conſcriptorum celſa in Prætoria Patrum,
Conſultóſque lares, ac penetrale, volant:
Rectorúmque petunt infeſtîs avia plantîs
Atria; & in valvas vî lapidante tonant.
Sæva feneſtratos grando undique, & undique, clathros
Permeat. emotis poſtibus, aula patet.
Diripiuntur opes, æraria, curia, fiſci;
Omnis & in furto eſt, exuviiſque, labor:
Nec modus, aut armis, aut frangere legibus, iras:
Fœmina in armatos fert prior arma viros.
Juſtitiam excludunt, arctâ fora cincta coronâ;
Atque interceptîs eſſeda denſa viîs.
Jámque adeò indomitus ſexum transverterat ardor;
Et genium exuerat natio blanda ſuum.
IRACUNDA, fretum, Mulier, *quocunq; tumultu;*
Hâc omnem induerat Seditione Thetim.
Facta ſalum fuerat Cyprium, ferus Adria, torvus
Boſphorus, Ionium Carpathiúmque mare:

Foſ-

Foſsáque *quæ fuerat, nunc, bis agitata procellis,*
Tota Caledonius (10) Delphta *ſit Oceanus.*
Hic Malea, hic Syrtes; hic Scylla, feróxque Charybdis,
Et, quodcunque poteſt ſexus hic eſſe Malum.
Uſque adeò urbs omnis muliebri fluctuat æſtu.
Diffugiunt Catti (11); *Martia* Catta *manet:*
Tótque fugam Danaûm ridens, non una, nec excors,
His proceres ſannis lancinat, Andromache;
Nunc, patriæ-patres, nunc deniq; Sana tenetis
Conſilia, ac veſtris congrua perfugiis.
Nempe (tuâ liceat ſed dicere, Curia, pace!)
Non fuerat Portu, nec ſtipe, nuper opus.
Fœmineum furit, ecce, Fretum; cogitq; ſalutem
Quærere. Nunc Portu eſt (quo lateatis) opus.
Sic placuit, ridere, illis. non riſit Apollo,
Dum tale, in veſpas Delſtidas, *œſtrum acuit.*
Fabula fœmineas *diffinxit Achiva figuras,*
Cænida, Tireſian, Iphin, in ora Viri.
Jam metamorphosi nihil eſt opus, atque poëſi:
Græcia quod finxit, *Catta puella* facit.
Quam Natura, pudor, leges, mos genticus, (12) *arcent*
Jure, tribunali, faſcibus, enſe, forô;
Jura, magiſtratúmque ſibi, dominásque ſecures,
Et roſtra, & Martis, Delſtias, *arma rapit.*
Nec marium *contenta ſtatos irrumpere fines;*
Tota virûm *in cultus, aut imitamen, abit.*
Pertica, ſit labarum; cinctus, ſit palla, Gabinus;
Lintea, vexillum; criſta jubata, comæ.
Reticulum, galea eſt; fuſúsque, (13) *ſagitta; trucésque,*
Saxa, globi; ferrum, peſláque (14) *longa, colus.*
In lingua, eſt Regnum: *in furiis,* Edicta; *coronæ,*
In vitta; in carris, Sella curulis *erat;*

Nec

Digitized by Google

Nec cohibere, Viris fas eſt, aut nervus, & arma;
Nervum, fas, vires, eripuêre viris.
Cúmque ſit æternâ depactum lege, mariti
In nuptam imperium; *pro mare, nupta regit.*
Ni juſtis igitur caſtris, & eatur apertô
In peſtem hanc belli turbine, (ſicut itum eſt,)
Quia ſupereſt? Rerum versô ordine, fœdere, ſexu,
Et commutatô, quidquid in orbe ratum eſt;
Vocum etiam, ac linguæ, clypeos mutemus: & eſto,
(Grammatici, fugite hinc!) Hæc *vir*, & Hic *mulier.*

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) *Tanto ſupplicii, pro* mechanicis opificibus, *apparatu, pompâ, ſpectaculô.* (2) *Obſervare potuiſti, lector accurate: ſuperiùs, in narratione Cluveriana, ſuper* Delphtenſi *ſeditione hac, nullam eſſe mentionem introductam prætextûs ædificandi, reparandi, vel amplificandi Moſæi Portûs. Sed vide tu, quid de velabro exactionum harum tradat Meurerus, in Continuatione Relationum hujus anni, à pag. 89. & alios.* (3) *Adagium in vanas, ac bruta flammæ, minas.* (4) *Cadmi filia, Echionis Thebani uxor: quæ Péntheum filium, ac regem, ob naturam abſtemiam à Bacchi Orgiis abhorrentem, cum agmine Baccharum invadens, diſcerpſit.* (5) *Scytharum regina, quæ Cyrum Perſarum regem ſuſtulit: ut expo-*

ſui

ſui IV. Ruinarum Illuſtrium Decade, in Ruina regum Perſiæ. Tomyris *porrò, à Suida per o magnum ſcribitur,* Θώμυρις. *Apud Herodotum verò, per ómicron reperitur ſcriptum: ut bene monet Suidæ ſcholiaſtes. Ea lectio proinde ſi firmioris cuipiam fidei videtur, & auctoritatis; per me licebit, mutatâ diſtichi noſtri iſtius parte priore, legat,* In Cyrum Tomyris. (6) *Medéa, Colchorum regis filia, à Jaſone repudiata; & idcirco, in eum, ac ſponſam ejus Creuſam, atque Creontem ſocerum, ejúſque domum, arcem, urbémque regiam, Corinthum, cincta Dirîs omnibus, incurrens; uſque ad deflagrationem. Fuit porrò Jaſon, filius Aéſonis Theſſali.* (7) *Thalæſtris, Amazonum regina, cum ſui ſexûs, ac gentis, comitatu magno, & armatô, venit ad Alexandrum Magnum; ut legis apud Q. Curtium lib. 6. cap. 5.* (8) Antiopa, *& ipſa Amazonum regina; quæ regionem Atticam, ſuperinfuſo exercitu, infeſtam habuit: à Theſeo demum ducta, & innocens necata. Vide Senecam tragœdum, in Hippolyto: & Natal. Comitem, mythol. l. 7. c. 9.* Teuca *(quibuſdam & Teutha) Illyriorum regina caſtiſſima: quæ Romanorum legatos, & duces, ac legiones, multùm afflixit, incurſionibus, & prœliis, & incendiîs.* (9) *Bellatrix,*

latrix, gentis Thracum veterum decus. Virgil. Æneid. 1. ad med. Clœliæ *Romanæ generoſam audaciam, ut & comitum ejus virginum,* celebrat *T. Livius l. 1.* (10) *Mare Scoticum, ſævum. Abr. Ortelium vide, in tab. Britanniæ.* (11) Catti, *ſeu Chatti*, ſuperiores, *ſunt hodie* Haſsi. *Inferiores, ſunt* Batavi. *quippe, Cattorum ſoboles, ac poſteritas; ſicut Hetruſci, Lydorum. Vide & Hug. Grotium, libro 2. Sylvarum, tit.* Annales Douſarum: *& clarius, in hiſt.* Borrii, *de Leyda*-proavis habitata colonia Cattis. (12) *Corn. Taciti vocabulum eſt, hôc ipſo ſignificatu: lib. 3. Annal. ad med.* (13) Spindel. (14) – *& pêjla, minantia pêjlis, (pro* pilis, *militaribúsq; jaculis,) Lucan. l. 1. Pharſ.* antiquè.

Ad paginam 392.
METRUM.

SEptimus, à decimo Titanis limite, currit
Zodiacus ſolitis, denſa per arma, rotis.
Solis ab Eois, ad regna Atlantica, regnis;
A Boreæ, atque Noti, cardine, bella tonant.
PRIMUS, *& armorum famæq; veterrimus, ardor*
Ultra Arabes Schach-Abas (1) *fulminat, atque Syros:*
Et, juga transgreſsus Tauri, (2) *gelidúmq; Niphaten,* (3)
Terret Achæmeniis (4) *Armena caſtra tubis.*

 Sed,

Sed, dum purpurei (5) *nimis urget* Sacra tiaræ,
Et Mahometis agit ſub juga, quidquid adit;
Cæruleæ *exſcidium* vittæ, *domitique triumphos*
Achmetæ, indecori relligione nigrat.
AT B*yzantinum, nigriore tragœdia Regem*
Exagitatum *actu,* finit; *ut haſta feram.*
Ut fera, quam, cinctam fluvialibus undique ripis,
Hinc Venator atrox, hinc premit ira canum,
Quanquam almô circùm ipſa ſedens vallata ſalictô,
Aut hirtæ densâ caricis arce cubans,
Fruſtra exit, fruſtràque manet: quàmque unda, nemúsque,
Ventis, tàm, dubiô fluctuat ipſa metu:
Donec (in everſis ſpes unica rebus) egeſtas
Deſperavit opis, *præſecuitque, viam;*
Staminàque accidens fatalia, tabe ſuâpte
Solvitur, ægra moræ, bellua, certa mori:
Aut, ſe præcipiti devolvens effera jactu,
Mergitur; eluſos antevenitque canes.
TALIS, ab Arſacio (6) *hinc circumretita tyrannô,*
Illinc Occidui fulguris icta metu,
Achmetæa, *pigrâ malè tuta Propontide* (7), vita,
Rumpat ut inviſæ tædia lucis, obit:
Threjiciæq; olim vertex celſiſſimus Aulæ,
Nunc Stygios implet (magna ruina) (8) *lacus.*
Jura gubernâcli tractare vicaria frater
Juſſus, & Odryſii (9) *flabra domare freti,*
E Mahometææ prodit vetus incola cellæ
Fornice, quem Tumuli dixeris eſſe ſcrobem.
Hac ſcrobe defoſſus Muſtaphas, *funeris inſtar,*
Párque ſepulcrali, ſederat umbra, *ſtrigi* (10):
Et tamen hæc, (mirô Sortis variabilis aſtrô!)
In Lucem umbra *venit; ſceptráque fratris adit.*

Et,

Et, qui cornigeræ dederat thura impia Lunæ,
Sacrificô placans aſtra Agarena (11) *focô,*
Cornua nunc ipſe, & Lunati *inſignia Regni,*
Sumit; &, *à* genibus, *ſe ſtupet, eſſe* caput.
Sed (quod pace tuâ liceat dixiſſe, precatrix
Relligio!) diſtant Aulica *Jura* Sacrîs.
Vota, precéſque, piis effundere queſtibus, omnes
Novêre agricolæ; ruſtica novit anus:
At, dare jura, ac fari *æquô* tria *pondere* verba, (12)
Solorum eſt, quibus ars *purpura, non* tumor, *eſt.*
Inſciti exemplum imperii, dominique cruenti
Muſtaphas *ſpecimen, Turcica fræna capit:*
Sed, proprii infrænis genii; tetricæq; latebræ,
Quàm ſolio, utilior, præpropero enſe furit:
Pérque humiles, pérque illuſtres, diſcrimine nullô,
Graſſatus noxæ, plurima colla metit.
Luna ſemel (13) *plenîs reparaverat ignibus orbem,*
Et *jam regni,* Aſiis (14), *Annua viſa mora eſt.*
Ad ſummam! priſcorum hæres, & imago, Neronum,
Regnantûm multô ſanguine, (15) *forma fuit.*
Ac certè: Qualem eſſe, putes, qui immanis *& illis*
Sit viſus populis, quos cruor unus alit?
Ergò, futurorum ſiquid mens proſpicit, Aut Rex
Non erit; aut veterem hic defluet in tumulũ (16).
Nam ſceptri, hoc Fatum eſt; ut, QUISQUIS culmina rerum
Inchoat à gladio, *finiat in* capulo. (17)

NOTÆ.

(1) Schach-Abas, *&* Scháabas, *ſine diviſione compoſita vocis, Perſarum rex eſt ille,*

Parthorúmq; cujus, per tot jam annos, toties meminimus. (2) *Montis, qui, ſuîs Alpibus longè latéq; extenſus, ab Indico uſque mari, & per obliquum in Septentriones declinans; in Occidentem denique, Minoríſq; Aſiæ principia, ſe conſumit.* (3) *Mons Aſiæ Majoris, Aſſyriam ab Armenia Majore dividens; & ſemper nivoſus. Ex eo defluit & amnis, ei cognominis: ut innuit Carol. Stephanus utcunque, ex ipſo geographorum diſſenſu.* (4) Perſicis. *Hinc & Perſæ dicti ſunt* Achæménidæ: *ab* Achæmene, *eorum vetuſtiſſimo ditiſſimóq; rege.* (5) Tiáras, æ, *Turcarum Perſarúmq; capitis operimentum eſt; noſtris* Turbant/ oder Türckiſcher vnd Perſianiſcher Bund. *Ad ſuum verò, inter ſeſe, religionis Alcoranææ diſſidium palàm profitendum, Turcæ* cæruleô, *Perſæ* rubrô, *utuntur: &, de hac* lanâ caprinâ, *perennibus inter ſe odiis armîſq; decertant: ut & alibi monui.* (6) Parthicô, (*nam &* Parthorum *rex erat Schâabas, æquè, ac Perſarum,) ab rege eorum* Arſace: *cujus ſucceſſores, ex ejus nomine memoriâq;, dicti ſunt* Arſácidæ; *populi*, Arſacii. (7) *Parte maris illâ, quæ Hellespontum, & Pontum Euxinum, interjacet.* (8) *Alluſum ad illud Matth. 7. v. 27. de domo collapsâ, id eſt, homine reprobo mor-*

mortuô : Et facta eſt Ruina illius magna. (9) *Thracici maris : cujus accolæ quondam* Odryſii *populi* : *qui &* Odryſidæ. (10) *Avi infauſtæ, in ſepulcris ſedenti.* Strigis, *ſyllaba prima, communis eſt, etiam claſſicis.* (11) *Saracenicam* Lunam. *Saraceni porrò, reipſa ſunt Agareni : quippe, ex Agare oriundi; non è Sara.* (12) *Tria verba prætoria* Do, Dico, Addíco. *quæ Diebus* faſtîs, *loqui prætori, fas erat;* nefaſtîs, *nefas.* (13) *Muſtaphæ enim, primô ſtatim regiminis ſui menſe, faſtidiri ab omnibus cœpit.* (14) *Ambabus Aſiis, id eſt,* Minori *(quæ Natolia nunc eſt) &* Majori, *in qua Syria, cæteráque regiones quædam, Turcicæ ditionis. Hæ gravari ſupra modum, ac vires, actîs edictiſque Muſtaphicîs, viſæ ſunt, ac dictæ.* (15) *In Cl. Tiberium Neronem, cónditi verſus vaticini; notiſſimi ſunt ex Suetonio, in Vita Tiberii. quorum clauſula.*

— regnabit Sanguine multô,

Quiſquis ab exilio vênit ad imperium.

(16) *In veterem enim ſpeluncam mox retruſus; &, poſt annos aliquot recepti ſceptri, tamen* tertiò, *privatam ad ſortem, tumulo propinquus, relapſus eſt.* (17) *Vox hæc, &* manubrium *ſignificat* enſis, *Virgilio;* & feretrum mortuale, *Plauto, ac Lucilio, poëtis.*

Ad paginam 419.

METRUM.

SÆviùs Odryſidas, Aſtanáque proterit arva,
Parthus: At Europês latiùs ira furit.
Gens genti, urbs urbi, regnis concurrere regna,
In cives ferrum ſtringere civis, ovat.
Ipſa quoque alternô, poſitis Concordia telis,
Fœdere, in alterius conjugat arma caput.
Guſtavo, poſt bella, Gotho ſe Moſcus amicum
Dux gerit; ut gemino Gneſna (1) ſub hoſte tremat.
Nectit idem ſociale Gothum mox fœdus eundem
(Quis putet hoc?) Cimbris. Sic amat ignis aquas.
Diſſona ſuppreſsô coëunt diſcrimine regna,
Ne ſinè rivali ſceptra, Polone, geras.
Quàm, Batavis Rex vellet idem ſtudium eſſe Britannus,
Ut foret unum illis unica Roma odium!
Hoc monitis, hoc ille ſtylô, ſceptrique minacis
Vultu urget: fruſtra eſt vox, ſtylus, atque minæ.
Stant Batavûm clauſæ Pacem ſuadentibus aures:
Nec dirimunt Friſias Anglica ſiſtra tubas.
In turbas, in bella ruunt, vocalia primùm;
Roſtratas intrà VERBI inimicitias.
Senſim hinc, in ferrum, in clades, ac funera tractæ,
Totæ urbes, populi, caſtráque, Dúxque ducum,
Pro Cœlo dum utrimque ſuo, (quod utrimque labaſcet)
Gommarique acies, Arminiique, tonant.
Nec nullo, hæc inter, neque nobiliore, caleſcunt
Gentis in Auſoniæ, corda Cheruſca, (*) Caput.
Quippe, tubis (2) nova proflantem Jobelæa vetuſtis,
PAULUM, Petræi (3) juris (4) ab auſpiciis,

Mimi-

Mimica Miſniacæ (5) *turbant crepitacula buccæ;*
(Quæ namque his viſa eſt buccina, bucca fuit.)
Aram aræ, Tiberique Albim, Jobelæáque portis
Islebica opponunt, diſſona Romuleis.
Quæritis, Ecqua novi rabidis ſit cauſſa triumphi?
Materies pompæ tota, Lutherus (6) *erat.*
Hujus ab infauſto, quo nunc gemit Arcticus axis,
Transfugiô, exierant his modò luſtra decem.
Hinc ludi, hinc Pæan, hinc plauſus, & illa, per urbes,
Orgia, pérque domos: hinc lyra, vina, dapes.
Implêrunt ternos ea Martinalia *Phœbos:*
Et veſtrum hic regnum, Bacche, Cerèsque, (7) *fuit.*
O, miſer! ô, medicis pridem, Septentrio, digne
Committi Anticyris, (8) *elleborîque cocis!*
Unum his, tam brutis (rogo te) Sacrum adjice Sacris;
Et cæsâ placa Numina læſa Sue. (9)
Certè; Intemperiîs *agitaris; dum, Decus ingens,*
Totîs centum annis Deſipuiſſe, putas.

NOTÆ.

(1) ***Urbs Poloniæ, murô clauſa; in planitie ſita, inter lacus & colles. Hanc, urbium ejus gentis omnium primam, condidit, gentis ipſiúſmet conditor, Lechus.*** (*) ***Populi Germaniæ transrhenanæ Tacito ſunt,*** Cheruſci; ***circa Albim fluv. ubi nunc*** Saxones. (2) Jubilæorum, ***ſeu*** Annorum Remiſſionis, ***ritus in lege jam Moſaicâ fuit; ut habes ex Levitici cap. 25. per plurimos verſus.*** Buccinarum ***verò***, quarum uſus in Jubilæis erat, ***mentio-***

ſit Joſua cap. 6. v. 4. & v. 13. (3) *Paulum V. Pontif. Rom. qui, ut ſucceſsor S. Petri in cathedra Apoſtolica, eádem poteſtate, quâ Petro donatum à Chriſto eſt*, Solvere, & ligare, *Matth. 16. v. 19.* Jubilæum *effecit hunc* annum *1617. Cujus proinde accenſi* invidiâ *(ſicut judicat, ac pronuntiat, Gabr. Barthol. Gramondus, lib. 2. Geſtor. Ludov. 13.) heterodoxi, ſuum ei Jubilaum ex oppoſito oſtentârunt.* (4) Jus *remiſſionis delictorum, & commutationis votorum, aliarúmq; Jubilai gratiarum, aut exceptionum, ſatis fundatum eſt, & Apoſtolica Sedi promiſſum, citatô paullò antè capite, Matth. 16. v. 18. & 19. repraſentatum verò, reipsáq; plenè traditum, Joann. 21. v. 15. & 16. & 17.* (5) Dreſda, *Miſnia, (regionis Saxonica) culta cumprimis, & inſignis urbs, Electorum Saxonia ſedes, & armamentarium; habebat hoc tempore, quod exſequimur, inter Verbi Praecones etiam* Matthiam Hoë, *Electoris eccleſiaſten aulicum; Jubilai ſui proclamatorum facilè principem.* (6) *Vide Bernardi Bahuſii feſtivum Epigramma, de* Papæ *ſyllabâ* primâ *producendâ;* Lutheri *contrà, breviandâ.* (7) *Potûs enim Cerealis, ſeu* Cereviſiæ, *flore, praſtantiâ, & uſu, triumphat vulgò Saxonia: praſertim verò coctura Embeckianâ, vel ejus imitatione.*

(8) An-

(8) Anticyra, *Maliaco Sinui, & Oetæ monti, adjacens Inſula: in qua copia naſcitur maxima planta* ellébori *(quæ & veratrum, ſeu nigrum, ſeu album, Germanicis officinis* Nießwurtz / Chriſtwurtz. *) cujus ſuccô, maximè cibis incoctô, delirorum cerebra purgantur; & inſania diſcutitur. Unde Naſo quoque, lib. 4. de Ponto, de dementer loquente,*

I, bibe, dixiſsem purgantes pectora ſuccos;
Quidquid & in tota naſcitur Anticyrâ.

(9) *Cerrîtis ſanandis priſci* Suillum *vovebant, & offerebant*, ſacrificium. *Ammirant: Et alioqui nonnullis etiam à medicis* eſus porcinæ *familiarior, mente imminutis ſuadetur.*

Ad paginam 492.

METRUM.

PRo nucibus Batavus, pro cortice tympana Saxo,
Et pro lanigera tundit uterque caprâ. (1)
Non tam ventoſis in claſſica motibus ardent,
Caſtra Bearnæô Celtica fixa ſolô.
His DEUS, auſpicium eſt; Pietas, ac priſca Sacrorum
Integritas, ſtimulus; teſſera, Relligio.
At ſpolium, indomitis extorta potentia Sectis:
Et, modò rapta malis, reddita templa bonis.
Gloria Victoris, domefacta (2) *Bearnia, Regis;*
Laurea, ſacrorum flos redivivus, erit.
Tanta tamen Juveni (3), *Pyrénês* (4) *palma ſubactæ,*
Quantâ ah! primi obicis (5) *mole, morâque, ſtetit?*

Scilicet, Audendum eſt, tentanti Summa: ſuúſque
Per juga runcandus (6) *proxima quæque gradus.*
Inteſtina priùs, procerúmque domeſtica *ſylva,*
Pura ſit: externum *poſtmodò carpe nemus.*
Ecce, recompoſitos nuper per dulcia Regi
Fœdera, nec jam ullâ ſuſpicione vagos, (7)
Vincula Condæi, nimiúmque Ancræus in alto,
Turbida concierant rurſus in arma, Duces.
Vox erat hæc Procerum, quæ vox erat omnis, ab ævo,
Murmuris; ac, dum Sol *tempora volvet, erit:*
QUOD nimis Eminuit, premitor Caput! *Illa caduca eſt,*
QUÆ cunctorum humerô non ſedet Aula parî.
At quando ſperem, eſſe Pares, *quibus* impare *corda*
Diſſiliunt ſenſu, *vóxque biſulca volat?*
Seceſsus (*Ancræus ait*) tolluntor! *&, arma*
Qui per ſeceſſum ſeditioſa gerunt!
Ancræus tollatur! (*ait, diverſa ſequentûm*
Curia): *In Ancræi culmine, cauſſa mali eſt.*
Diſcordes igitur dum Rex ſinè fruge laborat
Nectere; ſic Procerum denique corda domat.
Ne nil tot querulis æquus daret arbiter; In jus,
Ad cauſſam, Ancræum, judice fronte, citat. (8)
Ille, ſariſſophorûm (dum ad regia limina tendit)
Præſidia, Inſidias, & ſua vincla, ratus,
Diſtringit; ferrúmq; rotans, vim viribus arcet, (9)
Excutiens Italo *Gallica geſa verû.*
Sed numerô (dubium eſt, an & actis?) obrutus, hæſit;
Aulicáque Ancræus victima planxit humum.
Nec tumuli inconvulſus honos, aut obtigit urnæ
Incôncuſsa quies. Membra refoſſa trahunt:
Quótque manus populus, tot habet prope fruſta cadaver:
Quod ſupereſt Furiis, Ignis & aura vorant.

Heu!

Heu! vitreîs nixa Aula *rotis! heu, currus honorum*
Lubricus, atque anceps ſternere, & evehere!
Quid tibi nunc regina *poteſt conferre patrona,*
Marchio? *quid, tedæ lux* Galigaya *tuæ?*
En, etiam has veteris fuga deſerit avia ſortis:
Reginam Bleſas *clauda quadriga trahit.*
At, thalamo ſociata tuo, ſociatur & umbræ:
Plexáque, ſit, quod tu es; flamma, favilla, Notus.
Scilicet, emeritis facit hæc funebria curis,
Seu mos eſt, Mundus; ſeu vitium, Ambitio.
Ne tamen his Aulæ nihil actum motibus eſſet;
Concini viſa eſt Pax rediviva nece.
Ad genua accedit pede ſupplice regia, quisquis
Obſequium profugô ruperat ante pede.
Soli *hoſtes reſtant, Calvinus, & Ambitus* (e). *Altum*
Hi trabe, quâ Ancræus, quâ Galigaya, petant!

TESTIMONIA.

(1) *Certè namque tunc, & lætitiâ Cheruſci, & diſſidiis Hollandi, perſtrepebant, in vanum, ac ventos: Illi quidem, pro Jubilæo frivolô; iſti verò, pro deliris Arminii Prædicantis aſſertionibus, ac nugis, apud plebem venditandis.* (2) *Aratro* domefacta *tellus, eſt Arbitri (ſcriptoris annoſi, quem Joann. Bapt. Ricciolus, in Proſodia ſua Bononienſi, poëtis veteribus Primæ Claſſis inſerit,) circa medium, ante ingreſſum Eumolpi in navim Licæ.* (3) *Rex enim Ludov. 13. natus fuerat annô Chriſti*

ſti 1601. Ergo anno 1617. pueritiam dudum egreſsus. (4) *Id eſt, Benearnia, Pyrenæis montibus adjacentis; & quodammodo partis ejus, in tractu ciſalpinô.* Pyréne *porrò*, nês, *pro omni Pyrenæarum Alpium plagâ complexúque ſumpta, quin & pro vicinia radicéq; montium; producit primam; & ponitur in genere fœminino, à Lucano, lib. 1. ad fin. à Tibullo item, Silio Italico, & Auſonio.* (5) Obicis, *&* obice, *à Virgilio in prima ſyllaba producitur, tanquam ab* Objex, objicis. *A Silio verò Italico lib. 3. & lib. 8. Punicor. corripitur; quaſi ab obex, quod, i, extruſit.* (6) Runcare, *eſt noxios, aut utcunque aliter obſtantes, frutices, ſpinas, herbas, ac remoras, exſtirpare (quod fit per inſtrumentum* runcínæ.*) Cato, de re ruſtica, cap. 2.* (7) Suſpiciones *etenim ſiniſtræ quoſdam Optimatium, ex aula digreſſos, quaquaverſum diſperſerant.* (8) *Juxta ſententiam Arthuſii Dantiſcani, ſcribentis lib. 22. Sl. rediv. pag. 1497. col. 2. med.* Hat Ancre nunmehr ein gefreyten König geſunden; welcher ihn/ den 24. Aprilis, nach Hoff zu kommen/ beſchaiden laſſen. *&c.* (9) *Ex probabiliore ſententia; quæ Gabr. Barthol. Gramondi eſt, libro 2. de geſtis Ludov. 13. citatô in* Proſa *hujus Apocommatis.* (1) *Sumptuariîs nonnunquam legi-*

legibus repreſſus ; uti ſuprà, annô 1615. à Ludovico XIII. Legibus item contra Monomachias, è levis ſubinde dicti nimis ſuperbo ſenſu natas, & ab Henrico IV. vetitas ; ſed diu fruſtrà. De ambitioſis quoque Emptionibus Officiorum, conqueritur Joan. Barclajus, in Icone animor. cap. de Gallia.

Ad paginam 541.
METRUM.

Bella decent, quos Cœli *adigit tutela ; quibúſque*
Vix, niſi per gladios, Juris aperta via eſt.
At vos, heroës animi, quibus omnis in æquo
Pes Legum, & cœlo conſona Relligio eſt,
Inſubrum Allobrogúmque Duces, capita inclyta Solis,
Poſt Romam, Heſperii ; quæ ſurere Ara jubet? (1)
Cur Allobrogicis tremit ora Padana catervis?
Cur fremit Aſturicus, ſub Pede-Montis, *eques?*
Vercellæa rapit cur mœnia victor Iberus,
Quæ veteri reddet poſterus annus hero?
Oppida cur turbo vaſtat Lombarda Sabaudus,
Cuj tota, & miſera eſt gloria, ſubruere?
Mars gravior, mittit paria in certamina, campis
Diſparibus, Venetas Illyricáſque rates:
Adriacos dum Oſſuna ſinus, comitante Liburnô,
Pervolat alternis, rejicitúrque, Notis ;
Fortunámque maris ſequitur ſors lubrica terræ,
Dum dubiâ premitur Palma, *premítque, vice:*
Iſtráque nil Marci (2) *tremefacta Gradiſca* leone,
Obſidium, urbs bellax, obſidet ipſa ſuum.

Mactè

Macte animi, Fernande, *tui*, *decoríſque tuorum!*
Naſcitur iſta tuis Laurea prima comis.
Tempus erit, fidis jungent quo fœdera dextrîs,
Adria ſenſim Auſtrîs, Auſtria feſſa fretîs.
Interea, improlis thalami, te Cæſar adoptat,
Trajanum (liceat dicere!) Nerva ſuum: (3)
Têque, ſuis ſenior juſſum ſuccedere curis,
In trifidi mittit culminis auſpicium.
Jámque Bohema, tuos Zeccl (4) *diademate crines*
Gens religans, Regem voce cliente canit.
Jam Pomum, jam ſceptra (5) *capis; jam, murice & auro*
Picta, chlamys (Regni pignus, & arrha,) datur.
His tu, quisquis is es, ſtrictum *cur addis &* Enſem? (6)
Fernandi *diſcors moribus iſta nota eſt.*
Namque hunc (ſi neſcis) Clementia, non rigor, armat:
CANDIDUS hujc datus eſt, ſub pia fræna,
LEO. (7)
Da ferrum, Amphitryoniadæ; da pondera clavæ,
Unde Cleonæam proterat ille feram:
Mitior Auſtriaco-Alcidæ LEO contigit, ALBUS;
Quem geniô, ac placitis imbuet ille ſuis.
Herculis ergò ſenis *laus ſit, Leo* cæſus; *at* hujus
Gloria, non ſtratus, ſed cicuratus (8), *erit.*

NOTÆ.

(1) *Nota ſatis è Cornelio Nepote, in Hannibalis vitâ, Carthaginenſis eſt ARA illa; ad quam Hannibal adactus ad juramentum præſtandum fuit, ab Hamilcare patre ſuô;* Nunquam ſe in amicitia cum Romanis fore.

Unde

Unde (ut idem auctor, in fine Vitæ Hamilcaris, ait,) interire, quàm non Romanos experiri, *infeſtîs utrimque armîs*, maluit. *Nec ignota è Græcis, & Oreſtæ furoribus, poſt occiſam Clytemnæſtram matrem*, Inſanientium Ara *eſt, apud Argos, & Athenas, & in Taurica. vide Æſchylum in Eumenidibus.* τῶν μαινομένων βωμός. (2) *Sereniſſima Venetiarum Reip. inſigne eſt*, LEO, *dextrô pedum anteriorum ſtrictum tenens gladium; & apertum librum, in quo leguntur iſta verba*, Pax tibi, Marce, Evangeliſta meus! (*qui & Patronus Venetiarum eſt.*) *de quo & apud Martin. Zejllerum leges, in Itin. Ital. pag. 60.* (3) *Coccejus Nerva, Imperator pacificus, & contrà, quàm anteceſſor ejus Domitianus, Chriſtianorum ſanguinis abſtinens; Trajanum adoptavit; & adoptatione, Cæſarem fecit, ſibi ſucceſſurum. In manibus omnium Plinii Junioris Panegyricus eſt; horum teſtis, & præco.* (4) *Zecchius, & Lechus, Croatæ fratres bellicoſi, & è Dalmatia in Septentrionis oras delati; regna denique condidêre, parvîs initiîs, ſed in magnitudinem olim, noménque regium, aſſurrectura:* Zecchius *quidem, ſeu* (*ſicut eum Cluverius pag. 417. nominat,*) Zechius, *Marcomannorum; qui dein* Bohemi *dicti: Lechus autem,*

Sarma-

Sarmatarum : qui verbô Dalmaticô appellati ſunt ab eo, Poloni ; *utpote* Planitiem *incolentes, quæ Dalmatis priſcis*, Pole *eſt*. (5) *Hæc, & id genus alia, Regni Inſignia*, curribus unô & quadraginta, *magnô apparatu, per Status Bohemiæ advecta Pragam erant, 26. Junii die. Arthuſius lib. 22. pag. 1511.* (6) *Præter ritum, præferendi in regum Inauguralibus gladii; uſus interim illius tunc, & iſte fuit : ut, Sacrificiô publicô peractô, manu gladiôq; novi regis* Equites aurati *crearentur ; Legati duo Francones, ab Arthuſio pag. cit. col. 1. ante fin. nominati ; & Gallus unus, aulæ HohenZolleranæ præfectus.* (7) *Inſigne regni Bohemiæ.* (8) *Ex Varrone, de lingua Lat. verbum hoc*, Cicuro, *pro, Manſuetum reddo, vel Exarmo, vetus eſt. & Pacuvius ſcripſit, Plautô poſterior*. Nulla res cicurare, neque mederi potìs eſt, neque reficere.

Ad paginam 547.
METRUM.

Quàm decus hoc rarum eſt, Virtutis ad ultima curſus
Integer, ac nullo vita ſepulta probro?
En Schah-Abas, Phœbi illa mei campúsque ſegésque,
Fulmen Achæmenidum, Boſphoriúmque tremor,
Auſoniis paſſim qui induſerat atria Sacris,
Ac ſua divinis roſtra magiſteriis,

Perſi-

Digitized by Google

Perſica quem toties Romanis fœdera terris
  Vidimus, ac miſtâ mittere dona prece;
Quem toties, victrice auctum per proſpera lauro
  Prælia, terribilem fecerat harpa (1) Scythis:
Nunc (ſcelus!), ex ipſa pejor bonitate faventis
  Numinis, ac Sectæ ſævus amore ſuæ,
Enſe palàm Chriſtum, Mahometæique repulſam
  Dogmatis, inſequitur. promovet arma dolus.
Alterutrò ergò cadunt fortiſſima gentis Ibérum (2)
  Robora, & Albanæ nobilitatis apex. (3)
Jámque Georgiadûm virtus vaſtata virorum;
  Patritii exciſus ſanguinis hortus, erat:
Cùm matrum quoque colla petit, nuruúmque, machæra;
  Quæ lethi ſperat flectere colla minis.
Sæva ſed eluſa eſt perſuaſio. fœmina ſexu,
  Maſcula ſed mente eſt turba reperta ſuâ:
Cùmque thori obſequiò poſſet mollire tyrannum;
  Maluit, intactâ caſta perire fide.
Clarior una tamen reliquis, ut frontis honore,
  Sic regalì animi vi, CATHARINA, fuit.
Hanc ſoliô Schah-Abas, hanc Colchi (4) vertice regni,
  Hanc patris excuſſam cenſibus, atque viri,
Hanc, rapidæ invidiâ ſortis per ſumma volutam,
  Pérque ima, ad famulæ conditionis opus,
Perſicus & vitæ tandem furor exuit aurâ;
  Multifidi eliſam funere ſupplicii.
Firma tamen mentis, totam ſe impendit Olympo,
  Millenâ laceram, per necis arma, nece.
Sed quibus? Exactò, per aperta vocabula, cenſu
  Singula complecti, neſcia penna negat.
Invidit Vati hoc, rerum ſuccinctior Auctor.
  Fingere, in his, ſcelus eſt: pingere, Jura ſinunt.

Pictor, ades! noſtróſque legens ex ordine verſus,
Conjice, Nympham iſthanc quæ Necis Arma *notent?*
Regina eſt; Caſta eſt; Catharina eſt; ſalce rotata eſt
Fortunæ, ac Perſæ. pinge Rotam, & Gladium!

NOTÆ.

(1) Harpe (*inquit Hadr. Junius*) *Lucano, falcatus enſis, acinaces,* gladius Perſicus: *& Turcicæ genti familiaris.* (2) *Iberia Orientalis, cujus indigenæ* Ibéres *dicuntur; infra Colchidem jacet, inter Pontum Euxinum, & mare Caſpium.* (3) *Albani Orientales, ſuprà* Ibéres *ſiti ſunt; ad mare Caſpium, & ipſi.* (4) Colchi, cis Phaſin, *ad Auſtrum, vergunt ad Armeniæ montes; ubi* Gurziani, *Georgianorum tractus.*

Ad paginam 679.

METRUM.

OCtavus decimus, revolutô cardine, Janus
Poſte novas Belli pandit utroque fores.
Quod forti facit ille manu, nos carmine molli
Sit, memorâſſe, nefas. QUI canit arma, furat!
Nos mera, nos ſola hinc, nos aſpera cladibus, arma,
Arma catenatô nexa labore, damus.
Principium turbarum, Oriens, ac Thracia, Turci
Regia. NUNQUAM *unà Thrax bene, Páxque, ſedent.*

Biſte-

Biſtonidûm vis-prima (1) *ducum, Phœnice relictâ,*
Euphrateq; oris, Strymonis arva petit.
Hinc, raptis properè legionibus, improviſus
Muſtaphæ (heu!) ſolii ferreus horror, adeſt.
Pellitur hic; veterémque petit fera bellua mandram:
Oſmánes patriâ rector in arce ſedet.
Impetus hinc Scythicus, priſcum revolutus in hoſtem,
Immani in Schábabam turbine bella ciet:
Ac, licèt Arſacidûm (2) ſit equis, ſit & arcubus, impar;
Victorem victus, Pacis ad æqua, trahit.
Pax melior Veneta Auſtriacis arma abſtrahit armis;
Solvit & Heſperiô caſtra Sabauda metu.
Fœderis, hos nectunt; alios ſed carceris arctant,
Vincla: galeritum (3) dum ſubit antra caput.
Interea, priſcis ardens Contentio rixis,
Arminidûm Batavas ſanguine pingit aquas.
Belgica præconum divortia, trans mare, pugnis
Aut trahit, aut ſequitur, Scotica Pertha ſuis;
Auſoniæ dum cunctam aræ, cathedræq;, vel umbram
Purîtæ, *antiquâ pellere ſede, ſtudent.*
O, ſcelus! Et Puram (4) *ſe factio nominat illa,*
Cuj fœtor, thus eſt; cuj Sacra munda, (5) fimus?
Sed, ridenda piis, ſoli ſibi noxia, diſcors
Tunc Scotos intrà lis, Batavóſque, ſtetit.
Inter ſeſe avidô miſcento, agè, vulnera dente,
(Stet modò caſta, mali neſcia, caula!) lupi.
Illa mala, illa nocens, rixa eſt; quæ, parca ſceleſti
Sanguinis, immeriti ſtrage cruoris ovat.
Rhætica Griſonicô talis ruit ira furore,
Dum premit Orcinô Romula colla jugô;
Sanguineúmque vibrans acies ſectaria ferrum,
Hos necat, hos urget proximitate necis:

Dum Patriam exiliis adimit, dum ſunere vitam;
Dum nervô (6) *elidit membra, dolore animam.*
Sunt ſcelerum iſtorum, Sondra *hic, ibi* Curia, *teſtes:*
Iſta, ſui expulſu Præſulis; Illa, nece.
Tu, temerè interea, nec ab ulla Numinis irâ,
Plurſiadûm credis, Griſo, ruiſſe juga?
Municipiisque ſoli tempe (7) *deleta; domósque,*
Marmore *quondam altas, altius eſſe* lutum?
Hunc vos, naturæ (rea gens), terræve trementis,
Auſi eſtis Motum *dicere?* Veſter *erat.*
Plurſia conciderat (8); *nox interceſſit: &, ecce!*
Gallica, Perroni *morte* (9), *Columna jacet!*
Borbonii (10) *fulcrum Sacrorum, Adriacq; diſerta*
Pauſa (11) *procellarum, temperiésque freti.*
Hoc rerum momentum ingens, per Celtica regna,
Obterere impreſſô eſt Atropos auſa pede?
Quem poſthac Prócerum reverebitur? Occidit ergò,
Occidit & magni Cæſaris alter Atlas:
Maximus *Auſtriaci modò nominis* Æmilianus
Scipio (12); *nunc leſsus, mœſta Tyroli, tuus.*
Hactenus hæc, quanquam atra, tamen mortalibus æqua
Legibus. IN *leges nulla querela valet.*
Illa autem (heu! quò me trepidum rapis, augur Apollo?
Pervagor inſuetô regna Bohema pede)
Illa Libuſsææ quid publica gentis, & urbis,
Tempeſtas, agili fulminis igne coquit?
Quis, mediô per aperta *die, pérque* abdita, *curſus?*
Arma forô, arma aulis, arma vagantur agris.
Quò, rapidis invectus equis (Fax prima furorum)
Turrius, *ac ſceleris conſcia Signa, volant?*
Jámque adeò urbs, arces, armamentaria, templa,
Summáque cum trifido Curia capta forô eſt.

Jam

Jam Sláwata, ac, Slavvatæ comitati robora mentis,
Borzîta in præceps, Fabritiúſque, ruunt.
Altus ab immenſo jactus! nullique, nec alis
Tentanda Icariis, Dædaleisque, via.
Aura tamen, ſinè clade, (manum ſubjecerat Æther)
Depoſuit placidô pondera chara ſolô:
Incolumique ſtetit lapſu tam celſa Ruina,
Cujus, vel Cubitos ſit, numerare, timor.
Ut ruerint impunè tamen, quos Cauſsa levabat;
Non impunè tamen, præcipitator, ages.
Tu SOCIOS, tu Sacra fugas, tu jura fidémque;
Jámque tribunitiô (13) cuncta furore novas:
Sed tibi, Turri, atrox incumbit, ab æthere læſo,
Nimbus; & ignivomis horrida grando pilis.
Jámque, piâ Cæſar cauſsâ, Bucquoyus armis,
Dampetriiique (14) ardor, fortibus inſtat equis.
A tribus his vincêre, Unus; licèt Herculis eſſes
In Tarteſſiaco Turris aquoſa ſinu.
Sed, claudi jam hæc, lector, aves; clamásq; Malorum
Jam ſatìs, ac monſtri nil supèr eſſe novi.
Falleris: ac falli, mutæ te verbere flammæ
Arguit, inſolitô crine Cometa minax.
Ille, ferô terrens brumoſa trilunia vultu,
Matutina, rubrùm lividus, aſtra fugat.
Hunc, ſibi falcatô inſtantem mucrone, notavit
Thracia; caudatô ſed plaga noſtra flagrô.
Sit (precor, ô,) quantò eſt clementius enſe flagellum,
Aráque Threjiciis Bætica præſtat haris,
Tantò vaticini moderantior ætheris ira
Auſoniis; tanto ſævior illa Scythis!

NOTÆ.

(1) *Primo-Vezirius militiæ Sultanicæ.* (2) *Parthorum : quorum haud minùs, ac Perſarum, rex tunc erat, Schach-Abas.* (3) *Galerô (ſed purpureô) paullò antè tectum : poſteàq; ſub Urbano VIII. denuò tegendum ; reſtitutô ei Cardinalatu. Sereno Samónico, poëtæ,* Galerîtus *adjectivum participiale eſt, ſcribenti,*

Mande galerítam volucrem — *id eſt, caſsitam, ſeu alaudam criſtatam. Clariùs autem, Propertio:*

Prima galeritus poſuit prætoria Lucmo. *Lib. 4. eleg. 1.* Galerîtus, *id eſt, galerô tectus, Lúcumo ; qui poſtea, nomine vetere depoſitô, pro Lucumóne, Luc: Tarquinium Priſcum, ſe dixit : & Romæ imperavit ; ut eſt apud Tit. Livium legere, lib. 1. V. C.* (4) Puritani *Calviniſtæ, in Britannia.* (5) *Malachiæ cap. 1. v. XI. de SS. Sacrificio Altaris vaticinium* : In omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo, Oblatio munda. *Hanc* Puritani, *cum cæteris Sacramentariis, proculcant.* (6) *Vinculô pedum, ac cervicis, carcerariô. aliis, &* numellæ *dicuntur.* (7) *Fuit ſanè* Plurſiæ *peramœnus antehac, nec Tempe Theſſalicis aſpernandus, in comparatione utriuſque, locus : ut*

ut infrà dicam. (8) *4. die Septembris Gregoriani,* (*Spondan.*) *25. verò Auguſti Juliani die,* (*Nicol. Bellus, lib. 2. pag. 64. à med. col. 2.*) (9) *Cardinalis enim Perronius, ut Appamianus ait in annum 1618. num. 13. obiit die Septembris Gregoriani* quinto. (10) *Hujus Perronii doctiſſimâ, contra Pleſſi-mornaeum Calviniſtam, concertatione auditâ, Henricum IV. Gall. regem, è gente Borbonia, validè tractum, ac firmatum in Orthodoxa doctrina, alibi dixi; & ſuperiùs in Proſa.* (11) *Quantum idem præſtiterit, eloquenti ſuâ prudentiâ, quietiſq; reducendæ turbidîs in rebus ſtudiô; novit annus iſtius ſaculi ſextus; experta, Roma Venetiæq;, ſunt: narrant Appamianus, Gramondus, Hartvvikus Ruthenus, & alii.* Pauſa *porrò, non ad interquietionem duntaxat, & ceſſationem, ſed etiam ad* modos, *ſive, quem* tactum *vocant, remigibus dari ſolitum, ſpectat. Unde, qui Modos illos dat,* Pauſarius *Senecæ appellatur.* Pauſa, *Lucilii eſt, ac T. Lucretii, Plautiq;, Latinorum; pro Ceſſatione, reſpiratione, fine, interquiete. quam & nos per Apocommata nunc quæramus.* (12) *Poſteriorem Africanum, dictum & Æ*milianum *fuiſſe, à Paulo Æmilio, verô patre; qui Majoris Africani filio eum conceſſit in adoptionem: res eſt, etiam olitoribus*

nota; & Antiquariis hiſtoriarum exoleta. (13) *Quali, & quantô, rem olim Romanam* tribuni plebis, *Gracchi, Fulvii, Sulpitii, Bæbii, Rulli, Curiones, Antonii, versârunt; ſuô juxtà, Reipublicæq; malô.* (14) *Tampierii Comitis, Henrici Duval. &c.*

Ad paginam 690.

METRUM.

CÆSAREI *auſpicium Juris, Romanaque Signa,*
Et ſacram Imperii dum reverentur Avem,
Horribili quamvis, Slavvates, ſociique, ſed omnis
Expertes lapſu cladis, ad ima ruunt.
Sesquipedum (1) *poſt dena quater ſpatia alta voluti,*
Saxoſô referunt corpora ſalva ſolô.
Quæ, Superi! hæc novitas? Creten Minôe regente,
Dædaleum haud tenuit filius ales iter: (2)
Et, ſceptrum mundi quatiente Nerone, Simoni
Haud impune, alas adſimulâſſe, fuit:
Tertius (3) *Auſonium premeret cùm* Flavius *orbem,*
Excidit Icarius Attica penna viis.
Ipſe adeò Phryx ille puer (4), *cuj fulminis-ales*
Vector viſus erat turre relapſus, obit.
Unde hos tam diſpar diſtinguit utrimque volatus?
Cur Ave *remigium hoc non fit ubique* bonâ?
Nempe, Illos Jovis Iliaci fiducia mendax,
Et Ganymedeæ fabula vexit avis.
Indè jacent. Noſtris igitur quia præſtitit Alam
Indemnem? Auſoniæ tuta fides Aquilæ.

Patro-

Patroni *plus hiſce tamen fiducia cœli*,
Contulit, (*ut lapſis* terra *faveret*,) *opis*:
Ante alios, Sláwatæ : *cujus cùm mite rebellis*
In præceps jamjam truderet ira caput,
Ex alto hic ſibi mille neces, certúmque paratum
Exitium, intuitus; Sidera ſumma vocat:
Atque ità, (*nec gemitu caruit ſuprema profundò*
Alea) *Cœlum, inquit, cœlicolásque, precor*;
Ante omnes, te Numen, &, *ô! te Numinis alma*,
Quæ Bojâ coleris relligione, Parens!
Si ſemper pro Jure ſteti, Rectòque, Fidéque,
Nunc quoque perfidiâ ne ſuperante cadam!
Dixit. & *unà actus, jactúsque, cadénsque, jacénsque*,
Surrexit, qualì conſtitit antè, pede:
Membra valens, animíque ingens, & *honoribus auctus*.
O, penetrabilium (5), *vis memoranda, precum!*
Unius, hem! jaculum gemitûs, ventô ocyùs, omnes
Supra axes, ſummi ſiſtitur arce Patris:
Scandendique novâ formâ, Deſcenſus *in* Aſtra *it*;
Ac venit ad ſummos ima Ruina *gradus!*

NOTÆ.

(1) Cubitus *geometricus & architectonicus, pedem geometrarum unum, ac dimidium pedis, adeóq;* Seſquipedem, *continet (ait è Vitruvio Petrus Henrichius, V. Cubitus, & Cubitum.) Quadraginta ergo præcipitii cubiti, 40. ſunt Seſquipedes.* (2) *Icarus alatus, viâ, à Dædalo patre præſcriptâ, exerrans; ut curru ſuô Phaëthon: quem non* tenuit. *Naſo metamorph.*

tamorph. 2. ſub finem fab. 1. (3) *Flavii Cæſares tres, ordine continuô, ante Nervam, imperârunt. Flav. Veſpaſianus, pater. Titus Flavius, ejus filius. Flav. Domitianus, Titi prioris frater: & ſævus.* (4) *Ganymedes, ab Aquila fulminigerâ creditus in ſublime raptus: hiſtoricè, è turri lapſus.* (5) *Activè ſumitur; ut in illo Virgil. Æneid. 10.* Aſpice, num telum magè ſit *penetrabile* noſtrum?

Ad paginam 731.

METRUM.

QUæ bona primævi regio numeraverit Horti,
  Quem divina Syrô panxit in orbe manus:
In quâsnam ætheriæ Paradiſus amabilis oræ
  Camporum, ac nemorum, nunc quoque vernet, opes;
Scire, nefas: citiùsque illic (Aurelius *inquit*)
  Quid deſit, quàm, quid ſuppetat, invenies. (1)
Tu quoque, Plurſiadûm ter amœna, Vinea, vallis,
  Alpeſtrique olim gens opulenta ſinu;
Hinc Bromiô, indè omnî Pomonæ munere ridens;
  Neſciéque, Alcinoi cedere, ceſpes, agris:
Piſcosô traluta Merâ, Campania parva,
  Ac, Pariô ductis marmore, culta tholis;
Quótque domos, tot pæne arces, tot fana, ſub auras
  Viſa, palatinis ſerre ſuperciliis.
Cuj cordi, Perſarum epulæ, Saliaria fercla,
  Fulvâque conflatô pleraque vaſa Tagô: (2)

Dice-

Dicere te Sybarin, Babylona, Crotona, Tarentum,
Nomina erant, meritis inferiora tuis.
Tu Tempe, *ac* Daphne, (3) & Saltus Salomonis, (4) & Hortus
Dicta Voluptatum; parvus Olympus *eras.*
At ſubitò (heu, fatum! nullique indulta virori
Indeflexa fides!) Rhætica Flora, *jaces!*
Dum te grande jugi, per prona volubile, dorſum,
Seu, tacitô ſidens obruit amne, ſolum.
Obruta, punctô horæ, ſaxis, barathrôque, vadôque,
Æternæ injectu molis operta, lates.
Jámque, ſuperſtagnante undâ, pelagôque paluſtrî,
Nil patet: ac tota eſt Plurſia, *quod* nebula.
O, cœlum! *ô*, Paradiſe *miſer! de quo, ordine versô,*
Quod nunc Es, citiùs dixero, quàm, quod Eras.
Heſternâ qui luce, novô cum Sole, viator,
Aut, mediô Phœbi ſidere, carpſit iter;
Faucibus Alpinis, & Clavennate retrusô
Poſt tergum anfractu, ſe, comitémque, ſtitit:
Plurſiacaq; procùl turrita palatia Vallis
Dum notat, audaci quælibet ore rogans;
Quis locus hic? (dixit,) quo nomine, fertilis ora hæc?
Quæ templa? & quorum? quo dominante, domus?
Cujus opum, tecta hæc? viridaria, vinea, fundi?
Cujus opus, fabrica hæc? marmora, ſigna, fores?
Pluráque, vel Delphos delaſſatura, rogator
Quæſiit. Interea nox *ruit, atque* locus.
Manè novum emicuit; ſed non heſterna micabant
Culmina. quod Titan pingeret, unda mera eſt.
Nota viatóres hodie per rura meantes,
Invia, pro ſueto confraga calle, terunt.

Néve

Neve ſupervacuô comitem comes ore fatiget,
Tota trium eſt vocum quæſtio; PLURSIS, UBI EST?

NOTÆ.

(1) *S. Aurelius Auguſtinus, de ſymbolo, lib. 3.* Faciliùs poſſumus dicere, In illa vita æternâ, Quid ibi non ſit, quàm, quid ibi ſit? Non eſt ibi mors, non eſt ibi luctus, non eſt ibi laſſitudo, non eſt infirmitas, non eſt fames, nulla ſitis, nullus æſtus, *&c.* (2) *Hiſpaniæ fluviô*, aurifluô: *cujus aurea ramenta fornaculæ aurificum ignita redigunt, & conflant, in maſſas, ac bracteas.* (3) *Laurigerum illud ad Antiochiam nemus, in Syria.* (4) *Domus*, Saltus-Libani *dicta, amœniſſimi nemoris: opus Salomonis regis. de quo opere, vide Adrichomii Jeroſolymam. num. 42.*

[library stamp]

IN-

INDEX
Rerum memorabiliorum
SEPTENNII III.
Uſq; ad Annum 1618. incluſ.

A.

ABſcondita ſcelera, mirabiliter protrahuntur in lucem. paginâ 341. uſque ad pag. 345. incluſivè.

Achmetes, Turcarum imperator; valde laborat, cum Chriſtianis fœdere ſociari. pag. 46. eóq; ſtabilì. *ibid.* & cur de hoc laboraret. pag. 47. & p. 274. Infeſtatur à diverſis, & undique. pag. 46. fin. & 47. Damnîs afficitur terrâ marîque pag. 252. & 253. Venetis offert auxilia, contra Styros. pag. 268. Bovi, ſeu tauro, vittato comparatur. p. 275. fin. & 276. per totum ferè. & rurſus pag. 278. & 279. Chriſtianos (præſertim Religioſos,) merîs, ac falsîs, è ſuſpicionibus exagitat. pag. 290. ídque, etiam uſque ad mortem, & ejectionem. pag. 291. Moritur. pag. 380. & 381. Cauſsæ, mortem illius maturantes. pag. 380. & 381. Ejus ſucceſsor in imperio. p. 381. & cur frater potiùs, quàm filius? *ibid.* Oſmánes filius, quid de Achmetæ patris Alterâ vitâ ſenſerit? p. 390. & 391. *incluſivè.*

Æquimelium, quid, & ubi? pag. 375. fin. & pag. 376.

Abla, urbecula. p. 109. & p. 110.

Ambarvalia, quid? pag. 119. fin. & pag. 120. princip.

Ancræi Marchionis ædes Pariſiîs, expugnatæ, ac direptæ. & quare? pag. 248. & 249. & 250. & 251. interim cauſsa expugnationis genuina erat alia, quàm, quæ præferebatur. p. 251. & 252.

Ancræi genus. pag. 273. Ejus, & uxoris Galigayæ, tragœdia mortis luctuoſa. à pag. 453. ad fin. uſque ad pag. 483. Ancræum Vitryus, cum ſuis militibus, aggreditur. pag. 456. quorum armîs occumbit Ancræus. p. 457. Turbatum indè foris, & intus in arce regia. pag. 457. & 458. à Regina verò Medicæa, quàm maximè. pag. 458. & 459. E morte Ancræi, publicum gaudium. p. 459. & 460. Ab obitu, & ſepulturâ, fœdè cum Ancræo agitur. pag. 460. & 461. uſq; ad 464. *incluſ.* & infrà, p. 758. fin. & 759. princ.

De *Ancræi* uxore, Galigaya, vide inferiùs, V. *Galigaya*. Uterq; Conjugum, in vita habiti crudeles, & inſolentes. pag. 488. & 489.

Ancræi defenſores, poſt ejus mortem, incurrunt mortem. p. 557. non ſinè procuratoris ſupplicii invidiâ. *ibid.*

Anna Imperatrix, Matthiæ conjux, obit. p. 560. Ejus laus, ac ſtirps. p. 560. & 561.

Appamianus, ſcriptor, notatus in Pluſio, & Pragâ. pag. 730. & alibi.

Aquileja, urbs. pag. 206.

Aquisgranenſium ſeditio, coërcita: & punita. pag. 368. & 369.

Auſtriacæ Domûs, à Ferdinando I. Cæſare, uſque ad Ferdinandum II. genealogia. p. 511. uſque ad 515.

Auſtriæ Super-Anaſsinæ, rebellis inſolentia, & obſtinatio, adversùs Matthiam Imperatorem, &c. pag. 648. & 649. maximè verò ruſticorum. pag. 650. princ.

B.

Babylonius, Patriarcha Chriſtianus, V. inferiùs, *Elias*.

Baliſtarum, in caſtris, & obſidione, director: prevaricatus, ſub Duce Sabaudiæ. p. 122. & 123. ejus, in urbe Aſtenſi, ſupplicium. pag. 124. & 125.

Barclajus (Joannes). Vide infrà, *Joannes* Barclajus.

Barradius. Vide, *Sebaſtianus*.

Behemoth, quid? p. 326.

Benearnium, ſeu Bearnia regio, ad Eccleſiam redúci cœpta. à pag. 420. uſque ad 453. *incluſ*. depravata olim, à Gabriele, Comite Montgomerio. pag. 422. & pag. 426. adjuvante Joanna, reginâ Navarræ. pag. 425. fin. & pag. 426. princip. poſteris autem annîs, etiam Jacobo Forçæo Marchione, Bearniæ Prorege. pag. 427. In Bearnia, Proceſſio, ac pompa ducta Eucharistica. pag. 450. & 451. & 452.

Berlinenſium, in Marchia Brandenburgica, tumultus, uſq; ad cruorem. à pag. 133. uſq; ad 158.

Berlini urbis, deſcriptio. pag. 139. & 140. & 141. Ejus clades. p. 142. etiam prædici viſa, à ſpectro. pag. 143. Miniſtri-Verbi, Lutherani & Calviniani, pugnare inter ſe è roſtris ordiuntur.

tur. à pag. 150. Calviniani contra ſe cõcitant arma Lutheranorum. à pag. 152. Pugnatur. pag. 155. & 156. & 157. fugantúrque Calviniani Paſtores. pag. 158. & pag. 165. Berlini urbis, vocabulum. unde? pag. 161.

Bes, quid notet. p. 110.

BOHEMICÆ, ſub Matthia Cęſare, contra Ferdinandũ quoque, Rebellionis principia. à pag. 565. fin. & ſeqq. Illius ſemen, fuit etiã fœdus Correſpondentiũ in Germania. pag. 566. & 572. Sub Bohemiæ Rebellantis vocabulô, quænam Bohemia intelligatur. pag. 570. &c. nempe Utraquiſtæ. qui & Sub-Utraquiſtæ dicti. pag. 571.

Bohemi Utraquiſtæ templa nova deſiderant; & alias quaſdam immunitates. pag. 572. & pag. 573. Ad talia impetranda, abutuntur temporibus Rudolphi duris. pag. 572. quibus *Litteras-Majeſtatis* extorquẽt. pag. 573. Earum verò facultates conceſſas, nimis latè pro ſe interpretantur. p. 574. & 575. idq; & in ſuam rem, pariter; &, tanquam Regum quoq; bonô. p. 575. per totum. & p. 576. & p. 658. & 659.

Bohemi Utraquiſtæ, moliri templa ſectaria incipiunt: & in alieno exſtruere, Brunovienſes, & Cloſtergrabienſes. pag. 577. Quęnam fuerint horum oppida. p. 577. Structurâ cœptâ, abſiſtunt Cloſtergrabienſes. pag. 578. In cœpto verò perſeverant Brunovienſes. *ibid*. & pag. 579. De horum, adversùs Cæſarem Matthiam inſolen-

Digitized by Google

ſolentiâ induratâ, agitur à pag. deinceps 577. uſq; ad 587. *incluſ.* Hi Brunovienſes, belli Bohemici prima ſulphurata facti ſunt. pag. 578. A Cęſare Matthia tandem coërciti; & includi juſſi ſunt. pag. 587.

Bohemi Utraquiſtæ, ſpirare jam antehac rebellionem deprehenſi ſatis. pag. 588. fin. & 589. Abſente demū Matthiâ Cæſare, conjurationem augent. p. 590. fin. & 591. incitatore Turriano Comite, ſeniore. *ibid.* Conventum rurſus, Sectariorum indicunt. pag. 591. eúmque, ſeditioni acuendæ, celebrant. pag. 597. & 598. Seditioſi, in arcem Ratſchini conglobantur. p. 598. in tabularium arcis ſupremum irruunt. p. 599. Ibi poſtulant à Proceribus Cæſareis, incongrua; & incongruo more modôq;. p. 600. renuentes eis acquieſcere tres Proceres, Cæſari fidos, de feneſtris ex alto præcipitant, pag. 601. & 602. & 603. illæſos autem à caſu, conantur Conjurati aliter interficere. p. 604.

Bohemi Conjurati, poſt peractam Optimatium præcipitationem, in anguſtiis ſunt. p. 605. propter ingentem indè Pragâ totâ tumultum exortum. *ibid.* & pag. 606. Turrianus Comes, ſenior, conatur compeſcere tumultum. pag. 606. & 607. idque facti atrocis defenſione falsâ. p. 607. & 608. Ea Turriani falſitas, & ſociorum ejus, demonſtratur. pag. 609. 610.

Bohemici Regni, impulſore Turriano Comite,

Digitized by Google

mite, Seniore, mutatio, diſturbatio, triginta Directorum ſeditioſa creatio. à p. 615. & 616. ac ſeqq. Ii Directores, omnia in Bohemia verſant, ac reverſant, à pag. 616. & 617. uſq; 620.

Bohemi Conjurati, contra Matthiam Imperatorem arma ſumunt. p. 631. A Correſpondentibus quibuſdam Germaniæ, in cœpto confirmantur. pag. 634. & 635. Bohemorum rebellium Obſtinatio, adversùs plurimorum Principum (qui nominantur) ſerias dehortationes. pag. 650. & 651. aliquid item hujus, generatim, p. 666. princip.

Brunovienſes Bohemi, tumultuantes templi acatholici cauſsâ. à pag. 577. ob pertinaciam, denique in vincula rapti. pag. 586. Vide & ſuprà, V. *Bohemicæ rebellionis* &c. A rebellibus, carcere liberantur. p. 617.

Bucquojus, Comes; pro Cæſare Matthia, contra Bohemos rebelles, fortiter rem gerit. p. 639. & 640. & 641. & 644.

C.

CÆSARI reddenda, quæ Cæſaris. pag. 14. Prætereuntes hoc mandatum, variis ſe malis involverunt. p. 15. etiam noſtro ævô. *ibid.*

Calvinianorum Conventus Lodunenſis, in Gallia, numeroſus. pag. 429. & pag. 430. In iis, Leſcunus, ſectarius improbus. p. 430. & 431. Calvinianorum, eô conventu, poſtulata, à Rege, audacula. pag. 433. Eorundem, adversùs Societatem, querelæ criminoſæ. pag. 449.

Carbátinæ, quid? p. 689.

Digitized by Google

Carolus Emmanuel, Sabaudiæ Dux, incipit adjicere animum, ad Pacem, in cauſsa Montis-ferratenſi. p. 48. & 49. offenſus præſertim etiam tarditate Naſsaviana, in adductione conductionéq; militum. p. 49. & 50. & p. 111. & 112. Ejus milites, in expugnatione oppidi Sancti Feliciani, crudeliſſimi. p. 497. & quorúmnam potiſſimùm culpâ. pag. 501. & pag. 502.

Catharina Virgo, & martyr, Alexandrina. p. 334. Alia *Catharina*, regina Gurzianorum. pag. 545. & 546. & longè infrà, pag. 765. & 766. pro Chriſto, interfecta. *ibid.*

Catholicum nomen, in magna invidiâ; quorundam malitiâ Proteſtantiũ. p. 44. & 45.

Cerevisia præſtantiſſima, cujus gentis, & loci. pag. 756.

CHRISTI JESU, Sapientia immenſa. p. 9. in ſermone quoque, & reſponſis, elucens. pag. 10. & 11. & 12. & 13. & 14.

Clavenna, oppidum Griſonicum: propter Plurſium obrutum, in periculo, metúq; magno. pag. 714. &c.

Cleſelii Cardinalis laus. pag. 551. Ejus Captivitas, occaſio fit calumniarum magnis Principibus. pag. 551. & 653. & 654.

Colchica Patrum Societ. JESU Miſſio, ſeu expeditio. pag. 126. uſque 133. Colchicæ Antiquitates, interſperſæ. pag. 128. & 130. & 132.

Comes Slavvata (ſeu Slábata) Guilielmus. Vide, *Slávvata* Comes.

Comes de Turre, ſenior. V. *Turrianus* Comes, Sen.

Cometes, anni 1618. dirus. à pag. 562. ad pag. 565. *incluſ.* Ma-

lorum diutinorũ vates veridicus repertus. pag. 564. diverſis diverſimodè apparens. pag. 562. & 563. &c. Quando primùm conſpici cœperit. pag. 564. & pag. 565. Cometa ſibimet ipſi fuit Bohemia. pag. 652.

Condæanam ob captivitatem, tumultuatum in Gallia, à Principibus. pag. 247. & 248. A plebe quoq;, è falſiſſimo rumore. pag. 248. Condæus Dux (Henricus) in Baſtiliam, quam ob cauſsam ductus crederetur. pag. 277.

Cónſalvi Sylveriæ, Soc. JESU, corpus abjectum à morte; prodigioſiſſimè divinitus honoratum. pag 335. & 336. &c. item, pag. 340.

Contonius mons. Vide, *Plurſium.*

Correſpondentium, in Germania, tactio; audax, & refractaria. p. 25. inquieta, turbulenta, minax. pag. 26. Ferdinando Archiduci Styriæ. &c. cur minùs amici eſsēt Correſpondentes. p. 27. à quo & ipſi, vice verſâ, minùs indulgenter tractati in Comitiis Imperii. p. 27. & 28. Concilia ſua, à Comitiis Imperial. aliò, atque aliò, vagè transferunt, & retransferunt. p. 28. & 29. & 34. & 35. fœderi ſuo Caput legentes peculiare. p. 28. & 29. Eorum, ad Cæſarem, legatio imperioſa. pag. 29. & poſtulata imperioſiora. pag. 31. & 32. contrà Pontificem maximè, & Eccleſiaſticos. pag. 32. & 44. Præluſa tamen ea poſtulata jam olim erant, à tempore Caroli V. pag. 33. & 34. Correſpondentiũ, quinam Principes,

cipes, in Comitiis Norimberg. nomina ſua profeſſi. pag. 37. Quænam urbes, præter Principes, miſerint eò legatos ſuos. pag. 37. fin. & 38. Legatorum, in iiſdem Comitiis, nomina. à pag. 38. uſque ad pag. 42. *incluſ.* Qui præterea Externorum legati Comitiis iiſdem interfuerint. pag. 43. Correſpondentium Principum præcipuorum Nomina (etiam extra Comitia ſua,) pag. 569.

Cubitus geometricus. paginâ 773.

D.

De-Dominis (Marc. Anton.) apoſtata. V. *Marcus Antonius.*

Delphtenſium mulierum, adversùs magiſtratum, ſeditio. à pag. 370. uſque 373. *incluſ.* & fuſiore hypotypoſi, ad normam hiſtoricam, pag. 744. uſq; ad pag. 747. *incluſivè.* Maximè verò paginâ citatâ 744. & 745. & 746. & 747.

Delphtenſe Incendium atrox. pag. 374. Delphta, undénam dicta? pag. 377.

Dies Faſti. pag. 753.

Directores Triginta factionis rebellium Pragæ. p. 616. Seipſos, ſuper omne regnum Bohemicum extollentes, omne regnum variè ſubruunt, & turbant. à pag. 616. uſque 620. & ultrà paſſim: uſq; ad pag. 652. *incluſ.* Religioſos Societatis JESU, totâ Bohemiâ ejiciunt. pag. 619. & pag. 620. Alios quoque, tam Sacratos, quàm Laicos, è Catholicis proſcribunt, ac vexant. p. 622. & 623. quorū præcipui nominantur. pag. 622. Cur in Paulum Michnam, & quibúsnam

Decretîs, Directores ſævierint. pag. 623. & 624. ſibimetipſis tamen in hoc contrarii. pag. 624. & pag. 672.

E.

Ebria, abſorbens Sitientem. quódnam, & cujus interpretationis, proverbium? paginâ 725.

Elias, patriarcha Babylonius, Eccleſiæ Romanæ ſe, ſuósq;, reſtituit, ac ſubdit. p. 288. & 289.

Emanſor in bello, quis propriè dicatur. p. 271.

F.

Fabarienſibus è thermis, Plurſium properans, quô eventu? p. 706. & 707.

Fabii, *de Fabiis*. Soc. J. laus, & obitus, inexſpectatô è caſu. pag. 58. & 59. Inſignis, cum modeſtia ſingulari, patientia. p. 113.

FERDINANDUS, Archidux Carinthiæ & Styriæ. &c. cur, in Comitiis Imperii, & alibi, Correſpondentibus minùs gratus. pag. 27. & 28. Adoptatur à Matthia Imperatore, in filium. pag. 520. Ab eodẽ, Bohemis proponitur in Regem. à pag. 522. uſque ad pag. 526. Eligitur reipſa Rex Bohemiæ. pag. 527. uſque ad pag. 529. & coronatur. p. 530. & p. 762. quâsnam in Conditiones ſervandas, ſeſe Ferdinandus demiſerit? pag. 540. à med. injuſtè proinde infamatus, ab Extero ſcriptore. p. 540. fin. & 541. princ.

Fettmilchiana Conjuratio, ad ſupplicium producta, Francofurti. à pag. 348. uſque ad p. 368. *incluſ.* In Tresviros conjurationis Fettmilchianæ, Edictum,

ctum, & Sententia capitalis, recitata. à pag. 357. uſque 360. *incluſivè*. Eorum unius preces ſupremæ, pro vita retinenda, exploſæ. p. 361. Ipſum ſupplicium, quonam ordine peractum. p. 362. & 363. & 364. ac ſeqq. Fettmilchiana domus exciſa. p. 363. Carnificis gloriatio. p. 367. & 368.

Ficus decerpens vir pauper, infauſtè. p. 257.

Fœdus Correſpondentium. p. 569.

Fœdus Catholicorum Principum, contra molitiones Correſpondentium. p. 566. & quorúmnam Principum, nominatim. pag. 567. & 568. Ad quémnam eorum, fœderis ſumma delata. p. 568. poſt med.

Foro-Julium, urbs. p. 204. fin. & ſequente.

Foro-Julienſis regio, deſcripta, à p. 202. uſq; 204. *incluſivè*. Regionis Foro-julienſis, urbes præſigniores. à p. 205. ut, v. g. Utinum. p. 205. Aquileja, ſeu Aquilegia. p. 206. Nova Palma. pag. 207. & 208. alia oppida, atque loca. p. 209. & 210. quæ *Venetiarum* in ditione ſunt.

Quæ verò in ditione tunc *Auſtriacorum*. à p. 210. &c. In iis, urbs Goritia. p. 211. & Goritia Comitatus. pag. 212.

G.

Galigaya, uxor Ancræi. p. 464. poſt cædem mariti, variè vexatur. à p. 464. uſque ad 483. *incluſ.* In vinculis, generosè ſe gerit, ac defendit. à p. 466. uſque ad 475. generoſiùs autem, in Morte. à pag. 477. uſque ad pag. 483. quam ea conſtantiā

pæne denigrâſset mendaciô officiosô: niſi mox recantâſset: p. 476. & p. 477.
Gallicanæ turbæ. Vide ſuprà, *Condæorum* &c.
In *Gallia* Occidentali, turbæ Vivarienſes, & Privatianæ. à pag. 434. &, Quánam occaſione Privatianæ turbæ ſint exortæ. p. 434. ad fin. & p. 435. & p. 436. & 437. ubi Vidua, ſecunda ad vota tranſiens, multùm ad turbas contulit, à p. 434. uſque ad 437.
Gradiſca, oppidum, Iſtrici belli ſedes, ex parte Auſtriacorum. p. 197. tenetur à Trautmansdorffio *ibid.* Ejus loci deſcriptio. p. 197. & 198. & 264. & 265. Ad Gradiſcam univerſus Venetorum venit exercitus. p. 199. eámq; vehementer oppugnat. p. 199. ſed ſtrenuè ſeſe defenſantem. p. 200. Acriùs verò multò incurritur. p. 213. ſed & acriùs defenditur. p. 214. quantô, in Germanis, animorum ardore? pag. 215. & 216. & 217.

H.

Henricus Matthæus, ſenior, Comes à Turre. Vide infrà, *Turrianus*, *Comes*.
Hiatu tantummodo loquentes. p. 742.
Hiſpanienſes, qui? p. 531.
Hiſtoria, teſtimoniîs firmanda. pag. 667. & in loco, cúmq; pondere, proferendæ res, certò geſtæ. *ibid.*
Hollandorum, in rebus Religionis, grandia diſſidia. à pag. 393. uſque ad pag. 405. *incluſ.* quibus rex Britanniæ, Jacobus, ſe medium interpoſiturus, ab Arminianis deſpectui habetur. p. 403 præſertim in legato ſuo. *ibid.* & pag. 404.

404. Contentionis illius primarii duces. pag. 393. ad fin. Arminianorum Articuli, valde atheologici. p. 395. Venitur, ob hos, nonnunquam ad manus, & pugnam. pag. 396. & 397. & 398. & 399. Recrudeſcit pugna. p. 400. & 401.

Quinam motuum Arminianorum præcipui ſint habiti, inter profanos quoq;, agitatores. pag. 402. & 403. Venetis, Iſtrico bello, cur parùm profuerint Hollandi. p. 504. & 505.

Hortus-diaboli, quis locus dictus? pag. 169. loca, eum circumſtantia, etiam ſuis vel ſolis vocabulîs, horrida. pag. 170. de accolarum moribus. p. 171.

I.

Jacobus, Britanniæ rex, in ſuo legato deſpectus ab Arminianis. pag. 403. & 404. idque libellô etiam Satyrico. pag. 417.

Jacobus, Marchio Forcæus, Bearniæ prorex; acer Calviniſta, virque ſubdolus. pag. 427. & 428. & 429. doloſè cum Rege loquens, & agens; deſpicitur. p. 442. & p. 443.

Jägerndorffius Marchio, (Joann. Georgius). Sileſiaci militis, contra Cæſarem Matthiam, ductor. pag. 644. à quónam ad id inductus? pag. eád. & ſeq.

Iconoclaſmus. p. 116. Super eo, ſeu faciendo, ſeu prætermittendo, variant Lutheri, Calvini, cæterorúmq; ſectariorum, ſententiæ. à p. 133. uſque ad 137. *incluſ.* Iconoclaſmus Berlinenſis. pag. 144. uſq; ad 146. *incluſ.*

Iconum piarum tutelam in ſe recipit Electrix

Brandenburgica, Anna. à pag. 147. &c.
Infanticidium crudele: ejúsque pœna, divinitus procurata. à p. 341. uſque ad p. 345. *incluſ.*
Joanna, Navarræ regina, in Benearniam invehit Calviniſmũ. pag. 425. fin. & 426. per totum.
Joannes Barclajus, ex Anglia ſe Romam, cum ſuis, confert. p. 303. Ejus, de Marc. Antonii De-Dominis ſpe, apud Anglos, judicium. *ibid.*
Joannes Georgius, Elector Saxo; Correſpondentium, nec fœderi nomen, nec in ſimulationibus aures, dat. pag. 43. & 111. Cæſarem Matthiam, & Ferdinandum, Bohemiæ regem Electum. &c. ſumptuoſiſſimè excipit. pag. 406. Vide infrà, & *Jubilæum.*
Joannes, cognomentò Humilis, aſcéta: à morte clarus. p. 339.
Joannes Ogilbæus. Vide, *Ogilbæus.*
Joannes Medices, in bello Iſtrico ſuccedit Pompejo Juſtiniano, Venetorum ductori. & quanti? pag. 227. In caſtra Venetorum venit. pag. 230. & agere incipit, haud inſtrenuè. pag. 231. & 232.
Joannes Sigiſmundus, Elector Brandenburgicus: Reformationis Calvinianæ &c. invector. pag. 144. & 145. & 146.
Jorámus, martyr Japonius. pag. 333.
Iſtriæ deſcriptio. à pag. 175. med. Ejuſdem menſura geometrica. p. 253. & ſeq. Iſtriæ loca, & oppida. pag. 179. & 180. ac præſertim, celebriora. à pag. 181. uſq; ad 185. Iſtriæ, diviſum dominium, ac poſſeſſio. pag. 185. Quæ

Vene-

Venetorum ſint. pag. 185. & 186. Quæ verò Auſtriacorum Archiducum. pag. 186.
Iſtria, & Iſtri, diverſè, à diverſis ſcribuntur, ac pronuntiantur. p. 254. & 256. Diſtinguitur à Japydia. *ibid.* poſt med. Iſtrorum veterum rex, à Romanis captus. quo ſtatu mentis? pag. 256. & 257.
Iſtrici belli, inter Venetos, & Auſtriacos, enarratio fuſa. à pag. 167. uſque ad p. 235. Iſtricū bellum à Venetis decernitur. à p. 195. Ejus ductor ſupremus, Pompejus Juſtinianus. p. 195. & 276. Ex parte verò Auſtriacorum, belli adminiſter ſummus, Trautmansdorffius. p. 196. Qui ſe Gradiſcam, cum copiis ſuis, confert. p. 197.
Inter Venetos Auſtriacósque, tentata Pax; ſed fruſtrà. p. 201, & 202. Pugnæ utrimque acres, & crebræ. à p. 222. & 225. *incluſ.* in quibus Pompejus Juſtinianus cadit. p. 226. Ei ſuccedit Joannes Medices. pag. 227. & 230. In caſtra Iſtrica Auſtriacorum, venit Comes Tampierius. p. 227. Germani bibacitate ſuâ fortunam bellicam corrumpunt; uno in loco. à pag. 232. fin. ad p. 235.
Iſtricum bellum incipit in Pacem inclinare. p. 507. & quibúsnam viris claris Pacis conflatoribus? *ibid.* & p. 508. in quas item leges? pag. 508. & 509. & 510. *incluſ.* Ejus Pacis plena concluſio. p. 550. quibúsnam potiſſimùm Pacis interpretibus? p. 550. & 551.
Itinera aëria (ſecluſîs miraculîs) periculoſa. à p. 679. uſque ad pag. 682. *incluſ.*

Jubilæum Proteſtantium. à pag. 405. uſque ad 516. item pag. 755. Illius celebrandi Decretum, ab Electore Saxoniæ cónditum, ac circummiſsum. p. 408. uſque ad 410. *incluſ.* Et, quid Elector hic, ab Academiis, ad opus illud exigeret? p. 410. & 411. Præconum Lutherani Verbi D. Epiſtola, de Jubilæo, encyclica. à pag. 412. uſque ad p. 415. eáque, cum amara infectatione Catholici nominis, ac dogmatis. pag. 414. & 415. Illius encyclicæ auctores, primarii Prędicantes: qui nominantur. p. 415.

Judæi, Vormatiæ exagitati tragicè, tumultúque dirô. à pag. 62. uſque ad p. 92. Ii ſanè, propter uſurarum impudentiam, intolerabiles illic. pag. 65. Eorum miſerabilis emigratio. pag. 75. & 79. Synagogæ eorum, domuum, ſepulcrorum, vaſtatio. p. 80 & 81. Eorum, ob Synagogam exciſam, luctus mirus. p. 91.

Judæus Pragenſis. V. infrà, *Samuel*.

L.

Lauretana (ſicut poſtea dicta eſt) B. Virg. domus. p. 180. & 259.

Leo Venetus, in Inſignibus. p. 763.

S. Ludovicus IX. Galliæ rex. p. 446. & 447.

Ludovicus XIII. Galliæ rex, ducit Annam Mauritiam, Hiſpani regis filiam, pag. 50. ſponſámque magnificentiſſimè excipit. p. 51. idque ſuorum quibusdam invitis. *ibid.* Bearniam regionem incipit ad Eccleſiam reducere. à p. 421. uſque ad pag. 453. *incluſ.* Movet in Bearniam, ipſe per ſe. p. 440. ac Præſentia

tiâ ſuî terret rebelles. pag. 442. & 443. & 444. Forcæi blanda, ſed interim minacia, verba contemnit. p. 442. & 443. In Bearnia, pompam ducit Euchariſticam. p. 450. & 451. & 452. incluſ. Concione ſuperadjectâ, præclarâ. pag. 452.

Luſus teſſerarum inter duos, utri eorum moriendum. à p. 341. uſque ad 345. *incluſ.*

Lutheri, de Iconibus ſacris Templorum, ſenſus varians. à p. 158. uſque ad 160. *incluſ.* Vide quoque p. 133. uſque ad 137. Ejus theſes, adversùs Indulgentias Pontificias. pag. 419. Ejuſdem epiſtola, ad Ducem Sabaudiæ, Carolum. à pag. 533. uſque ad pag. 536. quónam impulſore ſcripta. p. 534. princ. & 536. ad med.

Luxus veſtium, & utenſilium. &c. nimius; in Gallia coërcitus. pag. 55.

M.

Mansfeldius (Erneſtus) nothus: Bohemis tumultuantibus ſubſidio mittitur, à Germanis. p. 635 Quid hominis fuerit, & quo ortu? *ibid.* Pragæ, à Directorio, præficitur baliſtis caſtrenſibus. pag. 635. fin. & 636. id verò, cujúsnam rei metu. p. 636. & 637. Contra Pilſnam urbem, à Directoribus mittitur. pag. 637. qui rerum ſuarum ibi ſatagit. p. 638. De eo pluſcula, ac de morte quoque, pag. 674. quæ vide. déq; ſceleribus illius generatim. pag. 674. fin. & 675. uſq; poſt med.

Marcus Antonius, De *Dominis*. pag. 292. Ab Eccleſia deficit. pag. 283. Ejus malè geſtorum

ſtorum ſeries percurritur. à pag. 292. uſq; ad pag. 304. *incluſ.* Olim Societatem JESU ingreſsus. pag. 294. &c. ob ambitionem tamen ejectus. pag. 296. Epiſcopus, ac mox etiam Archiepiſcopus fit. pag. 296. Lite offenſus forenſi, in qua ſuccubuerat, fugit ad Sectarios. p. 297. ſtultè, & ex ſuperbia. p. 298. Ambit fieri Hæreſiarcha, & nominari. p. 299. & in Angliam tandem fugit. p. 301. ubi Eccleſiam oppugnat Scriptîs. *ibid.* ſed incaſsum: & ob id inſuper anathemate percuſsus. pag. 302. fruſtra multa trans mare ſperans. p. 303. convenienter vaticinio Joannis Barclaji, de eo. pag. 303. Angliâ itaque deſertâ, ſe recipit in Belgiû. pag. 304. Ejus Hæreſeos, vocabulum Germanicum. p. 306.

Margaritæ Valeſiæ, regiæ filiæ. &c. laudes. p. 54. & p. 112. fin. rurſúsque de ea, p. 120. & 121.

Martinizii Comitis, illæſus & caſus, & corporis vita ab ictu. pag. 604. & 605. Ejuſdem, cum gloria, repetita mentio. p. 614. & p. 615.

Matthias Hohe, Verbi-Miniſter Luth. Pragam reviſens. p. 61. Quánam occaſione. pag. 60. concionatur. pag. 61. & 62.

Matthias Imperator, adoptare ſibi cogitat Ferdinandum, Archiducem Styriæ: & cur? p. 515. & 516. Quibúsnam rationibus id approbârit fratribus ſuis. à pag. 516. &c. uſq; ad 520. Comitia totius Bohemiæ indicit, Pragæ coitura. pag. 521. in iis proponit Bohemi-

hemicis Statibus Electionem Ferdinandi Archiducis in Regem. p. 522. & 523. idq; Scriptô quoque. pag. 523. & 524. unà cum Conditionibus, in quas Electus deſcenſurus foret. pag. 524. & 525. & 526. Eam Matthias Electionem perficit, ad votum ſuum. p. 526. &c.

Matthias Imper: iniquitatem Directorum Bohemicæ rebellionis, Orbi proponit libello exegeticô. à p. 624. uſque ad 628. Bohemicæ rebellioni obſtinatè immanentes, proſcribit. pag. 629. & contra Regni turbatores delectum, arma, caſtra, facit. à pag. 630. & 631. & ſeqq. ductoribus militiæ Tampierio, Bucquoyo &c. pag. 630. & 631.

Mauritii Saxonis Electoris audacia, in poſtulatis abſonis. pag. 33. & 34. & pag. 109. non tamen impunè lata. pag. 109.

Maximiliani, *Archiducis* Tyrolenſis, obitus: ac modeſtiæ laus. pag. 559. & 560.

Mexicum, & *Mechoacan*, regiones Novæ Hiſpaniæ. p. 310. Utriusque regionum illarum, bona terræ, maláque morum. à pag. 310. uſque 313. *incluſ.* Cacodæmonis, apud Mexicanos, & Mechoacanos, antiquitus intolerabilis dominatus. p. 311. & p. 312. & 313. Templa illi, apud eos erecta. *ibid.* in quibus & Vitzilipuztli. *ibid.* & p. 312. In populis illis, ad Chriſtum adducendis, labor ingens. p. 314. & 315. & 316. Operariis illis Evangelicis, ſe Sathanas opponit acerrimè: miniſterio venefici cujuspiam. à pag.

à pag. 316. *incluſ.* uſque ad p. 323. & uſque ad illorum Chriſti præconum cædem. p. 324. & 325. & pag. 739. & 740. & 741. De Venefico illo, aliquid etiam pag. 327.

Michna. Vide infrà. V. *Paulus* Michna.

Montgomerius Comes (Gabriel) depravator regionis Bearniæ. p. 422. quid hominis? *ibid.* & infrà, p. 483. & 484.

Montis-ferrati lis armata; partibus paullatim oneroſa. p. 48. etiam Duci Sabaudiæ. pag. 49. Vide & ſupra, V. *Carolus Emmanuel.* Bellum Montis-ferratenſe, inter Sabaudicos & Hiſpanienſes, recaleſcit. p. 235. & ſeqq. uſque ad pag. 242. *incluſ.* maximè, prælið ad Lucedam. p. 239. uſque ad fin. paginæ 242. damnô Sabaudicorum, haud exiguô. p. 242. Neque tamen hi Pacem adhuc admittunt. p. 243. & pag. 244. Sequenti verò annô, graviùs in Hiſpanos inſurgunt: & hi, in illos. à p. 495. uſque ad p. 502. *incluſ.* Ad pacem tandem reſpicere incipiunt: præeuntibus Hiſpanicîs. à p. 502. & præviîs Induciîs, ſub certis conditionibus. p. 502. & 503.

Muſtaphas, Achmetis, Turcarum Imper: frater, & aliquantiſper ſucceſſor. pag. 381. Ejus vitæ morúmque brevis ſumma. *ibid.* & pag. 382. & à pag. 384. uſque 387. *incluſivè.* Chiauſium, Legati vice, mittit ad Cæſarem Matthiam, pag. 383. qui torquem aureum réfugit acceptare, metu ſupervacuô. p. 383. & 384. *Muſtaphas* à Proto-Vezirio obſi-

obſidetur. p. 388. & captus, in cuſtodiam retruditur. pag. 389. *Muſtaphæ* tiaras imperatorius, quanti? pag. 390.

Mutius Vitelleſcus, Societ. JESU Præpoſitus generalis electus. pag. 53.

N.

Neoburgicus Dux, Com. Palat. Wolfgangus Wilhelmus. p. 281. à frivolo conſarcinatore-geſtorum vellicatus. p. 282. Egregia Pietatis, ac quietis, documenta, ſuis proponit, & promulgat. à pag. 283. uſque ad 287.

Nova-Palma, urbs deſcripta. p. 207. & p. 208. & 266. per totum.

O.

Obedientia Marcomannica. p. 610. & fuſiùs, pag. 669. uſque poſt medium.

Octo Societatis JESU Religioſi, ob Chriſti legem interfecti, in Mexico. à pag. 308. uſque ad 325. Infra quoque, pag. 740. & 741.

Ogilbæus (Joannes) Soc. JESU Sacerdos, Scotus: laudatus. p. 57. ejus ſtemma. p. 113.

Oſmánes, Turcarum imperator: quidnam de Vita alterius ſæculi patris ſui Achmetæ ſenſerit? pag. 390. & 391. *incluſivè*.

P.

Pacis deſideria, quàm *Belli*, urbibus honeſtiora. pag. 493.

Palma-Nova. Vide ſuprà, V. *Nova*-Palma.

Parenzium, urbs Iſtriæ. p. 257. & p. 260.

Paulus Michna, Directoribus Bohemicis inviſus; ac diris eorum devotus. p. 623. & 624.

Paulus V. Pontif. max. cultus legationibus diverſorum PPrr. ut, Gal-

Gallicanâ. p. 51. fin. Gangrenſis, in Paphlagonia, Primatis ſacrorum. pag. 52. Maſsamúnæ, reguli Japonici. *ibid.* Patriarcham Babylonium, Eliam, eique ſubditos, reducit ad Eccleſiam. pag. 288. & 289.

Perronii Cardinalis, in Gallia, obitus, ac laudes. pag. 557. fin. & 558. & pag. 771.

Pilſna, urbs Bohemica: aliquouſq; partibus Directorũ adhæret. pag. 633. Cur ab eis poſtea receſserit? p. 634. A Mansfeldio notho obſideri propterea juſsa. p. 637. & 638. inſoleſcit adversùs eum, improvidè. pag. 638. paulóque pòſt, ab eo occupatur. p. 639.

Plagii crimen. p. 739.

PLURSII, oppidi, interitus; fusè deſcriptus. à pag. 690. uſque ad p. 731. *Plurſii* nominis varia prolatio, & ſcriptio. pag. 724. & 725. *Plurſii* (dum ſtaret adhuc) ſitus. p. 693. Amœnitas, & opes. pag. 694. & 695. & pag. 774. & 775. Cultus ſacrorum. pag. 695. & templa. *ibidem*, & 696. Cultores quales? pag. 696. nitor, & pompa habitationum, & ſupellectilium. p. 697. & 698. Ædificia eminentiora. pag. 698. præſertim Wertemannica. p. 698. ceu viri primatis. pag. 699.

Plurſii habitatores non temerè judicandi. p. 699. ſicut tamẽ nonnulli fecerunt. p. 700. *Plurſii* quodammodo murus, mons Contonius. p. 700. quónam vitio cenſus fuerit laborare. p. 700. & 701. & p. 702.

Tempus anni, quo *Plurſium* interiit: & menſis, ac dies. pag. 701.

Fœtor

Fœtor loci pridianus. pag. 702. & 703. Prædictio imminentis interitûs; facta Plurſinatibus. p. 704. ſed irriſa; etiam à primoribus. p. 705. & à mercatoribus, ac viatoribus, foris. pag. 706. & 707.

Oppreſſionis *Plurſii* hypotypóſis, temporis, ruinæ, celeritatis. p. 708. & 709. & 710. & 728. Celeritas interitûs talis, piis meritò lamentabilis; propter periſtaſes. p. 710. & 711. Interitum illum, quótnam, & qui *Plurſinates* effugerint, foris. p. 711. & 712. & 713.

Plurſii, facies loci hodierna. pag. 713. & 715. & 716. Stagnum Plurſii hodiernum. p. 715. Lamenta, propter Plurſii excidiũ. pag. 716. & Leſsus ſuper locum illum extinctum. pag. 774. & 775. & 776. *incluſ.*

Foſſiones in loco collapſo. pag. 717. foſſionibus aſſiduîs vix egeſtum quidquam, memoratu dignum. pag. 719. Cur foſſione deſtitum fuerit. pag. 720. per totum.

Comparatio Interitûs *Plurſii*, cum aliorum quorumdam oppidorum ruinis, recentioribus. pag. 721. & 722. ubi de Arímino, &c. ac Raguſâ. *ibid.* De ſaxi inſcriptione; *Plurſii* interitum præſignâſse viſâ. pag. 723. & 724.

Pompejus Juſtinianus, bello Iſtrico à Venetis præficitur. pag. 195. & ſtrenuè agit. *ibid.* & pag. 196. Cætera vide V. *Iſtricum* bellũ.

Pont-A-ſella; quis locus? p. 270. ad med.

Pontus Tellegardus. Vide, *Tellegardus.*

Pragæ Bohemicæ deſcriptio. à pag. 592. uſq; ad p. 596. per totum.

Præcipitati ex arce Pragenſi, tres inclyti viri. à pag. 599. uſque ad 605. & infra rurſus. pag. 768. & 769. Eorum nomina & cognomina. pag. 602. ad fin. ac pleniùs ſuprà. pag. 599. eorúmque officia ac tituli. *ibid.*

A præcipitatione, mox tumultus ingens, ac multiplex, Pragæ. à pag. 605. & 606. De præcipitatione illa, quódnam Matthiæ Imperatoris judiciũ fuerit. pag. 613. & 614. & pag. 669. & 670. Præcipitii illius altitudo. pag. 666. & pag. 773. Præcipitati olim & alii quidam ab Huſſitis. p. 612. & 613.

Circa perſonas, Pragæ *dejectorum*, magni Scriptoris error. p. 685. & 686. redargutus p. 686. & p. 687. Circa Numerum dejectorum, alterius hiſtoriographi error. pag 730. fin. & pag. 731. princ. Quídnam reipſa, de Præcipitatorum hiſtoriæ veritate ſit tenendum? pag. 687. & 688.

Proteſtantium Annus-jubilæus. Vide V. *Jubilæum.*

Publico noxia ſcelera, ſtirpitus ſunt exterminanda. pag. 346. & 347. Idq; à ſimilitudinibus quoque, & exemplîs, demonſtratur. pag. 346. & 347. & 348.

Puritani, in Scotia tumultuantes. p. 555.

R.

Raguſæ urbis ruina, quãdo acciderit. p. 229.

Rebellio Bohemica. pag. 768. & ex ea ſecuta, præcipitatio Procerum, ex arce regia. pag. 769. Vide reliqua ſuprà, V. *Bohemicæ.* &c.

Regum vultus, ac viva Præſentia, mirè poten-

tentes. pag. 444. & 445. & 446.
Reſtitutio ablatorum, poſſeſsori difficilis. paginâ 505.

S.

Samuelis, Judæi Pragenſ. furis, & apoſtatæ, geſta, pœnáque, fusè à pag. 92. uſque ad p. 107. Ejus, in ſupplicio, voces abſonæ dialecti. p. 117.
Schach-Abæ, regis Perſarum, obſtinata, contra Turcam, conſilia & arma. p. 379. & 380. Ejus, aliquamdiu, erga Chriſtianos, in regno ſuo, facilitas ac diſſimulatio. pag. 543. Sed mutatæ in ſævitiem alicubi, ac tyrannidem. pag 544. & p 545. potiſſimùm autem, in Georgianos, & eorum Reginam. pag. 545. & 546. Fuit Schach-Abas, plurimarum vir mulierum. p. 544. princ. Quando mortuus. p. 543. f. Inter Schach-Abam, & Oſmanem Turcarum Sultanum, prœlium cruentiſſimum. p. 548. & 549. Victo ſimiliorem, quàm Victori, ſe gerit Perſa. p. 549.
Sebaſtianus Barradius, Societ. JESU. p. 56.
Seceſpita, quid? p. 727.
Sepulturas glorioſas, viri, gloriâ digni, nacti. pag. 329. & 330. Ingloriè contrà tumulati, vel etiam prorſus abjecti, non pauci. p. 331. & p. 332. uſq; 336. *incluſ.* qui tamen divinitus honorati ſunt, modîs aliîs. à pag. 331. uſque ad 336. *incluſ.*
Sileſii acatholici, ad rebelles Bohemos deficiunt. p. 644. Eorum militem Jägerndorffius Bohemis adducit. *ibid.* Cur Sileſii tunc defecerint. pag. 645. quónam concitatore Jägerndorf-

dorffius. pag. 644. & & 645. fin.
SLAWATA, *Comes*, (Guilielmus) cum aliis duobus, ex arce Pragenſi pręceps jactus, à rebellibus. & cur? à pag. 599. uſque 605. Ejus rei plena narratio. à p. 596. uſque ad p. 616. per totum. Ejus, erga Deum, Deiparámque Virginem, fiducia, ac devotio. pag. 684. & 773. grata quoque mens, opere ſe teſtata. pag. 685. Inſignis, erga pauperes, liberalitas. p. 688. & 689. & 690. Diu provixit. p. 690.
Societas JESU, à Directoribus factioſis, totâ Bohemia proſcribitur, ac pellitur. p. 619. & ridiculè, *Æternùm*. pag. 620. Cur Pragâ ejiceretur. p. 620. cauſsîs, palàm falsîs. p. 620.
Stanislaus, martyr Polonus. p. 333.
Stratemannus (Wolfg.) ſcriptor, notatus. p. 282. & 305. & 306.

T.

Tampierius Comes, in caſtra venit Styrorum, contra Venetos. pag. 227. ſtrenuè rem gerit. pag. 228. & 229. &c.
Tellegardus. (Pontus) Suecus; bella, querelásque, movens. p. 23. exemplô, in publicum non innoxiô. pag. 24.
Tempeſtas, in Gallia, vehemens & atrox. p. 245. & 246. *Tempeſtas* tonitruum, Parenzii, in Iſtria p. 257.
Teuca (vel Teutha) regina Illyriorum, p. 748.
Themiſtoclis, diſertè loquendi ſtudium. p. 5.
Theodorus, philoſophus Cyrenenſis. p. 338.
Thomas, Cantuarienſis epiſcopus, & martyr: gloriosè ſepultus. p. 329. ſed ignominiosè

ſè impiéque refoſſus. *ibid.*
Tigrides, belluæ. p. 743.
Timavi fons: an, fontes? p. 181. & p. 260.
Tómyris (vel Thomyris) regina Scytharum. p. 747. & 748.
Torques aureus, imperitè formidatus. pag. 383. & pag. 384.
Trautmanſtorffii, bello Iſtrico, laus, & præſtantia. p. 199. & 213. & 217. & 218. & 219. Sollertia, in militibus ſuis utiliſſimè occupandis. paginâ 220. & 221.
Turcarum, cum Perſis, ſuper Pileorum colore, contentio. pag. 752.
Turrianus Comes (Henric. Matthæus) vulgò, A, ſeu De Turre, Senior: ſeditionis in Bohemia, facilè caput. pag. 587. Ejus nominis, pronuntiatio. pag. 661. Is Comes, rebelles, incitat, & animat. p. 587. & 588. Inſtinctu ipſius præcipitatis tribus Proceribus, ſtatim in curis ipſe eſt. à pag. 605. &c. ac facti illius ſceleſti, defenſione falsâ utitur. pag. 607. & 608. quæ illius falſiloquentia, demonſtratur, in re præſenti. pag. 609. & 610.
Turrianum, heroina quædam, gravibus verbis inceſſit, ob maritum p. 611. & 612. Quomodo ſe ſociósque Turrianus, de illo facto, vulgò purgaret? p. 612. & 613. Peractô ſcelere præcipitii, impulſu ſuô; omnia in regno Bohemiæ, pro libitu, mutat, & turbat. à pag. 615. & 616. ac ſeqq. Ejus hypocritica, erga Religioſos certos, liberalitas: in odium & invidiam aliorum. p. 621. Hujus Comitis rebellio & inſolentia, à Matthia

Cæſare, præ cæteris omnibus, accuſatur. pag. 625. & 628. Is in partes Auſtriæ prædabundus irrumpit. pag. 645. & 647 Concitat ad ſeditionem, quâ armîs, quà libellis noxiîs. p. 648.

Turrianus Comes, Junior, raptor. pag.. 647. & p. 678.

V.

Venetorum, ad mare Adriaticum boreale, potentia, opes, inſulæ. pag. 187. & 188. item portus inſignes. pag. 188. & 189. Venetorum, maximum omnium, è Conjuratione quadam, periculum, à pag. 551. fin. uſque ad 554. quânam occaſione, in lucem protractum? p. 553. & 554. atque in tempore oppreſſum. pag. 554. &c. Venetorum Inſignia. pag. 763.

Vercellæ, urbs. pag. 531. & 532.

Vincentius, martyr Hiſpanus. pag. 332.

Vinum, Styris damnoſum, bellô Iſtricô. p. 232. & ſeqq. uſque ad 235.

Vitæ æternæ felicitas. paginâ 776.

Vitzili-puztli, Satanæ Templum, ubi, & quale quantúmque, pag. 311. & 312.

Vormatienſis tumultûs, in Judæos excitati, narratio fuſa, à pag. 62. uſque ad pag. 92. De Vormatia, quid Lutherus dixerit, tempore Comitiorum. p. 63. & p. 114. de Vormatia nonnihil, & pag. 115.

Urias, propheta, martyr. pag. 331.

Uſcóchi, quínam populus, & ubi? pag. 171. diverſimodè pronuntiantur. pag. 255. Inter eos, diſcrimen morum ingens eſt. pag. 172. Eorum, qui ſævio-

ſæviores ſunt, prava facta. p. 172. à med. & 173. religio, ac lingua. pag. 173. Cur ſceleratè agerent. *ibid.* & p. 174. Uſcóchi, dum Turcis malefaciunt, noſtriſmet exitio ſunt. pag. 189. & 190. prædas autem Zengam convehebant. pag 190. *Uſcóchi* Zengani, à Venetis apud Ferdinandum archiducem injuriarum poſtulati. pag. 193. diſſimulatione miniſtrorum Ferdinandi, non corriguntur. pag. 194. Indè, belli Iſtrici origo. à pag. 195. nullâ Ferdinandi culpâ. pag. 263.

Utinum, urbs Foro-juliana. pag. 265. fin.

Wigandus, (Andreas) apoſtata S. J. p. 160.

Wolfg. Wilhelmus, Com. Palat. Vide, *Neoburgicus* Dux.

Z.

Zara, oppidulum. p. 262.

Zenga, oppidum: Uſcochorum receptaculum prædarum. pag. 190. ubi ſita? & quorum in ditione. *ibid.* & pag. 191. & 263. quàm firma, munitáque. pag. 191. Incolæ qui, & quorum ſermonum. pag. 191.

Finis Indicis.

LECTORI.

Qui Septennio huic deſunt; quoniam, propter rerum copiam, unam intrare compagem nequierunt, ſuîs Partibus illico ſequentur, Anni: prælo jam nunc inhiantes, & venia Tua.

EFFIGIES,

Suis quæque paginis apponendæ.

Joann. Sigiſm. Elector Brand. pag. 144.
Achmetes, Turc. Imper. p. 274.
Schach-Abas, R. Perſ. p. 544.
Guiliel. Comes Slawata. p. 684.

Digitized by Google

Digitized by Google